Minton Warren

TIBERI CLAUDI DONATI

AD TIBERIUM CLAUDIUM MAXIMUM DONATIANUM FILIUM SUUM

INTERPRETATIONES VERGILIANAE

PRIMUM AD VETUSTISSIMORUM CODICUM FIDEM RECOGNITAS EDIDIT

HENRICUS GEORGII

VOLUMEN II

AENEIDOS LIBRI VII—XII

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI LIPSIAE MCMVI

AENEIDOS LIBER VII.

Post confectum ab inferis reditum describit poeta Aenean Caietae portum recto itinere petivisse et, quia occasio fuit, meritum ipsius Caietae commendat in sepulchri honorificentiam; hoc enim solum exhiberi mortuis 5 licuit. sufficit propter transitum inferni fluminis; viderat quippe ipse quam cladem illic insepulti patiantur. hanc refert poeta Aeneae fuisse nutricem, cuius de sepultura cum loquitur, et Aenean ipsum praefert et tantae benignitatis feminam laudat. mortuae quippe beneficium stabat 10 in eo quod Romani imperii principem, pium, religiosum, prudentissimum fortemque nutrierat, ipsius vero Aeneae vicissitudo reciproca sic defunctae curasse sepulturam, ut post excessum aeterna nominis eius memoria superesset. verum quia id etiam Miseno et Palinuro summis, egregiis, 15 familiaribus suis fecerat atque eorum nomina dederat locis, huic libro initium datur *tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix, aeternam moriens famam, Caieta, dedisti.* fortassis aliquis putet inproprie caput libri constituisse Vergilium ideo, quia dixit tu quoque, cum ante hunc 20 versum nullum nominasse videatur. hoc aestimant qui

---

1 *confectum* om. *reditum* transpos. ed. 4 *honorificentia* ed. 5 *sufficit* V *suffecit* ed. fortasse recte. 11 *fortem quae* V om. ed. 12 *sic* V ed. *sit* ed. post. 14 *egregiisque* ed. 15 *dederant* ed. 19 *ideo* om. ed. | *hunc* om. ed. 20 *nominare* ed. | *existimant* ed.

interiecta nesciunt retrahere, ut quod ad tempus separatum est iungant. iste enim versus sublato medio de inferis tractatu Miseni exequiis iungitur; ab his enim discedens carminis cursus ad easdem redit et facit integram narrationem, ut recte posuerit tu quoque. melius autem apparebit haec adsertio, si unde discessum est (6, 232) repetamus: „at pius Aeneas ingenti mole sepulchrum inponit suaque arma viro remumque tubamque monte sub Aerio, qui nunc Misenus ab illo dicitur aeternumque tenet per saecula nomen“. sequi debuit tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix, aeternam moriens famam, Caieta, dedisti. interposita igitur de inferis carmina quod unum esse oportuit diviserunt. sed et nunc unum est, quia unde se recessisse meminerat poeta remeavit. ergo recte superioribus haec nectens ait tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix, aeternam moriens famam, Caieta, dedisti. *et nunc servat honos sedem tuus ossaque nomen Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat:* in singulis verbis magnum dictionis est pondus, quod ipsum quale quantumque sit incipiemus exponere. tu quoque, hoc est quae admirandae memoriae viris supremo officio coniungi meruisti, sed hoc referendum est ad personae rationem. videamus an etiam locus fuerit dignus qui Aeneiae nutricis saeculis post futuris ossa cum nomine reservaret. litoribus, inquit, nostris, hoc est Italiae: quid tam pulchrum tamque egregium provenire potuisset quam illic condi reliquias eius ibique Aeneae nutricis nomen excellere ubi qui ipsius uberibus nutritus esset fuerat cum posteris regnaturus perindeque esset aeterna utriusque memoria, scilicet illius semper per se et per posteros imperantis et illius perpetua sepulchri consecratione? celeberrima Aeneia nutrix qualem vel ubi memoriam

---

6 *discesserit* ed. 15 *recte* om. ed. 18 *signant* V ed., sed infra *signat* idque interpr. poscit. 24 *quia aeneiae* V *q. Aeneae* ed. *qui Aeneiae* nos. 25 *quitam* V *quid t.* nos *quod t.* ed. 26 *quam* — 28 *excellere* temere mut. ed. 32 *ubi* V edI *ubique* edF.

consequi debuit cuiusque erat totum quicquid per Aenean Romanis rebus prospere videretur feliciterque conlatum? aeternam moriens famam, Caieta, dedisti: a contrario laudis augmentum; tunc enim crevit eius nomen et fama 5 quando interventu mortis potuit aboleri. quod factum ad Aeneae laudem procul dubio revocatur, qui curavit ne post altricis suae ultimum fatum totum sibi mortis eius exitus vindicaret, unde factum est ut, contrarium naturae quae finis hominum morte concludit, nominis saltem pro- 10 curaretur aeternitas. et nunc servat honos sedem tuus: dixit nunc, dixit etiam his temporibus quando haec scribebantur. sed quod ait et nunc, hoc quoque ad eius meritum accedit, ut integrum transiret ad posteros quod Aeneae temporibus viventis contemplatione servatum erat. 15 et nunc servat honos sedem tuus: honos tuus etiam nunc servat sedem, hoc est defertur illi loco contemplatione honoris tui et sic custoditur eius integritas, ut semper maneat et firma nominis aeternitate perduret. ossaque nomen Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat: 20 mira ratio ut, cum viventum nomen vix inter homines valeat eminere, huius ossa per celebritatem nominis perpetuis temporibus ac saeculis praeferantur. Hesperia in magna: tanta extitit condentis reverentia, tantus sepultae honos, ut in magna Italiae latitudine unus omnium con- 25 sensus gratissime teneretur. si qua est ea gloria: fecit Aeneas quod ad religiosa officia pertinuit; sed cum nihil mortui sentiant et omnis gloria, etiamsi ulla est apud homines, caduca sit et habeat finem, quid profuit id fecisse, nisi ut satisfieret animo, qui religioso nutricis 30 suae tenebatur adfectu? *at pius exequiis Aeneas rite solutis aggere conposito tumuli:* (5) exequiarum ordinem ac ritum in aliorum funeribus poeta monstravit, cumque iam

---

1 *cuius quaerat* V *cuiusque erat* nos *cuius erat* ed. 2 *prospicere* V *prospere* corr. ed. 5 *interventum* V corr. ed. 14 *servatum* V *s. erat* ed. nos. 19 *signat* V *signant* ed. 22 *praeferrentur* ed. 23 *sepultae* V *sepulturae* ed. 30 *affectus* V corr. ed.

esset ex hoc ipso legentibus cognitus, hunc praetermisit hoc loco; eadem tamen facta intellegi debent et, quia exequiarum sollemnitas sepulchri adgestione perficitur, dixit utrumque conpletum. *postquam alta quierunt aequora, tendit iter velis portumque reliquit. adspirant aurae in* 5 *noctem nec candida cursum luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus:* post curam Caietae depositam oportunitas navigandi matura et commoda subinde successerat; nam et mare ex alto, hoc est tumido et inflato, placidum fuit (usque adeo non in demersum, sed in super- 10 iora suspensum debemus accipere, ut ipse poeta eodem loco dixerit quierunt, altaque si erant, constat fuisse tumentia) et aurae noctis non deerant. metus omnis sic afuit, ut etiam inlustris lunae suffragium gratum potius quam horrendum faceret pelagus. alio loco (5, 11) posuit „et 15 inhorruit unda tenebris", hic vero, quia tanta navigantis felicitas fuit, ut luna faceret splendidum quod formidolosum esse potuit, securitas [plenissima] timori successerat.

10 *proxima Circaeae raduntur litora terrae:* inprudens Aeneas, utpote qui loca nesciret, ferebatur Neptuni suffragio et 20 circa loca, quae nescius incurrere potuisset, radebat cursu prosperrimo et quid illic cum sociis perpeti potuisset audiendo discebat. describitur quae illic consuetudo Circaea teneretur et quae inde audirentur aperta descriptione narratur: *dives inaccessos ubi Solis filia lucos adsiduo resonat* 25 *cantu tectisque superbis urit odoratam nocturna in lumina cedrum arguto tenuis percurrens pectine telas:* in his,

---

2 *et quae* V ed. *et quia* nos. 5 *relinquit* ed. 10 *inde mersum* V ed., sed cf. 6, 578. | *superiora* V *superiore* ed. 11 *ut*— 12 *dixerit* V *et—dixit* ed. 12 *quaerant* V *quierant* ed. *quierunt* nos. | *alta quae* V *altaque* nos *aequora* interpos. ed. | *humentia* V ed. 13 *haurae* V. 15 *posuit* om. ed. 18 post *securitas* spatium duodecim litterarum vacat, sequitur *more successerat* V explevi *plenissima* inserens et *timori* emendans, temere mut. ed. 21—22 *radebatur supro sperrimo* V *r. cursu prosperrimo* ed. *radebat c. pr.* nos. 22 *audiendo dicebat* V *discebat* nos corrupit ed. 23 *circea* V *Circaea* ed. *a Circa*? 27 *caedrum* V (et infra).

inquit, locis lucos habuit Circe Solis filia, semper vigilans et ad insidias semper intenta, voce decipiens transeuntis et odorato lumine temporibus noctis. quem non delectaret sonus vocis in cantilenam deductae et odor cedri ardentis 5 et sperata cantantis hilaritas? incendebat, inquit, cedri materiem persolidam, quae naturali fomento tamquam oleo madida incendia ipsa nutriebat. ad hoc lumen lanam curabat et telam, ut pervigil esse potuisset, ne fraudem ullam oblatae occasionis amitteret. navigantes interea 10 oportunum hospitium rati non iuvabantur auxilio commanentis, sed dolo capiebantur et fraude. *hinc exaudiri* 15 *gemitus iraeque leonum vincla recusantum et sera sub nocte rudentum saetigerique sues atque in praesepibus ursi saevire et formae magnorum ululare luporum, quos homi-* 15 *num ex facie dea saeva potentibus herbis induerat Circe in* 20 *vultus ac terga ferarum:* audiebantur inde gemitus et leonum irascentium ferarumque aliarum indignatio significabatur, non quas natura protulerat, sed quas ex hominibus pessimae fecerant artes. ira ergo omnis exagitabat 20 et saeva commotio: fremebat leo, ursi atque apri saeviebant captivitatis iniuria commoti et lupi ex causa pari diris ululatibus personabant, postremo omnis non ferocia naturalis urgebat, sed factionis violentia. hos enim dea saeva, cum deam non conveniret sectari mala, potentibus 25 herbis induerat Circe in vultus ac terga ferarum: natura pessima et arte scientiae deterioris instructa ex hominibus feras effecerat commutans et sonum vocis et corporum formas. *quae ne monstra pii paterentur talia Troes delati in portus nec litora dira subirent, Neptunus ventis inplevit*

---

5 *incendebat* V *incidebat* ed. 6 *persolidas* V *persolidam* ed. an *per solidas noctes*? 8 *ut pervigiles sepotuisset* V *ut pervigilare posset* ed. | *fraude ullam* V corr. ed. 14 *et formae* V *ac f.* Vergil. libri. 15 *et vultus* V. 16 *et leonum* V *et* om. ed. 19 *ira* V *ita* ed. 20 *fremebat leo* V *tenebat leones* ed. 22 *ferocia* V *fiducia* ed. 24 *deam* V *deae* ed. 27 *voces* V corr. ed. 28 *forma* V corr. ed. 29 *nec* V *neu* Vergil. libri. | *diras obierent* V.

vela secundis atque fugam dedit et praeter vada fervida vexit: ne conversi in monstra bestiarum mutarentur informia pii Troiani. ecce dixit Troas perindeque causam qua ab his malis liberari meruerunt: pii fuerunt, inquit, nec debuerunt illis aequari qui pro nefariis actibus eiusmodi supplicia perferebant. hos tetigit quos supra mutatos dixit, de quibus Diomedes etiam locutus est in undecimo libro (271) sic: „nunc etiam horribili visu portenta sequuntur et socii amissi petierunt aethera pinnis fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus inplent.“ quanta ergo Troianorum felicitas fuit, ut, quia aurae inpulsu leviore navigabant, repentinis ventorum flatibus Neptuno iuvante per loca adversa oportune transisissent!

25 *Iamque rubescebat radiis mare et aethere ab alto Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:* auspicia describuntur quibus ad Italiam veniens Aeneas exceptus est, apparebat iam, inquit, post noctis decursa spatia novae lucis exortus, caelum remotis nubibus purum, et aurora fulgens praecedebat splendidi solis egressum. *cum venti posuere omnisque repente resedit flatus et in lento luctantur marmore tonsae:* quasi scirent iam se non esse necessarios, officiose discesserant venti, mare ipsum sic repentina placiditas straverat, ut spatium quod supererat remissione molestiae luctaminis posset excludi. *atque hic* 30 *Aeneas ingentem ex aequore lucum prospicit:* facilis esse potuit luci apparentis inspectio ex tranquillo pelagi, sereno caeli et sole surgente. *hunc inter fluvio Tiberinus amoeno verticibus rapidis et multa flavus harena in mare prorumpit:* descriptio luci et fluminis: inter frondosas, inquit, arbores ferebatur verticibus rapidis amoeno fluvio Tiberinus et, licet illum rapta velocitas volveret, appare-

1 *praeterva vada* V. 2 *informas* V *informia* nos om. ed. 3 *romani* V *Troiani* ed. | *formas* V ed. *Troas* nos. 4 *liberare* V corr. ed. 5 *debuerant* V corr. ed. 10 *pinnis* V *primi* ed. 11 *scopulis* V. 22 *tunsae* V. 23 *officiose* V *officio* ed. 25 *molesta* ed. 28 *caeli* om. ed. 31 *radicibus* V *verticibus* ed.

bat tamen in eo magna prospectus gratia, quod non caenum, sed harenas splendidas trahebat in mare. *variae circumque supraque adsuetae ripis volucres et fluminis alveo aethera mulcebant cantu lucoque volabant:* hilaritas avium
5 populorum laetitiam significabat. sic autem laetus fuit Aeneae adventantis ingressus, ut obsequi viderentur elementa et aves quoque ipsae gratulari viderentur. variae circumque supraque adsuetae ripis volucres et fluminis alveo aethera mulcebant cantu: mira celeritate quattuor
10 partis descripsit, quippe circum significat dexteram, laevam, a tergo et ante. item duas infra et supra; nam infra ostendit quod ait fluminis alveo, supra aethera mulcebant cantu lucoque volabant. *flectere iter sociis terraeque advertere proras imperat et laetus fluvio succedit opaco:* cur 35
15 enim illo tempore non laetaretur qui factionem Iunonis inimicae constantia et virtute superasset? cur non laetaretur visis tot auguriis ac signis futurae prosperitatis suae? cur non laetaretur periculorum maris omni cura deposita?

20 *Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum, quis Latio antiquo fuerit status, advena classem cum primum Ausoniis exercitus appulit oris, expediam [et primae revocabo exordia pugnae]:* magno consilio et 40 exquisitis inventionibus Aeneae laudes adcumulat; facit
25 enim novum adventus eius initium, novum exordium carminis, ut errorum et laborum eius alia pars videatur esse, alia gestorum in Italia. invocat igitur Musam poetarum more, quae invocatio vehementer necessaria continet et ipsi laudationi profutura hominis felicis et
30 fortis. debuit quippe posteritas nosse qualem Italiae rempublicam vel quem statum rex Troianorum invenerit, qui reges eam vel sub quo eventu fortunae tenuerint, ut,

---

5 *popularium* ed. 7 *ipse* V. | *viderentur* bis V ed. alterum delendum puto. 10 *significat* V *-abat* ed. | *laevam* V *et l.* ed. 21 *eum primum* V. 22 *et* — 23 *pugnae* deest in V, sed explicatur. 24 *laudis* V. 25 *novo* V *novi* ed. *novum* nos. 26 *errorum* V *et err.* ed. 29 *et ipsi* — 30 *fortis* temere mut. ed.

cum eam demonstraverit in extremo per id temporis fuisse quando oras ipsas advena exercitus tetigit, emergat praedicatio eius cuius virtute simul et facto multo auctior et felicior facta est. sub imagine autem invocationis propositionum tenuit formam, ut in ipso carminis capite 5 lector instructus edisceret quid omnis ordo fuisset habiturus. sunt ergo haec: qui reges, quae tempora, qui status, quae exordia extiterint pugnae. sic tamen invocat dicens nunc age, ut hortari potius quam iubere videretur. non enim praeceptivis verbis uti potuit iuxta eam 10 cuius ob expedienda necessaria quaerebat auxilium. cum vero advenam dixit Troianorum exercitum, intellectum nobis latissimum dedit. pertinet enim hoc quoque ad eorum laudem, ut virtute et prosperitate sua peregrini in alienis locis ingenti fultos familiari substantia supera- 15 verint, simulque etiam illud excusat quod apud Ilium gestum est. qui enim Italiam opimam substantia et viris armisque instructam parvo exercitu et reliquiis Danaum obtinere potuerunt possent etiam patriam suam congrue defensare, nisi essent factione Iunonis ab effectu opitula- 20 tionis exclusi. *tu vatem, tu, diva, mone:* vates volunt poetas dici ideo, quia Musarum sacerdotium profitentur. etenim ut sunt vates qui deorum responsa ad homines perferunt, ita et istos vates dici convenit, quod ut dii per suos ita per poetas Musae loqui perhibentur. *dicam* 25 *horrida bella, dicam acies actosque animis in funera reges Tyrrhenamque manum totamque sub arma coactam Hesperiam:* aliam partem propositionis adiunxit, et ipsam fetam seminibus laudis; tanto enim victoris Aeneae cumulabatur gloria, quanto coniurationem tot regum, tot 30 gentium et totius Italiae congredientibus ex parte Troianorum paucis constiterit superatam. interea verba ipsa

---

1 *demonstraverint* V. 2 *venturas ipsas advena exercitus tetigit* V *quando oras i. a. e. t.* nos locum temere mut. ed. 3 *facto* V ed. *fato*? cf. 2, 738. | *auctior* V *altior* ed. 6 post *habiturus* reliquum versus spatium signis expletum V. 7 *haec* om. ed. 10 *ut potuit* V. 13 *enim* om. ed. 20 *defendere* ed.

in propositione constituta repetamus, ut intendamus omnia cum suis ponderibus posita. dicam, inquit, horrida bella: levia quippe esse non potuerunt quae cum opulentis regibus gesta sunt, nec unum bellum, sed plura, nec levia,
5 sed horrenda. dicam acies: quando acie constituta pugnatur, magna virtute opus est; comminus enim geritur bellum. quanta igitur extitit Troianorum virtus in paucis, qui instructas acies hostium et congregatae multitudinis molem ferre primitus et dehinc evincere valuerunt! Ecce
10 et hic pluralitate usus acies dixit, ut ostenderet etiam hoc non semel, sed saepius factum. actosque animis in funera reges: cum non dicit quos nec definit quantos, multo plures possumus aestimare pro voluntate laudantis. actosque animis in funera reges: in sua, non in Troia-
15 norum. cum enim animis ferocia exagitatis in alienum exitium ruerent, sic ipsi Troianis e diverso certantibus ceciderunt. Tyrrhenamque manum: idcirco hanc manum cum gentis nomine posuit, quod in certaminibus bellicis hanc in subiectis adseruit esse ceteris omnibus fortiorem.
20 totamque sub arma coactam Hesperiam: generalis ista conclusio quantum Italorum metum significat extitisse, qui, cum scirent paucos esse Troianos, non numerum, sed virorum fortitudinem timuerunt! *maior rerum mihi nascitur ordo, maius opus moveo:* conparationis ratio ex 45
25 carmine superiore descendit. in hoc enim librorum ordine actus superioris temporis levior invenitur. plus est quippe quaesitum virtute quam fuit illud quod casibus et vi maiore constabat amissum. totam vero Italiam coaluisse ad bellum idcirco adserit, ut ostendat nullum Italorum
30 virum sine furore mansisse bellandi. his in propositione cum Aeneae favore conlatis redit ad ordinem dispositionis

---

1 *praepositione* V *positione* ed. 5 *horrenda* V *horrida* ed. *acie* in lemmate *acies* in interpr. V. 14 *troianorum* V *funera* add. ed. 15 *ferocitate* ed. 17 *hanc* V *hic* ed. 18 *certaminibus* om. sequentia corrupit ed. 24 *movebo* V. 26 *levior* V *facilior* ed. 28 *totamque* ed. 30 *propositionem* V corr. ed.

suae, ut rerum textum et ordinem pandat, admixturus alia, ut nihil ex positis transeat.

Rex arva Latinus et urbis iam senior longa placidas in pace regebat: regebat quidem Latinus Italiam, non virtute, utpote iam senex, sed longae pacis succurrente 5 suffragio, perindeque qui stare non posset, si aliquid adversi fuisset exortum. status igitur regni qualis esse potuerat cui adsistebat invalidus per aetatem? *hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica accipimus, Fauno Picus pater isque parentem te, Saturne,* 10 *refert, tu sanguinis ultimus auctor:* persuaserunt sibi nonnulli ac prope omnes, ut, quia inter Latini maiores Saturnus fuerat primus et ab ipso per Picum et Faunum Latini origo profluxerat, ultimum non novissimum esse [dicant], sed primum voluntque hoc velut exemplo ulti- 15 mum virum dicere quem putaverint aliquando laudandum, cum non ita sit. nam si quando plurium edicendus est numerus, erit primus a quo fuerit coeptum et vere novissimus qui posterior fuerit nominatus. ecce ut hoc loco, si a Saturno inceperit enumeratio, ultimus invenie- 20 tur Latinus; non enim hic primus quasi excellens aut ultimus quasi humilis et abiectus, sed primus et novissimus in ratione numerorum intellegendum est. ille quippe, ut dictum est, erit primus a quo numerus coeperit, ille vero ultimus ad quem numerorum ipsorum venit facta 25 conclusio. huic loco addamus exemplum eius qui scalarum gradus numerare voluerit: ascendens enim primum faciet a quo incipit et novissimum qui sit manifesta ratione superior, aut si descendens velit numerum recensere, faciet ipsum gradum primum a quo descensum fuerit auspicatus 30 et novissimum qui ascendenti primus occurrerat. ultimum ergo sentiemus Saturnum vere novissimum. Vergilius enim

1 *regum* V *rerum* ed. 8 *adsistebat* V *praesidebat* ed. 9 *genitum aurica* V. 12 *ut quia* V *quod* ed 14 *esse* V om. ed. *esse dicant* nos (propter *ut*). 16 *aliquando* V ed. *aliqua laude*? 17 *plurimum* V *plurium* ed. 20 *inciperit* V. 27 *enumerare* ed. 29 *aut* V ed. *at*?

cum Latini originem totam enumerare coepisset, novissimum fecit qui nascendi posteris originem dedit. et revera ille est ultimus ante quem et post quem nullus est. tale ultimi exemplum et Cicero in secundo rhetoricorum (de
5 inv. II 2, 5) dedit, „omnium, inquit, quicumque fuerunt ab ultimo principio huius praeceptionis.“ *filius huic:* cum 50 dicit huic, potuit videri de Saturno dixisse; huius enim novissimum fixerat gradum; sed sequentia ostendunt ad Latinum textum narrationis esse revocatum. *fato,* inquit,
10 *divum prolesque virilis nulla fuit primaque oriens erepta iuventa est:* ut enim ante Latinum gradus omnis excussit, post ipsum quoque quid esset debuit enumerare. fato, inquit, divum, hoc est deorum sententia subolem illi virilis sexus constat esse denegatam, non quidem quod
15 nasci nequiverit (nam provenerat nascendo), sed moriendo consumpta est et, quod maximi doloris esse constabat, tunc intercepta est cum iam spes eius in ipsis exordiis iuventae coepisset enitescere. *sola domum et tantas servabat filia sedes, iam matura viro, iam plenis nubilis annis:*
20 deficiente virilis sexus subole senis, hoc est qui iam aliam sperare non posset, sola fuerat filia, ad quam regni potestas propter infirmitatem femineam transire non posset. *multi illam magno e Latio totaque petebant Ausonia:* hanc, 55 propterea quod esset unica et senis filia spesque esset
25 regno cum uxore potiundi, multi nobiles ex omni Italia postulaverant. maiorem quippe petitorum numerum, ut dictum est, fecerat spes maturae iam atque unicae virginis, regni cupiditas eventuri et latitudo terrarum. *petit ante alios pulcherrimus omnis Turnus avis atavisque potens:*
30 ante omnis inquit: non petisse ante omnis intellegendus est Turnus, sed ante omnis pulcherrimus; eo accedebat

---

3 *tali* V *talis* ed. 4 *exemplum et crebro in secundo rethoricorum* V. 5 *quisque* V *quicumque* Cic *qui* ed. 6 *huius*— 7 *dixisse* om. ed. 9 *inquit* om. ed. 16 *maximus dolor is* ed. corr. ed. post. = V. 18 *enitiscere* V. 20 *virili* V. 25 *regno*—*potiundi* temere mut. ed. 26 *peditorum* V *procorum* ed. 28 *terrarum* V *agrorum* ed.

quod genere quoque praestabat et maioribus regiis, ut regis filiae multiformi ratione congrueret. *quem regia coniunx adiungi generum miro properabat amore:* cum ille splendore generis et corporis pulchritudine petitores ceteros anteiret, Latini uxor perindeque virginis mater 5 talem generum miro amore cupiebat adiungi. *sed variis portenta deum terroribus obstant:* voluntati et studio matris, ne quod cupiebat inpleret, obstabant dii portentis evidentibus nuntiantes quid magis esset pro puellae commoditate curandum. omnis iste tractatus atque originis 10 Latini descriptio et regni status nutans, coniuratio quoque totius Italiae, unicae Latini filiae petitorum nobilium turba laudibus Aeneae nectuntur, ne ignobilem, ne inparem ducturus esse videretur uxorem vel ea .... sprevisse vicini vel cives, laudatur etiam inde quod tantas 15 opes esset superaturus. in quo ipso tantum poetae ingenium valuit, ne in coniunctione regalis virginis ipse Aeneas ratione sanguinis videretur inferior. idcirco enim a Latino usque ad Saturnum generis origo decursa est, ut Aeneas idem Latino monstraretur adfinis. a Saturno 20 enim Faunus, a Fauno Picus, a Pico Latinus, a Latino Lavinia, item ex alio generis cursu a Saturno Iuppiter, ab ipso Venus, Aeneas a Venere sanguinis originem traxit, ut ostenderetur par sanguinis meritum et Aeneas inveniretur potior robore virtutis et exercitatione bellandi. 25
60 *laurus erat tecti medio in penetralibus altis sacra comam multosque metu servata per annos, quam pater inventam, primas cum conderet arces, ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis:*

---

1 *venere* V ed. *genere* nos. 6 *amore* V *filiae suae* add. ed. 8 *obstant* ed. 9 *comoditate* V *commodis* ed. 11 *nutans* V *magnus* ed. | *coniuratio* V *continuatio* ed. 12 *italiae* V *It. et* ed. 14 post *vel ea* spatium quindecim fere litterarum vacat, sequitur *spraevisse vicini* V expleas sic: *eam quam putarentur.* 15 *inquit* V *quod* ed. *inde quod* nos. 16 *ipse* V *ipso* ed. | *tantum* V *mirifice* ed. 18 *enim* V *et* ed. 19 *decursa* V *dicta* ed. 20 *monstraretur* V *videretur* ed. 24 *pars* V *par* ed. 26 *inpenetrabilibus* V (et infra). 28 *foebo sacras latinus* V.

quomodo Turni et Laviniae coniunctionem deorum portenta distulerint coepit exponi. arbor, inquit, lauri fuit in penetralibus mediis. dicit causam quomodo emersisset vel cur in penetralibus fuisset servata: ait sacram habuit
5 comam et per multos annos custoditam; ultro enim se protulerat, cum arces primas Latinus erigeret, perindeque non inanis fuit coniecturae suspicio quod arbor lauri in ipsis penetralibus nullo procurante proveniens aliquid boni portenderet. denique primum ex eius appellatione Lau-
10 rentes dixit colonos, hoc est commanentis, atque ut haberet conpetentem reverentiam, hanc conditor Phoebo sacraverat, quo factum est ut adulta et veneratione crevisset et tempore. *huius apes summum densae (mirabile dictu) stridore ingenti liquidum trans aethera vectae obsedere* 65
15 *apicem et pedibus per mutua nexis examen subitum ramo frondente pependit:* exorto repente apum signo, quod sine magna admiratione videri non potuit, suspicio maior exorta est quod ipsum ex occulto aliqua futura por-[tenderet, quoniam] *continuo vates,* cui manifesta res
20 fuerat, *externum cernimus, inquit, adventare virum et partis petere agmen easdem partibus ex isdem et summa* 70 *dominarier arce.* non dixit virum cernimus quasi praesentem, sed quod cernimus externum virum adventare significat, et ut firmaret hanc ipsam coniecturam, addidit
25 ex ea parte agmen cum ipso venturum qua apes venerant et summae arcis dominium retenturum. ecce de persona pronuntiavit et ex qua parte cum agmine ventura esset ostendit atque obtenturam in Italia summam rerum. *praeterea, castis adolet dum altaria taedis et iuxta*
30 *genitorem adstat Lavinia virgo, visa (nefas) longis con-*

---

1 *deorum* V *in deor.* ed. 5 *ultro* V *vitio* ed I *intro* ed F. 7 *coniuncturae* ed. 9 *praetenderet* ed. 12 *adulta et* V *et* om. ed. 18 *por* cum lacuna quindecim litterarum V: explevi. 19 *res fugent* V *res fuerat* nos *cui — fuerat* om. ed. 20 *inquit cernimus* V. 22 *arce non dixit* V supra omissa et alia interposuit ed. 26 *arces dominium* V *arcis dominum* ed. corr. ed. post.

prendere crinibus ignem atque omnem ornatum flamma
75 *crepitante cremari regalisque accensa comas, accensa coronam insignem gemmis, tum fumida lumine fulvo involvi ac totis Vulcanum spargere tectis; id vero horrendum ac visu mirabile ferri:* licet superiora quae emerserant mi- 5
randa omnibus viderentur, hoc tamen vehementer omnis commovebat, cum adverterent ardere Laviniae virginis caput atque ita incendium per diversa iactare, ut vicina omnia potuisset accendere. id vero horrendum ac visu mirabile ferri: illi scilicet qui cum vate aderant quod 10
spargerentur flammae nec quicquam consumeretur incendio mirabantur. *namque fore inlustrem fama fatisque canebant*
80 *ipsam, sed populo magnum portendere bellum:* vates dicebat, consentientibus cunctis, magnam ex causa belli venturam populis esse perniciem, ipsam vero meliorem fore 15
fama et fatis. ecce et hoc ad Aeneae pertinet laudem, quoniam ipse futurus erat Italiae populis rex, ipse Laviniae honoris conlaturus augmenta. pluralis inductus est numerus et ipse sine definitione summae, ut in plurimorum sententia maior esset veritatis auctoritas; hoc 20
est enim in tractatibus firmum quod probaverint multi. *at rex sollicitus monstris oracula Fauni fatidici genitoris adit lucosque sub alta consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro fonte sonat saevamque exhalat opaca mephitim:* at rex inquit, non dixit virginis pater; publici 25
enim status quam filiae potior fuerat causa, licet ipsius quoque contineretur cura cuius caput repente flammaverat. non enim tunc de suscipiendo tantum genero agitabatur, sed metus fuerat ex eo quod vates pronuntiasset magnam

---

5 *visum* V. 12 *famam* V: hic finis lemmatis cum spatio vacuo duorum versuum, sequitur fol. 35, cuius in pagina priore nihil scriptum est nisi *vates dicebat — perniti,* pagina posterior lemmatis finem habet et repetit verba *vates — pernitiem;* cur tota fere pagina vacua relicta sit non apparet. 13 *dicebant sentientibus* ed. 18 *pluralis* etc. ad *canebant* respicit. 19 *et in* V *ut in* ed. 20 *id est* ed. 22 *monstris* V *monstrorum* ed. 23 *albunia* V (infra recte). 26 *enim* om. ed.

portendi populorum stragem, ipsam tamen futuram potiorem. non igitur vatis responso contentus etiam Fauni auctoritate certior voluit reddi. Faunus quippe, quod fatidicus esset et pater, videbatur posse instruere certius
5 filium duplici cura suspensum; qui enim iuxta ceteros in respondendo facilis fuit benigniorem se in suorum causa praebiturum dubitari non poterat. adiit, inquit, rex patrios lucos, hoc est in quibus ille colebatur et dabat responsa postulantibus. hi luci fuerunt sub alta silva, quae di-
10 ceretur Albunea; illic fuerat fons loci numinibus sacer, sed qui exhalaret mephitim saevam id est odorem gravissimum. *hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus in dubiis* 85 *responsa petunt:* non tellus petebat responsa, sed qui in ea commorabantur. in dubiis dixit in quibus incerti esse
15 viderentur. *huc dona sacerdos cum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti pellibus incubuit stratis somnosque petivit, multa modis simulacra videt volitantia miris et varias* 90 *audit voces fruiturque deorum conloquio atque imis Acheronta adfatur Avernis:* morem dixit illius loci: dum, in-
20 quit, responsa poscuntur, venit sacerdos ad lucum, adfert dona, pecudes mactat et earum stratis pellibus incumbit ibique dormiens futura somniat et ventura cognoscit tantumque alto premitur somno, ut ad instar defuncti hominis iacens cum ipsis inferis et cum ipso Acheronte
25 sibi arbitretur esse conloquium. auditurus enim deos et fabulas cum numinibus habiturus humanum sensum debet dormiendo nescire. *hic et tum pater ipse petens responsa Latinus centum lanigeras mactabat rite bidentis atque harum effultus tergo stratisque iacebat velleribus:* hic et
30 tum inquit, hoc est hoc loco atque ipso tempore quo tot monstra extiterant in causa filiae. pater ipse petens responsa Latinus: ipse pater perrexit ad petenda vel ac-

---

5 *qui cum* ed. 9 *dicebatur* ed. 10 *loci nominibus ager* V. 15 *cuntulit* V. 19 *loci* ut supra V *luci* utroque loco ed. | *inquit* V *dixit* ed. 21 *mactat* V *caedit* ed. | *incubuit* ed. 22 *cognoscet* V. 23 *altoque* V *alto* ed. 25 *arbitraretur* ed. corr. ed. post. = V. 26 *nominibus* V.

cipienda responsa, non misit alterum nec adhibuit aliquem sacris, in tanta causa tantum diligentiae dedit, ut curaret universa per se nulli habens fidem, plenum exhibens officium patris et regis. centum lanigeras mactavit rite bidentis multitudine animalium obsequium plenae vene- 5 rationis ostendens et in negotio tali se exhibens largum. atque harum effultus tergoribus stratisque iacebat velleribus: ecce quo pervenerat dignitas regis propter expeditionis effectum: post plumam, post vestes ostro atque auro fulgentis plebeio more iacuit in pellibus, gravi 10
95 quoque earum odore contentus. *subita ex alto vox reddita luco est:* peractis sollemnibus subito ei ex alto luco talis reddita est vox, hoc est nulla mora interposita ex interiore luci parte talis vox extitit, quae suspensum instrueret consulentem. *ne pete conubiis natam sociare Latinis, o mea* 15 *progenies, thalamis neu crede paratis:* si cui oportunius natam iungas, fili, quaeris audire: fuge nuptias quas civis Latinus exposcit, nec transducat sententiam tuam parata coniunctio. *externi venient generi:* quasi Italis aut peregrinis pluribus daturus esset filiam suam, ita plurali usus 20 est numero. non ita est, sed illud intellegendum est, responsa sine ambiguitate esse non posse. noli, inquit, civis sperare ex quibus unum deligas filiae, sed peregrinos expecta, in quorum numero est ille cui debet recte sociari. *qui sanguine nostrum nomen in astra ferant quorumque* 25
100 *a stirpe nepotes omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens aspicit Oceanum, vertique regique videbunt:* ecce quantis [cum laudibus repe]titur ex Aeneae persona ut ipse condat quod cumulent posteri sui, quod usque ad caelum levent et dilatent imperando per omnia, qua solis 30

---

2 *dedit* V *adhibuit* ed. 3 *pro se* ed. 5 *obsequium* et *ostendens* om. ed. 8 *expetitionis* V ed. 16 *si cui* V *sic ut* ed. 19 *matrimonii coniunctio* ed. | *ceteri* pro *generi* V. 20 *pluralius ut* V corr. ed. 23 *unum* V *virum* ed. 24 *recte sociari* V *tua filia* add. ed. 27 *videbant* V. 28 post *quantis* lacuna quindecim fere litterarum, sequitur *titurrex aeneae persona ut ipse* V: explevi, temere mut. ed.

radii siderumque tenduntur! *haec responsa patris Fauni monitusque silenti nocte datos non ipse suo premit ore Latinus, sed circum late volitans iam fama per urbis Ausonias tulerat:* 105 quid silentio noctis Latinus audisset nec ipse tacere potuit 5 et per omnia loca atque universas urbis Ausonias circumtulerat fama, cui tantum licuit, ut haec mox ubique vulgasset. circum quod dixit, non separatum esse debet, ut iuxta dixisse videatur, sed quod ratione poetica divisum est colligi debet et iungi. non enim possumus dicere quod 10 circum iuxtà sit, cum poeta dixerit late volitans iam per urbis Ausonias tulerat. unde circum et tulerat iungendum est, ut faceret circumtulerat. *cum Laomedontia pubes gramineo ripae religavit ab aggere classem:* cum haec agerentur, iam Troiani navium vincula commendaverant 15 ripae.

Aeneas primique duces et pulcher Iulus corpora sub ramis deponunt arboris altae instituuntque dapes et adorea liba per herbam subiciunt epulis, sic Iuppiter ille monebat, 110 *et cereale solum pomis agrestibus augent:* accubuerunt, 20 inquit, Aeneas et Iulus: tacuit dignitates ipsorum, sed, cum dicit primos illis ad epulas duces adiunctos, ostenduntur pater et filius ceteris fuisse potiores. paraverunt igitur sese, ut sub altae arboris ramis caperent cibum (hunc ex adore habuerunt) quem ad vicem panis ederent. 25 hanc enim illis necessitatem inposuerat Iuppiter, qui illis futuram famem per harpyiam nuntiaverat, et, quia panis deerat qui sufficeret universis, agrestibus pomis inediam .... gerebantur. *consumptis hic forte aliis,* hoc est quae loci qualitas et necessitas dederat, *ut* 30 *vertere morsus exiguam in Cererem penuria adegit edendi:* tanta fuit penuria, ut quod mandentibus exciderat legerent et adpeterent morsibus, cum esset tanta brevitas, ut

---

3 *latae* V. | *orbis* V. 6 *cui* V *cur* ed. 12 *faceret* V ed. *faciat* expectes. 18 *ille* V *ipse* ed. 21 *ostenduntur* etc. mut. ed. 24 *ex adorea* V ed. | *ederent* om. ed. 27 *inaediam* V sequitur lacuna viginti quattuor litterarum, tum *gerebantur;* expleas sic: *levabant quibus subiecta aggerabantur.*

dentibus teneri non posset. *et violare manu malisque*
115 *audacibus orbem fatalis crusti patulis nec parcere quadris,*
heus! etiam mensas consumimus, inquit Iulus: Iulus ubi
vidit Troianorum famem illo usque perductam, ut hanc
sacrilegio extinguere laborarent, ingemuit puer et ex alto 5
dolorem trahens ait: gemenda fortuna nostra, quae nos
ad egestatem tantam pios religiososque perduxit, ut quod
venerari soliti sumus inreverenter cogamur adsumere.
nec plura adludens, ea vox audita laborum prima tulit
finem primamque loquentis ab ore eripuit pater ac stupe- 10
factus numine pressit: non perfecit quod dicebat Ascanius,
sed ne res necessario dicta verteretur in iocum, vocem
eius primam altius intellexit pater ac tenuit atque in
memoriam revocans praedictam famem dictum miratus est
illius aetatis et apud se quod adverterat pressit, sic deinde 15
120 erupit in vocem: *salve, fatis mihi debita tellus vosque, ait,*
o fidi Troiae salvete penates! cum haec dicit et nunc
salutat fatalem terram, quam olim videre cupiebat, ostendit
se certum non habuisse, cum fluvium fuisset ingressus.
continuo ergo ait: salve terra fatorum mihi voluntate de- 20
creta, salvete dii penates, qui mihi fidem vera pronunti-
ando servastis. *hic domus, haec patria est:* haec dicta
plena gratulatione proferebantur et ea magis causa, ut
securiores redderet suos, quod navigandi iam ac laborandi
necessitas fuisset absumpta. quod ut magis probaret verum 25
esse, addidit paternae sententiae firmitatem dicens *genitor*
mihi talia namque (nunc repeto) Anchises fatorum arcana
reliquit: modo mihi, inquit, veniunt in mentem dicta patris
mei, quae mihi ex fatorum arcanis intimavit; dixit enim
125 *cum te, nate, fames ignota ad litora vectum accisis coget* 30

---

1 *tenere* V corr. ed. 3 *heus* V: Donatus *heu* interpretatur, ergo aut hoc scribendum cum ed. aut eum *heus* et *heu* idem putasse statuendum est. 6 *nostra est* ed. 10 *actuperfatus* V. 15 *apud se quod* V *quod secum* ed. | *averterat* V corr., sed *pressit* temere mutavit ed. 16 *rupit* V ed. | *continuo* ante *salve* inepte inseruit ed.: ordinem interpretandi Don. mutavit. 22 *haec patria* V *hic p.* ed. 25 *absumta* V om. ed.

dapibus consumere mensas, tum sperare domos defessus ibique memento prima locare manu molirique aggere tecta: cum ad ignota, inquit, perveneris loca et extremam famem fueris passus et eam quae te cogat etiam sacras mensas
5 invadere, illic spera perpetuam requiem, illic firmissimam sedem, mox denique adgredere fundamentorum coepta et institutionem domorum felicibus auspiciis suscipe. *haec erat illa fames, haec nos suprema manebat exitiis positura modum:* magna confirmatio animorum, illorum scilicet
10 quos iste turbaverat casus. fames ista, inquit, optanda potius fuerat quam metuenda; venit enim cum malorum omnium fine et parvae necessitatis horrore adversis solitis terminum dedit. hoc sic positum est, ut signum potius videatur esse quam poena. quis non optaret inediam
15 talem, quae praeterita mala propelleret et securitatem plenam sponderet in posterum? *quare agite et primo* 130 *laeti cum lumine solis quae loca quive habeant homines, ubi moenia gentis vestigemus et a portu diversa petamus:* securi de perpetua requie, mox ut sol crastinus fulserit,
20 haec agamus: exploremus primo quae loca sunt, hoc est qualia, quive habent homines, humani scilicet an feri, propter novitatis incerta, vel ubi sint ipsorum hominum moenia, quo possimus a portu deflectere. *nunc pateras libate Iovi precibusque vocate Anchisen genitorem et vina*
25 *reponite mensis:* interea, antequam diei alterius actus adventent, nunc vinum fundamus pateris Iovi vel honorificas preces patri meo, duobus scilicet auctoribus signi per quod securi sumus effecti; nam et qui iussit et per quem iussa ipsa perlata sunt in honore maximo primi esse debent.
30 et vinum mensis reponite: ut potarent in ipsa laetitia et essent solo interim vino ipso contenti, quoniam panis de-

---

2 *manum* V. 12 *horrore* V *h. et* ed. 20 *sunt* et *habent* V ed. non correxi, quamquam *sint* sequitur, propter similem locum 9, 667. 21 *quivel* V corr. ed. 23 *possemus* V *possimus* ed. 24 *anchisem* V, sed infra et alibi in interpr. *-sen.* 26 *nunc* V *hoc* ed. | *vel* V ed. aut *et* corrigendum aut Don. *precibusve* legisse putandus est.

135 fuerat. *Sic deinde effatus frondenti tempora ramo implicat.* cinxit tempora sua ramo frondenti, mox ut haec dixit; hoc aut laetitia fecerat aut honorum divinorum sollemnitas. *et geniumque loci primamque deorum Tellurem nymphasque et adhuc ignota precatur flumina, tum Noctem Noctisque* 5 *orientia signa Idaeumque Iovem Phrygiamque ex ordine* 140 *matrem invocat et duplicis caeloque ereboque parentis:* cum multa iniungeret sociis, ipse ab obsequiis deorum vacuus esse non potuit; obsecutus est quippe genio loci, secundo terrae ad quam venerat novus, dehinc nymphis 10 propter aquam, ut commoda peregrinis esse potuisset; flumina quoque, licet adhuc ignota, deprecabatur: ipsa fuit causa fluminum, ipsa nympharum; tum, hoc est deinde, Noctem Noctisque orientia signa, quoniam die consummato ipsa iam fuerant ventura, ut caelo terraque propitia 15 haberet quae homines venerantur; Iovem quoque patrium deum qui in Ida monte colebatur et matrem deum vocat ex ordine. semel positum ex ordine non semel, sed saepius debemus accipere, ut sit cingit lauro tempora et ex ordine, hoc est non confuse, sed singillatim enumeravit omnis et 20 omnibus obsecutus est addens duplicis parentes suos, hoc est duos, Venerem caelo, Anchisen ab inferis. *hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto intonuit:* clarum aperto favore auxilia sua significantem accipiendum est. *radiisque ardentem lucis et auro ipse manu quatiens ostendit ab* 25 *aethere nubem:* usque adeo hilaris signo Iovis favor apparuit, ut nubes non fusca nec taetra sed aureo colore apparuisset, quo signo conpertum est mox Aeneae preces auditas. ter autem intonuit, ne, si semel factum fuisset, casus putaretur apertis signis monstrata prosperitas: 30

---

7 *caeloque* om. V. 14 *consummato* V *consumpto* ed. 16 *patrium deum* V *patrem deorum* ed. 19 *et ex* V *ex* ed. 23 *clarum* — 24 *significantem accipiendum* V ed. cf. 10, 8 *-rus -cans -dus* ed. post. 26 *hilaris* V ed. *hilari*? an *hilaritatis*? | *pavor* V *favor* ed. 27 *taetra* V *terrea* ed. 30 *putaretur apertis* V *sed cum ter intonuisset* interpos. ed. | *monstrata* V *monstraretur* ed.

factum est ergo saepius et contra morem naturae mundo nubibus caelo. una tantum nubes visa est, sed radiis ardens lucis et aureo splendore rutilans atque ita, ut in ipsa quoque esset prosperitatis signum. ipse manu quatiens
5 ostendit ab aethere nubem: ipsam nubem sic Iuppiter demonstravit plaudens manu, ut appareret eum cepisse vota et gratulatum quod Troiani ad Italiam venissent. *diditur hic subito Troiana per agmina rumor advenisse* 145 *diem quo debita moenia condant:* rumor repente exoriens
10 ad auris omnium magna cum gratulatione pervenit adserens venisse tempus et diem quo dari opera condendis debitis aedificiis posset. *certatim instaurant epulas,* hoc est convivium revocant, *atque omine magno crateras laeti statuunt et vina coronant:* vinaria vasa coronaverunt novis rebus
15 prospera omnia facientes.

Postera cum primo lustrabat lampade terras orta dies, urbem et finis et litora gentis diversi explorant: [haec fontis 150 *stagna Numici, hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos]:* cum vero posterior dies solis radiis claruisset,
20 successit eorum conplendorum cura quae superiore luce Aeneas vestiganda mandaverat. divisis igitur celeritatis causa officiis quae perquirerent consulto partiti sunt, alii urbem, finis alii, nonnulli commanentis et litora requirebant, tunc renuntiaverunt stagna Numici illic esse et Thybrim
25 fluvium et terras regionis illius fortis Latinos incolere. *tunc satus Anchisa delectos ordine ab omni centum oratores augusta ad moenia regis ire iubet, ramis velatos Palladis omnis:* licet fatalis terras esse constaret, tamen officiis

---

2 *sed radiisque ardentem lucis et auro splendor rutilans* V: haec librarius rubro colore scripsit ad lemma aberrans, quare corrigere non dubitavi, inepte ed. rectius ed. post. 6 *cepisse* V *excepisse* ed. 10 *cum* om. ed. 11 *dari opera* — 12 *posset* V *d. operam p.* ed. *dare operam possent* ed. post. 14 *vinaria* — *coronaverunt* om. ed. 15 *omnia* V ed. *omina*? 17 *haec* — 19 *Latinos* deest in V, sed explicatur. 21 *investiganda* ed. 23 *requirebant* V *requirentes* ed. 24 *esset* V *esse et* ed. 25 *fortis* V *forte* ed. 26 *dilectos* V. 28 *terra* ed. | *tamen* V *in* ed.

primum rex advena regem loci credidit adgrediendum neque eum in superbiam duxit successus ille qui fatis suffragantibus debebatur. misit legatos centum placituros et nomine legationis et numero legatorum et magis obsequia sua commendans ambitione multorum. talis 5 autem delegit omni ordine, hoc est ex omni multitudine per electionem separatos, qui legationis ipsius partis congrue conplere potuissent. coronarentur autem omnes oleis ramis et visu potius quam verbis pacem procul 155 videntibus nuntiarent. *donaque ferre viro:* ne sine munere 10 esset legationis officium. *pacemque exposcere Teucris:* et oblatis muneribus pacem Teucris necessariam postularent, ne quis eos putaret venisse violenter. *haut mora, festinant iussi:* sic in celeritate explicandorum mandatorum et iubentis auctoritas et obsequendi studium probabatur, quod 15 non solum ostendebatur in facto verum etiam in ipsa properatione cumulabatur. *rapidisque feruntur passibus:* non tantum studio conplendi adgressi sunt peragendi munus, sed iter quoque ipsum festinatis gressibus agitabant. festinati gressus fuerunt ideo, ut optata maturius proveni- 20 rent. *ipse humili designat moenia fossa:* haec legatis agentibus non putavit Aneas differenda operum coepta, donec responsum referret missa legatio. gerebat enim fatorum fiduciam, quae illi ipsarum terrarum dominium dederant. ipse humili designat moenia fossa, hoc est 25 non magnae altitudinis futura moenia designabat manu sua; hoc enim vel vota condentis vel auspicia exigebant. *Moliturque locum,* hoc est disponit, *primasque in litore sedes castrorum in morem pinnis atque aggere cingit:* in auspiciis constituendorum moenium tale genus operis con- 30 160 locavit quod defensionem sponderet conditoribus suis. *iamque iter emensi turris ac tecta Latinorum ardua cernebant*

---

1 *rege in* V *regem* ed. 6 *ordine* V *multitudine* ed. 8 *coronabantur* ed. 9 *oleis* V *olearum* ed. | *et visu* V *ut v.* ed. 14 *si* V *sic* ed. 19 *festinatis* V *festinanter* ed. 20 *festinati* V *celeres* ed. | *optatam* V. 24 *factorum* V edI *fatorum* edF. 32 *mensi* pro *emensi* V.

iuvenes muroque subibant: cum haec ageret Aeneas, iam legati sic confecerant iter, ut viderent Latinorum turris et domorum tecta. turris viderunt primo, quae altiores fuerunt, cum vero propiores efficerentur, viderunt et do-
5 morum tecta. muroque subibant, hoc est ad ipsum murum iam coeperant pervenire. describitur iam veterum incolarum mos studiumque bellandi: multis enim locis poeta adseruit asperam esse bellis Italiam et ad arma facile properantem, denique, ut unum de multis demus exemplum
10 (4, 227), „non illum, inquit, nobis genetrix pulcherrima talem promisit Graiumque ideo bis vindicat armis, sed fore qui gravidam imperiis belloque frementem Italiam regeret". idcirco hoc loco virilem Italorum sexum ostendit iam inde a pueris studio exerceri virtutis, denique sic ait:
15 *ante urbem pueri et primaevo flore iuventus exercentur equis domitantque in pulvere currus.* exercebantur equis aut eorum dorso inpositi aut habenas retinentes in curru. in pulvere inquit, quia illic iuncta animalia melius domantur ubi difficilior tractus est. *aut acris tendunt*
20 *arcus aut lenta lacertis spicula contorquent*: alii mittendis 165 sagittis operam dabant, alii ut hastilia mitterent meditando discebant. *cursuque ictuque lacessunt:* provocabant se alii ut cursu contenderent aut ictu. ictum possumus intellegere, non ut ferirent se invicem, sed ut destinata percuterent.
25 haec omnia certaminum genera idcirco usu et exercitatione discebant, ut veris bellis et verae dimicationi proficerent. pueros dixit et iuvenes his studiis fuisse intentos, ex omnibus igitur quae iuvenes, quae pueri gererent. *cum praevectus equo longaevi regis ad auris nuntius ingentis*
30 *ignota in veste reportat advenisse viros:* fuit occasio ut ex illis qui equis exercebantur praevectus equo, hoc est ante legatos ad regem vectus, nuntiaret viros venisse ingentis et ignota veste, et, quia turbatus repentino conspectu pro qualitate animi sui nuntiabat quae viderat,

---

3 *quae* V *quod* ed. 11 *bisum* . . . *indicat* V. 16 *in* om. V. 17 *repositi* ed. 29 *provectus* (et infra) ed.

nuntiabat eos esse ultra humanam formam, eo accedebat et terror ex vestium specie ignota descendens. *ille intra tecta vocari imperat et solio medius consedit avito:* sedit regio more et eos tecta iussit intrare.

170 *Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis* 5 *urbe fuit summa, Laurentis regia Pici, horrendum silvis et religione parentum:* describitur domus Latini, ut in ea ostendatur genus eius cucurrisse per reges, ut laus ipsa Aeneae laudationi proficiat. in ipsa, ut dictum est, domus descriptione adicitur felicitas generis, dum imaginum, 10 dum statuarum series recensetur. domus igitur fuit admirabili magnitudine, pulchritudine satis egregia, urbi summae et regali dignitati conveniens. huius decus augebat numerus columnarum centum, quibus erecta in altitudinem sublimior ferebatur. Laurentis regia Pici: laus eiusdem domus et 15 a persona domini veteris sumebat augmentum, fuit enim Pici Laurentis. non frustra adiectum est Laurentis, ne forte existeret Pici alterius nomen et ex similitudine nominum confusio nasceretur, ut in primo libro (650) positum scimus „ornatus Argivae Helenae", ut, si essent 20 aliae, ostenderetur ipsa regionis signo et monstraretur quae esset. cum autem nominat tectum, intellegendum est solum interim describi vestibulum, ut ex qualitate triumphalis ingressus qualia fuerint reliqua colligi posset. illic non picturae fuerunt turpium fabularum nec adulteria 25 vel inliciti amores inpressi, non alienae palmae vel gloriae. horrendum silvis et religione parentum: silvarum densitas, umbra nemorum et originalium parentum imagines addebant tremorem loco, ut sine reverentia videri non posset. *hic sceptra accipere et primos attollere fasces regibus omen* 30 175 *erat, hoc illis curia templum, haec sacris sedes epulis, hic*

---

7 *relegione* (ut plerumque) V. 12 *pulchritudine* V *et p.* ed. 14 *vecta* V ed. *erecta* nos. 17 *non — Laurentis* om. ed. 20 *ornat* pro *ornatus* V. | *essent aliae* V mut. ed. 21 *ostenderentur* V corr. ed. 23 *describit* cum falsa distinctione ed. 25 *fuerunt* V *-rant* ed. 31 *haec* V *hae* ed. | *sacrae* V *sacris* ed. quod unum interpretationi convenit.

ariete caeso perpetuis soliti patres considere mensis: ecce propter quam causam dixit tectum augustum, vel quia domus fuit regum vel quia reges ipsi illic regnandi auspicia sortiebantur, illic omnem suscipiebant potestatem, 5 illic primum fasces erigebant. tanta autem incolarum religione suspiciebatur, ut hoc illis esset curia, hoc templum, in hoc sacra convivia exercerentur. perpetuis mensis dixit in longum conpositis et digestis. descriptum est vestibulum domus et morum consuetudo signata, ... 10 .... vel partem propositionis qua dixit horrendum religione parentum et narrat specialiter qui fuerint in illo ingressu parentes Latini. *quin etiam veterum effigies ex ordine avorum antiquae cedro:* ex ordine intellegendum est ita: ut nati fuerant, sic eorum imagines fuisse con- 15 positas. antiquae cedro aut ex cedro factae, quia hoc genus ligni tineam nescit corruptionemque ex antiquitate non sentit, aut cedria perunctae, quoniam ligna custodit ac servat. *Italusque paterque Sabinus vitisator:* hoc signum meruit, quod multas vitis instituit in Italia. *curvam* 20 *servans sub imagine falcem:* servans falcem hoc est perpetuam tenens. sub imagine sic accipiendum, quod sic eam teneret, ut eius visu semper delectaretur, utpote amator vitium, quarum culturas omnis putatio falcis antevenit, sub imagine ergo sub oculis imaginis suae. tamen, 25 quoniam mox sequitur *Saturnusque senex,* potest videri 180 ipse magis cum falce descriptus, ut prius dicta sit species quae ferebatur, dehinc quis ferret ostensus, ut sit ordo: Italusque paterque Sabinus vitisator Saturnusque senex curvam servans sub imagine falcem. ecce patefecit quid

3 *reges ipsi* V sed *reges* in *regis* corr. 4 *sortiebatur* V. 5 *illic* V *atque i.* ed. 6 *hoc illis* V *haec i.* ed. 7 *in hoc* V *et in h.* ed. 9 post *signata* spatium quattuordecim litterarum vacat, sequitur *vel partem* V *transit ad aliud* supplendum puto. 10 *qui dixit* V *quum d.* ed. 11 *parentum* V *patrum* ed. 13 *antiquae caedro* utroque loco et 623 V. 17 *caedria* V *cedri oleo* ed. 23 *culturas omnis* V edI corrupit edF. 24 *tamen* V edI *tantum* edF. 25 *potest* — 29 *falcem* om. ed. 29 *pater fecit* V corr. ed.

sit sub imagine servans falcem; sic enim sub imaginis oculis fuit, ut ferentis aspectibus semper esset obiecta. curvam cur dixerit manifestum est; sic enim formatur, erecta quippe aliam speciem facit. *Ianique bifrontis imago:* una, inquit, Iani statua fuit, sed duas habuit 5 frontes perindeque facies duas, unam prae se, alteram dorso. *aliique ab origine reges:* a speciali enumeratione ad generalitatem se convertit conpendio referendi usus et illa causa vel maxime, ut augeret maiorum Latini numerum; in generalitate enim infinita aestimatio est et 10 plus intellegitur quam veritas habet. *Martiaque ob patriam pugnando vulnera passi:* tantarum illi gloriarum fuerunt, ut pro patria hoc est pro tuenda libertate vel augenda republica sua et pugnasse eos saepe et vulnera pugnantis excepisse dubitari non posset. *multaque praeterea sacris* 15 *in postibus arma:* indicia autem virtutis ipsorum rapta hostibus spolia testabantur, quae infixa postibus vel interius reposita quid singuli gessissent apertius indicabant. describuntur eadem ipsa hoc modo: *captivi pendent currus:* currus inter arma principaliter posuit, quod fuerint adversi 20 hostibus; armorum enim significationes et multas Vergilius posuit et diversas, proinde pro armis habetur quicquid hos- 185 tem expugnare potuerit. *curvaeque secures et cristae capitum et portarum ingentia claustra:* omnia sine modo vel numero posuit, ut plus arbitretur unusquisque quam fuit. ne vero 25 in expugnatione civitatum atque portarum leve quiddam videretur effectum, ingentia inquit claustra, ut aspectu ostenderent quantum laboris fuisset inpensum, ut superata retraherentur. *spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis,*

---

5 *imago* lemmatis finis in V *vestibulo astabant* add. ed., sed non explicatur. 7 *deorso* V *prae dorso* ed. | *a* om. V ed. 9 *maiorem* ed. 12 *vulnere* V. | *illic* V *illi* nos: locum temere mut. ed. 15 *dubitare* V corr. edF. 17 *quae — interius* in absurdum corrupit ed. 18 *cessissent* V corr. ed. 20 *fuerunt* ed. 23 *potuerit* V *possit* ed. 27 *aspectus* V corr. ed. 28 *quantus laboris fuisse* V corr. ed. | *superata* om. ed. 29 *subtraherentur* ed.

quibus apparebat illos non tantum terrestribus bellis verum etiam navalibus proeliis certavisse et his quoque extitisse victores. *ipse Quirinali lituo parvaque sedebat succinctus trabea laevaque ancile gerebat Picus equum domitor:* ipse
5 Picus equorum domitor perindeque studio equitandi praestans sedebat, sedebat ferens in dextra lituum, id est regium baculum in quo potestas esset dirimendarum litium, et parva trabea succinctus, aut vere parva, quia extant tales, aut non magni pretii, quoniam apud veteres ambitiosi
10 cultus non fuerunt, laeva vero gestans ancile, quod esse fertur scuti brevioris nomen. *quem capta cupidine coniunx aurea percussum virga versumque venenis fecit avem Circe* 190 *sparsitque coloribus alas:* Circe, inquit, cum haberet hunc maritum, malignitate ducta detestabilis scientiae suae virga
15 aurea percussit et ex viro tam nobili tantarumque gloriarum avem fecit gestantem in pinnis varietatem colorum ad indicium coniugis saevae (quod ait aurea, et coniugi aptari potest, ut sit locus cum vituperatione, quae graeca lingua ironia dicitur, ut alio loco (6, 523) „egregia in-
20 terea coniunx“) virga aurea, ut iam dictum est, qua illa magis utebatur et cuius ille indicia habebat in pinnis. hoc non sine magna vituperatione positum est nec sine dolentis adfectu, tantum virum tantarumque gloriarum tantique generis sceleratis uxoris artibus in avem esse
25 conversum. *tali intus templo divum patriaque Latinus sede sedens Teucros ad sese intra tecta vocari imperat:* intra tecta dixit, quae descripta non sunt; ex vestibuli enim qualitate intellegi potest interior domus. certe tectum dixit primo (170), cum unum domus describeret

---

6 alterum *sedebat* om. HO ed. 7 *regum* ed. 15 *iam* V *tam* ed. 17 *saevae* V *suae* ed. 19 *hironia* V. | *alia* V corr. ed. | *aegregia* V *erepta* ed. 20 *virga* V *vel v.* ed. 21 *magis* V *magicis* edI *in m.* edF mihi Don. magis quam venenis intellegere videtur. | *in pinnis* om. ed. 24 *scelerati* V *-tis* nos *-tae* ed. 26 *sese* V *se* ed. | *intra — imperat* et quae infra sequuntur *et solio — avito* Don. aberrante ad v. 169 memoria scripsit.

membrum, nunc pluraliter posuit tecta, ut ostenderet iam se de interioribus loqui. et solio medius consedit avito: in media sella qua usi sunt maiores eius sedit. *atque haec ingressis placido prior edidit ore:* vidit homines et ex ipsa qualitate vestitus cuius gentis essent evidenter 5 agnovit et his plurimum detulit, ut primus verba faceret, facilem se et benivolum praebens.

195 *Dicite, Dardanidae:* supra dixit „nuntius ingentis ignota in veste reportat advenisse viros“ et revera, si aetates considerentur eorum qui ante urbem per ludum bellicis 10 certaminibus exercebantur, potuerunt et formam mirari hominum et nescire qui essent; non enim vestitu primaevi eorum genus poterant nosse, ut Troianos esse perferrent; sed ubi ad Latinum ventum est, hominem longaevum atque prudentem et usu in omnibus instructum, et vestis 15 eorum habitum vidit, continuo scivit esse Troianos ideoque sic coepit: dicite, Dardanidae; verum, ne Troiani mirarentur nomen suae gentis a Latino prolatum, addidit *neque enim nescimus et urbem et genus.* superfluum quippe ei visum est quaerere quod videndo cognoverat; 20 si enim non nosset intellegere ex habitu homines, diceret qui estis aut unde? omissa sunt igitur ista et in conpendio fuerunt; opinionem enim habuit maximam Troia, cum floreret felicitas eius, et de adversis facta omnibus fuerat notior. illud tamen quod necessario fuerat requi- 25 rendum subdidit, † *auditique advertitis aequore cursum:* auditum aliquem secuti venistis? *quid petitis?* intellexerat

---

4 *priore dedit ore* V. 6 *detulit — faceret* corrupit ed. 7 *se* V *enim se* ed. | *praebuit* ed. 11 *formam* V ed I *famam* ed F. 12 *vestitum promovere* V *vestitu primaevi* (cf. 441) *eorum* nos *vestium primo vere* ed. 13 *proferrent* ed. 15 *vestis* om. ed. 20 *quippe* V *enim* ed. 21 *si enim* V *si* ed. | *nosset* V (cf. 324) *posset* ed. 23 *fuerunt* V *posita sunt* ed. 25 *tamen* V *tantum* ed. 27 *auditum aliquem se uti venistis* V *secuti* nos „dicit auditi ut demonstraret se ab aliquo audivisse unde venissent Troiani“ temere substituit ed.: Don. *auditu quo* (aliquo) legisse videtur et lemmatis verba pro interrogatione accepit, ut *requirendum* docet, sed crucem affigere malui quam corrigere.

enim aliquid eos velle postulare. *quae causa rates?* quaesiit causam qua factum est ut remotis regionibus ceteris ad Italiam venissent. *aut cuius egentis litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?* aut cuius rei egentes tantum
5 laborem suscepistis? ut autem evidentiorem faceret interrogationem suam, haec adnexuit: *sive errore viae:* via pelagi non in undis, sed in caelo est, denique, cum nubes obducuntur nec videntur sidera, nauta fertur non quo scit aut instituit tendere, sed quo duxerint venti: ut ipse
10 alio loco (3, 201) Vergilius ait „ipse diem noctemque negat discernere caelo nec meminisse viae media Palinurus in unda". *seu tempestatibus acti, qualia multa mari nautae* 200 *patiuntur in alto:* novi, inquit, non solas tempestates sed et multa alia nautis accidere, cum in alto sunt pelagi.
15 conplevit interrogationum textum, incipit iam prosequi ea quibus offert benivolentiam ante petitionem aliquam securos efficiens. *fluminis intrastis ripas portuque sedetis, ne fugite hospitium:* nec reprehendit quod Troiani fecerant auctoritate sua et aliud obtulit quod excederet hospitium
20 litoris. quod, inquit, ripa vos fluminis tenet et portus, venite potius et hospitio nostro iungimini. hospitii significatio et domus habitationem tenet et gratiam iungendae amicitiae. utrumque igitur Latinum obtulisse manifestum est in eo quod dixit ne fugite hospitium neve ignorate
25 Latinos. addidit suam et suorum laudem, ut optimorum se amicitias sortituros intellegerent: *neve ignorate Latinos, Saturni gentem, haut vinclo nec legibus aequam, [sponte sua veterisque dei se more tenentem]:* debetis, inquit, nosse Latinorum Saturniam gentem nec metu legum, sed natura
30 mansuetam. cum ipse dixisset quid petitis, praevenit

---

1 *quaesite* V *quaesivit* ed. 2 *ceteri* V corr. ed. 4 *aut* in lemmate *at* in interpr. V ed. corr. U. 13 *solas* V *solum* ed. 14 *accedere* V corr. ed. | *pelago* ed. 16 *cuius offerit* V corr. ed. | *ante* V *atque* HU ed. 18 *auspitium* (et infra) V. 20 *quod inquit* V ed. *quid i.* H fortasse recte. 27 *sponte* — 28 *tenentem* deest in V, sed explicatur. 29 *ne metu* V *non m.* ed.

eorum postulatum et ultro obtulit quod sperabat petituros. melius enim fuit sponte ingerere quod poscentibus non fuerat negaturus in eo ipso cumulans beneficium, ut eorum amicitiam offerret qui a Saturno genus et originem
205 ducerent. *atque equidem memini (fama est obscurior annis)* 5
Auruncos ita ferre senes: veterem satis memoriam replicat non tantum sibi vitio antiquitatis obscuram verum etiam Auruncis senibus tenuiter notam, qui referre consuessent quae infra tenuit. *his,* inquit, *ortus ut agris Dardanus Idaeas Phrygiae penetravit ad urbis Thraeiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur. hinc illum* 10
210 *Corythi Tyrrhena ab sede profectum aurea nunc solio stellantis regia caeli accipit et numerum divorum altaribus auget:* omnibus modis adstruens benivolentiam suam multis generibus ostendit eos habere debere fiduciam praesumendi, 15
adeo ut adserat inter Troianos et Italos nullum generis esse discrimen. licet obruerit, inquit, longa temporum series veritatem, novatur tamen cum relationibus senum, transit ad posteros. Auruncis quippe, ut memini, referentibus habeo conpertum Dardanum in his genitum terris 20
profectum esse ad Phrygiam, inde isse ad Thraeiciam Samum, quae posterioribus saeculis Samothracia dicta est, a Corytho vero ad caelum esse sublatum et merito inlustris vitae relatum inter deos. unde coepit inde conclusit dictionem suam; nam incipiens dixit „dicite, Dardanidae" et quod clausum inter initia fuit aperuit in fine, 25
ut Troiani non tantum de nova amicitiae coniunctione verum etiam de adfinitatis fiducia gloriarentur.

Dixerat, et dicta Ilioneus sic voce secutus: licet ille interrogationem suam relevaverit offerendo Troianis quae 30

---

2 *ingredere* VH *ingerere* OU ed. 9 *quae infra tenuit* VU *meminit? quae inter tenuit* H *quae ītenuit* O *quae sequuntur* ed. | *his inquit ut* V *his ortus ut* ed. 12 *a sede* ed. 19 *transit ad* V *deinde* interpos. ed. 23 *chorintho* V (supra recte). 24 *conclusit* V *concluxit* H *conduxit* OU ed.: ergo in communi exemplari *concluxit* fuisse videtur, quod H reddidit, ceteri falso emendaverunt.

fuerant petituri, tamen respondendum omnibus fuit. idcirco Ilioneus haec post Latini dicta prosecutus est et, quia principiorum sollemnitas non adeo necessaria videbatur in ea causa in qua Latinus ipse benivolum se demonstra-
5 verat et plus quam optari potuisset iam sponte contulerat, tamen non intermisit principiorum formam nec in totum prosecutus est. ait enim *rex, genus egregium Fauni;* hoc est enim principium. quod est brevissimum, si verba considerentur, si vero brevitatis ipsius intellectum placeat
10 considerare, inveniemus late diffusum. rex inquit: a fortuna sumpta laudatio; quid enim felicius eo qui teneat regnum, qui populos regat, qui condat leges, in cuius incolumitate constituatur omnium salus, qui redundet divitiis et qui omnis honore atque auctoritate praecellat?
15 genus egregium: plus voluit esse nobilem nasci quam fieri. Fauni inquit: elegit unum de omnibus Latini patribus cuius nomen insereret laudi, licet nominando genus egregium omnis eius tetigerit retro maiores ipsumque Faunum qui fuit ex ipsis. forsitan quaeratur unde Ilioneus
20 recens ad Italiam genus Latini tam cito nosse potuerit. mirandum non est id facile nosse potuisse quod ingressuro domum regis in ipso vestibulo constat ingestum. incipit iam post principiorum brevitatem quaesita ante narrare, sed non eodem ordine quo sunt proposita, in
25 quo nullum est vitium; in his enim hoc quaeritur, ut omnibus tunc rogatis occurrat. *nec fluctibus actos atra subegit hiems vestris succedere terris nec sidus regione viae* 215 *litusve fefellit:* quam cito et quam breviter totum dixit! venientis ad te, inquit, nec vis maior tempestatum aut
30 impetus maris invitos inpulit nec error induxit. *consilio*

9 *brevitatem ipsius intellectus* ed. 14 *omnis* V *omni* ed. 15 *nubilem* V. 17 *inserere* V corr. ed. 18 *egregium* V *omnium* add. ed. 19 *quaeritur* ed. 20 *regens ad* V *recens veniens ad* ed. | *potuerit* V *-rat* ed. 21 *ingressuro* V *-sum* ed. *-so* ed. post. 23 *iam* om. ed. | *quaesit tanta* V *quaesita* ed. *quaesita ante* nos. 24 *ne adeo* V *non eo* ed. *non eodem* nos. 27 *terris* V *tectis* ed. 29 *aut* V *nec* ed.

hanc omnes animisque volentibus urbem adferimur: voluntate potius nostra et uno omnium consilio communique tractatu ad hanc urbem sumus advecti. *pulsi regnis, quae maxima quondam extremo veniens Sol aspiciebat Olympo:* non potuit altitudinis moenium melius instar ostendere; 5
sol enim cum exoritur et adhuc in exordio mundi est perindeque in humili, nihil videt primo nihilque contingit nisi quod altissimum ceteris fuerit. dixit laudem moenium civitatis suae quae fuerunt, cum incolumia perdurabant, venit ad hominum praedicationem, quae 10
commendationis, non iactantiae causa interposita est, simul ut adfinitatem Latini cum sua suorumque monstraret esse coniunctam perindeque ab eo alienos non esse qui rogarent. quod ipsum non frustra prosequebatur apud eum qui omnem vetustatis ordinem nosset, usque 15
adeo ut seriem rerum Latinum dicentem ante momentum audisset. *ab Iove principium generis:* plus Ilioneus dixit quam Latinus; Latinus quippe dixit Dardanum ex Italia genitum dedisse originem Teucris, Ilioneus vero ait Iovis nostri auctor est generis, quod usque adeo laudabile fuit, 20
ut hoc iterum repetisset dicens *Iove Dardana pubes*
220 *gaudet avo,* ecce et tertio *rex ipse Iovis de gente suprema.* confirmandae veritatis causa eandem rem non semel, sed secundo et tertio repetivit nominans Iovem, quo nullus potior esset, Iovis, inquit, caput est generis 25
nostri. ecce non recusavit Dardanum, sed posterioris hunc temporis dixit et non a Dardano coepisse Troianorum genus, sed a Iove, qui esset diis omnibus potior. denique addidit Iove avo gaudet posteritas Dardani, quem Latinus dixerat ex Italia profectum ad Troiam. et, quia 30
in omni genere Troianorum nullus potior fuit, solum frequenter nominat, de ceteris tacet nec inmoratur in

---

7 *que* om. ed. 8 *ceteris* om. ed.: cf. 3, 249. 12 *cum suorum quae* V *cum sua suorumque* ed. 16 *docentem* ed. 19 *iovis* (et infra) V *Iuppiter* ed. 20 *quousque* V *quod usque* nos *usque* om. ed. 21 *iterum* V *interim* ed. 26 *recusat* ed. 28 *notior* V ed. *potior* nos. 31 *solum* V *s. eum* ed. 32 *nec* V *et* ed.

nomine Dardani, quem Latinus veterum fabulis recognitum habuisse testatus est, sed strictim transit. cum vero venisset ad nomen regis sui, quem procul dubio ceteris meliorem debuit demonstrare, ait rex ipse Iovis de gente
5 suprema: supremam sic dixit, quomodo ait (49) „tu sanguinis ultimus auctor", ut enumeratione maiorum ipse videatur in fine. proximiorem tamen dixit Aenean Iovi quam ceteros, quoniam nepos fuit. *Troius Aeneas tua nos ad limina misit:* debuit hoc loco subiungi causa
10 propter quam missi videbantur, sed causam causae primo subiecit, ut procurata miseratione facilius quod optabat eliceret. idcirco dilata petitione subnexuit *quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis tempestas ierit campos, quibus actus uterque Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis*
15 *audiit et siquem tellus extrema refuso submovet oceano et* 225 *siquem extenta plagarum quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui:* quae calamitas oppressit Troiam ex ordine fuerat referendum, ut posset ex duris adversisque moveri miseratio, sed removendae fuerant morae, ut mature posset
20 effectus legationis inpleri. utramque igitur temperat partem, ut tangat haec nec tamen in ipsis diutius commoretur, usus conpendio relationis et eo quo maiorem miserationis moveret adfectum; quicquid enim non tacet fama et quod ad caeli usque partis et ultra oceanum perfert constat esse
25 durissimum; bona quippe vel adversa pro qualitate sui habent famam et magis mala quam bona. ait igitur Ilioneus quid repetam nostrorum malorum textum, cum tempestatis illius violentiam acerbitatemque infandam fama referente confidam tuis auribus cognitam, cum hanc
30 ad finem quoque mundi et ultra siderum metas credam

---

8 *nepos* V *Iovis n.* ed. 10 *videbantur* V *fuerant* HOU ed. 12 *elegeret* V *eligeret* ed. *eliceret* nos. 15 *sicquem* (et infra) V. 17 *oppressit* V *oppresserit* ed. 18 *possit* V *posset* ed. 24 *usque* V *vel qui* HOU om. ed. | *perfert* V *perfertur* ed. 25 *durissimum* V *firmissimum* ed. | *sui* V *sua* ed. 27 *textum* V *contextum* (ut solet) ed. 29 *cum hanc ad finem* V temere mut. ed.

pervenisse? clades tamen ipsas ex eo metire et quid emerserit fato confligentibus duabus orbis partibus, Asia scilicet et Europa. *diluvio ex illo:* non dixit bello, sed diluvio; bello quippe confecto aliquid superat quod superioris temporis indicia monstrando testetur, post diluvium 5 vero nihil remanet, quicquid invenerit tollet. *tot vasta per aequora vecti:* post calamitatem gravissimam belli deterior nos casus excepit; nam sensimus maria et longa et gravia nec unius tantum, sed plurimorum litorum. movit ecce necessariam miserationem; quis enim non do- 10 leret eos quos ex superiore imperii culmine saeviens fortuna deiecit? dehinc mira poscendi arte ipsam petitionem inducit ostendens negandam non esse, facilem vero commodamque praestanti, quod in omnibus suasoriis necessarium est, quotiens aliquid postulamus. *diis,* inquit, *sedem* 15 *exiguam patriis:* ecce et modicum quid petit et diis concedi postulat sedem hoc est templum (ubicumque enim deorum simulacra fuerint templum est) et ostendit sacrilegium esse, si illis sedes vel maxime exigua denegetur. quanta laude talis petitor dignus! quantum pius erga 20 deos et religiosus invenitur qui omissa hominum interim causa diis primitus, quos secum Aeneas advexerat, desiderat provideri! si tamen agendi artem consideremus, in una petitione inveniemus et alteram. cum enim dicitur deos esse patrios, quis numinibus tribuat sedem cultore de- 25 specto? unde eo res redit, ut deorum facta commemoratione etiam hominibus sedes latenter postulata videatur. illud tamen quod ad homines pertinebat nec onerosum fuit 230 nec aliqua ratione difficile. *litus,* inquit, *rogamus innocuum et cunctis undamque auramque patentem:* quid tam huma- 30 num et tam simplex, morari velle in litore, nullius

---

2 *emerserit fracta* V *fracta* om. ed. *fato* nos cf. v. 224. 4 *quippe* V *quidem* HOU ed. 5 *indicia* V *initia* ed. 6 *quicquid* V *sed qu.* ed. | *invenit* ed. | *tollet* V *tollit* ed. 10 *movit* V *loca novimus* ed. | *necessaria* V. 11 *eos* V *de iis* ed. 14 *omnibus* V *orationibus* ed. 20 *erga deos* om. ed. 25 *patruos* V. 29 *litus inquit* V *litusque* omisso *inquit* ed.

molestiam pati, nullum onerari praesentia peregrini, uti aura, quam omnibus praestitit rerum natura communem, et habere aquae perennis copiam, quae nescit detrimenta, cum tollitur de sinu fontis aut de cursu fluminis rapitur?
5 *non erimus regno indecores:* superbum et arrogans fuit dicere ornabit te societas nostra, temperavit dictum et ait non tales sumus, ut pudeat te in amicitiam suscepisse Troianos. *nec vestra feretur fama levis:* nec pro levi ducimus quicquid in praesenti praestiteris. *tantive abolescet*
10 *gratia facti:* aut istiusmodi factum aliqua ex nostris sensibus deterget oblivio. *nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit:* gratulabuntur Ausonii nos sibi amicitiae foederibus esse coniunctos. hoc genere commodius fore generaliter spondet; specialitas enim, si definiret futuri
15 temporis spem, fieret levior, in infinito vero promisso plus sentitur quam potest exhiberi. post multa quae suadenter locutus est adhibet iusiurandum cum laude regis sui: *fata,* inquit, *per Aeneae iuro dextramque potentem, sive fide* 235 *seu quis bello est expertus et armis:* laudat quoque eius
20 fidem, quae vel maxime negotio novae amicitiae et firmitati foederis fuerat necessaria. ecce addit aliud, quo ostendat concedendi necessitatem et meritum petentium cumulet: *multi,* inquit, *nos populi, multae (ne temne, quod ultro praeferimus manibus vittas ac verba precantia) et petiere*
25 *sibi et voluere adiungere gentes:* multi populi rogaverunt volentes sibi adiungi societatem nostram: nec dixit qui nec dixit quanti, ut quod adserebat extolleret. multae: hic suspendenda pronuntiatio est, quoniam interposuit rem necessariam; et ne contemnas, inquit, personam
30 supplicum, quia ultro venimus preces tibi fundentes: et rogaverunt nos multae gentes et voluerunt multi populi

---

1 *onerari* V *-re* ed. 9 *abolescet* V *abolescit* ed. 17 *sui dicens* omisso 18 *inquit* ed. 20 *firmitati* V *-tis* ed. 21 *quo* V *quod* ed. 23 *multi inquit* V *dicit enim multi* ed. 25 *rogaverunt* V *r. nos* ed. 27 *adserebat* V *afferebat* ed. | *multa* V ed. *multae* nos. 29 *nec* V *ne* ed. | *personam* V *-nas* ed. 30 *et rogaverunt* V *r. enim* ed. 31 *voluerunt* V *nos* add. ed.

sibi coniungi. tractatus hic magnus est, ut credibile fiat quod non poterat credi. gentes enim plures, plurimi populi, quos nulla quaerendorum auxiliorum necessitas cogeret, quando poterant aliorum adminiculum quaerere, nisi quia muniri fortiore manu et meliorum accessu ornari 5 cupiebant? unde quia potuit dici si rogati estis, cur non est factum quod petebamini et supplices nunc esse maluistis? huic parti mox occurrit dicens *sed nos fata* 240 *deum vestras exquirere terras imperiis egere suis:* dimisimus, inquit, commodum nostrum et conpendium rema- 10 nendi et rogantis non sprevimus, sed deorum iussa quibus ad has terras agebamur praeponenda credidimus. haec dicendo nonnullum metum ingerit audienti, ne auderet negare quod promiserant numina. *hinc Dardanus ortus, huc repetit:* nec nos, inquit, huc aestimes novos venisse, 15 sed Dardanum remeasse cum suis, nec incognita petere, sed repetere originem nostram. *iussisque ingentibus urget Apollo Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici:* Apollo haec fieri iussit et sui auctoritate nominis coegit et inpulit potestate, ut quaereremus Thybrim et Numici 20 venerabilem fontem. multis generibus adstruxit petitionem suam: rogavit, terruit, denuntiavit inhumanum fore, si sperneret suos, sacrilegium quoque incursurum, si deorum iudicium refragatione violaret. *dat tibi praeterea fortunae parva prioris munera, reliquias Troia ex ardente receptas:* 25 praeterea inportune positum videbitur, quoniam nihil fuerat antea datum, si intellectus multorum interpositione confusus non reseretur. huius igitur aperiendi causa narrationis superiora repetamus retrahentes quae narrationem diviserunt: Troius Aeneas tua nos ad limina misit, dat 30 tibi praeterea fortunae parva prioris munera, reliquias Troia ex ardente receptas. ecce dictionis integritas, misit nos Aeneas, ut rogaremus te, praeterea dat tibi munera.

---

1 *credibile* V *incredibile* ed. 5 *meliorem* V *meliore* ed. *meliorum* nos. 13 *audiret* V. 15 *existimes* ed. 19 *nominis* V ed. *numinis*? 24 *iudiciorum* ed. *iudicia* ed. post.

ac, ne personae suae et eius qui miserat contemplatione ductus Latinus vilia duceret quae offerebantur, commendavit Ilioneus non tam specierum merita, sed eorum qui his fuerant usi. dat tibi, inquit, rex noster quae manente
5 fortuna Troiani imperii fuerunt parva; haec enim sola de incendio eripi potuerunt. in maiore enim vi cessante eligendi arbitrio quod potuerit rapitur. parva ergo fuerunt ante interitum Troiae, nunc pro magnis offeruntur: quod parvum dixit satiat dicendo reliquias esse. dat bis
10 accipitur: dat munera fortunae prioris parva, dat reliquias Troia ex ardente receptas. *hoc pater Anchises auro libabat* 245 *ad aras, hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis more daret populis, sceptrumque sacerque tiaras [Iliadumque labor vestes]:* etsi non sunt haec, inquit, magna per
15 se, pro magnis tamen accipi meruerunt, vel quia in usu talium virorum fuerunt. videtur hoc ominis fuisse, ut quod Aeneae pater habuit et socer gestavit id transiret ad eum qui loco patris futurus esset et socer. certe quanta mittentis gratia illud dare quod carissimum et religiosum
20 parentibus fuit! ipso, ait, utebatur Anchises, cum diis vota persolveret, ac per hoc libenter accipi debet quod fuit in obsequio numinum. illud vero quod gestamen fuisse Priami dictum est, ne omen traheret ex persona hominis lapsi et eius qui interisset cum imperio suo, ad-
25 didit tempus quo Priamus, inquit, floruit, † Iliadumque labor vestes, ubi fuit maior dignitas in speciebus muneris, hoc est in sceptro et tiara. sceptrumque sacerque tiaras:

---

3 *tam* V *tantum* ed. | *eorum* V *quoque* add. ed. 7 *parvae* V *parva* edF. 8 *pro magnis offeruntur* V corrupit edF. 13 *tiaras* finis lemmatis in V: *Iliadumque labor vestes* addidi eadem ductus ratione qua 1, 25. 14 *sua* V *satis* ed. *sunt* nos | *per se* V *sint* add. ed. 15 *ut quia* V *vel quia* ed. 16 *videtur* V *et vid.* ed. | *hominis* V ed. | *ut quod* V *vel quod* ed. 18 *quanta mittentes* V *qu. fuit mittentis* ed. 25 *inquit floruit* V *imperio fl.?* *fl. dicens* ed. verba *Iliadumque labor vestes* hic habet V ubi quid sibi velint non intellego, praesertim cum *ubi fuit* etc. ad *tempus—floruit* pertinere appareat, del. et lemma *cum iura—populis* substituit edF, crucem apponere malui.

atqui debuit dici sceptrumque sacrumque tiaran, ut dat simpliciter poneret: hoc ne sit vitium, sic ordinemus: hoc Priami gestamen erat et dicit quae fuerunt in gestamine, sceptrum, inquit, et sacer tiaras, et erit integra locutio: fuit ergo gestamen sceptrum, tiaras. in vestibus Iliadum 5 feminarum labor specialem designationem tenuit, hae autem quae fuerunt manu Iliadum factae perindeque meriti levioris sub generalitate latere debuerunt, licet commendationis fuisset quod ait et vestes nostrarum mulierum labore confectas. tiaram dixit pilleum, quo Phryges utun- 10 tur, cum celebrant sacra: inde sacrum dixit, quia quod sacris interest sacrum est.

250 *Talibus Ilionei dictis defixa Latinus obtutu tenet ora soloque inmobilis haeret intentos volvens oculos: nec purpura regem picta movet nec sceptra movent Priameia* 15 *tantum quantum in conubio natae thalamoque moratur et veteris Fauni volvit sub pectore sortem:* talia quidem Ilioneus exsecutus est et quae habuit obtulit munera, sed Latinum talis animi intentio tenuit, ut praeter terram nihil attenderet more scilicet cogitantium. oculi enim 20 sparsi per multa trahunt quoque animum secum, quae res verum consilium non potest reperire. diriguntur igitur oculi in terram, colligitur mentis intentio ex continuatione tractatus, quaesitus rerum exitus invenitur. multi hic faciunt quaestionem dicentes si intentos, quare volvens? 25 quasi toto cogitationis spatio inmobiles oculi teneri potuissent, quod est contra naturam. certe et illud sentiendum, quoniam tacitarum cogitationum est movere oculos, cum animi aestus per diversa rapiuntur, ita quo ierit redieritque animus oculorum signis consuevit ostendere. intentos 30

---

1 *atqui* om. ed. | *tiaran dat simpliciter poneret* V *t. ut dat s. p.* nos, nempe illud *dat* quod est in v. 243, temere mut. ed. 2 *hoc* V *quod* ed. 3 *dicit* V *dicantur* ed. 5 *tiaras* V *et t.* ed. post *tiaras* lemma *Iliad. lab. vest.* interpol. edF. 7 *perinde quo* V *perindeque* nos *perindeque essent* ed. 10 *pileum* ed. 12 *sacris interest* V *ad sacra attinet* ed. 18 *prosecutus* ed. 23 *terram* V *t. et* ed. 24 *tractatus* V *tr. ac* ed.

ergo oculos Latinus habuit et solam terram intuebatur non considerans quis aut quae obtulisset; non enim regem rebus omnibus redundantem moverant munera, quem potior causa in aliam duxerat partem. cogitabat quippe spem
5 coniunctionis unicae filiae et eius quae post orbitates plurimas sola supererat seni. considerabat portenta quae viderat in examine apum, in capite quoque ipsius filiae, quod innoxius ignis invaserat, flammas errasse. tractabat vatis quoque sententiam, qui dixerat „externum cernimus
10 adventare virum et partis petere agmen easdem partibus ex isdem et summa dominarier arce.“ non minus commovebant patris Fauni responsa, qui cecinerat „ne pete conubiis natam sociare Latinis, o mea progenies, thalamis neu crede paratis, externi venient generi, qui sanguine
15 nostrum nomen in astra ferant.“ interea cum in uno esset vultus obtutu, cum solum tantummodo intueretur, cum tractaret commodum filiae, cum portenta ac responsa perpenderet, arbitrabatur *hunc illum fatis externa ab sede* 255 *profectum portendi generum paribusque in regna vocari*
20 *auspiciis, huic progeniem virtute futuram egregiam et totum quae viribus occupet orbem.* omnia quae cecinerant vates et quae condolens responderat Faunus occurrebant Latini tractatibus nec inanis apud eum sententia fuit ipsum esse externum, ipsum generum, ipsum qui res Italas florenti
25 progenie in maiorem numerum fuisset aucturus, possessurus quoque orbis imperium corporis simul animique virtute. *tandem laetus ait:* supra dixit obducto eum vultu fuisse, cum cogitaret, dehinc tamen, cum optatos ac secundos exitus repperisset, ostendit laetum protulisse quae
30 volvendo discusserat. tandem quod ait, monstravit eum diu in tractatibus inmoratum; in causa enim tali non deberet inveniri praeproperus. laetus ideo, quia sperabat

---

2 *quis* V *qui* ed. 7 *videbat* V ed. 20 *huic* V *hinc* ed. 22 *responderet* V *-derat* nos *-disset* ed. 23 *tractantibus* V corr. ed. 25 *progeniae maiore numerum* V *progenie maiore numero* ed F. 32 *praeproperos* V *-rans* ed.

praedicta super votis filiae esse conpleta. *[dii] nostra*
260 *incepta secundent auguriumque suum:* quod magnopere desideramus inpleri commendamus diis, in quorum potestate sunt quae inter homines aguntur, ideo sic coepit: dii tantum coeptis nostris faveant, hoc est his quae con- 5
tinentur tractatibus nostris. hoc optasse potest pertinere ad nuptias filiae, super quibus tacitus habuit tractatum, ideoque non debet ceteris esse coniunctum, ut quasi responsionis ad Ilioneum inde sumatur initium; melius est enim ut sibi id dixisse videatur, tunc demum ad Ilioneum 10
ipsum claram dirigat vocem dicens *dabitur, Troiane, quod optas:* responsione modica totum conplexus est, largiturum se quod fuerat postulatum. Troianum appellavit, quia nomen gentis solum noverat, Ilioneum autem dici nesciebat.
munera nec sperno: hoc loco melius probatur Ilioneum 15
non pro merito Aeneae neque pro merito Latini munera obtulisse, cum ipsum Latinum inducat dicentem munera nec sperno. videtur enim dixisse nec speretis apud me pro merito vestrorum munerum vestrum meritum fore, quae idcirco accepi, ne arbitremini in eorum reiectione 20
amicitiam quoque vestri nominis esse despectam. hoc qui melius cupit advertere ad oblationem ipsorum munerum redeat et inveniet Ilioneum in legationibus perficiendis probatissimum dixisse: quae offero parva fuerunt, cum in suo statu fortuna Troiana consisteret; verum quia 25
potiora perierunt, sume, inquit, non quod es meritus, sed quod potuit liberari de flammis. interea, quia Ilioneus perisse omnem substantiam Troianorum dixerat et munerum qualitas angustias indicabat, ait Latinus munera vestra non reicio. ceterum si egeret alieno, diceret, ut 30
in usu est hominum, bene me accepistis. addidit tamen ipse liberalitatis infinitae promissum; optimus quippe

1 ·.·*ostra* sic V *dii nostra* ad 11, 301 V. 6 *optasse* om. ed. 10 *sibi* om. ed. 11 *dirigit* ed. 13 *postulatum* V -*tus* ed. 14 *autem* om. ed. 19 *vestrum meritum* om. ed. 24 *fuerunt* V *sunt* ed.

largitor plus debuit offerre quam fuerat postulatum et sponte ingerere quod Troiani per verecundiam praetermiserant. ait ergo *non vobis rege Latino divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit:* me, inquit, Latino regnante
5 nihil vobis deerit, in tantum ut arbitremini ex Troiana opulentia nihil vos fortuna saeviente perdidisse. pulchre adiecit me regnante, quoniam longaevus fuit et memor esse debuit humanae condicionis, cui omnes aetates subiectae sunt et maxime eorum qui iam . . . . *ipse modo*
10 *Aeneas, nostri si tanta cupido, si iungi hospitio properat sociusve vocari, adveniat [vultus neve exhorrescat amicos]:* 265
ipse quoque veniat rex vester, si amicitiam nostram et societatem desiderat libenter amplecti, etsi inter initia venire dubitarit; nihil de novitate praesumens vultus suos
15 non deneget nobis, quoniam ex praesenti tempore amici esse iam coepimus. *pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni:* donec maior foederis accedat auctoritas, quae pacem plenissimam firmet, non perhorrescat amici sui conspectum, auspicetur dexterarum coniunctione concor-
20 diam, quia pars pacis est dexteris interim foedera convenisse. tyrannorum nomen posterioribus saeculis infamatum est; nam reges etiam hoc nomine dicebantur; nam et de Pygmalione sic dixit (1, 361) „quibus aut odium crudele tyranni aut metus acer erat.“ ecce et
25 illum tyrannum dixit, quem constabat regem fuisse apud Tyrum. *vos contra regi mea nunc mandata referte:* ut dictum supra est, et tyrannum dixit Aenean et regem more scilicet veterum qui reges etiam tyrannos vocitabant. omnia autem respondendi studio cum protulisset

---

1 *postulatum* V *-tus* ed. 4 *deerit* V *derit* plurimi Verg. libri 5 *ut* V *ut aut* ed. 9 *et — iam* om. ed. post *iam* aliquid excidisse patet, etsi nulla lacuna est in V, *senes sunt* suspicor cf. epilog. in. 10 *cupido* V ut schol. Veron. ad 9, 360, *cupido est* ed. et Verg. libri omnes. | *auspitio* V. 11 *vultus — amicos* deest in V, sed explicatur. 14 *dubitare* V *-ret* ed. *-rit* nos. | *vultus suos* V *vultum suum* ed. 19 *coniunctione* om. ed. 20 *dexteras interim* V *dexteras inter* ed. *dexteris interim* nos an *dexteras interim in*? 28 *vocabant* ed.

atque ea conplesset, voluit etiam ipse mandata transmittere atque illa proferre quae ipsius deliberationem longo tractatu tenuerant. *est mihi nata, viro gentis quam iungere nostrae non patrio ex adyto sortes, non plurima*
270 *caelo monstra sinunt, generos externis adfore ab oris, hoc* 5
Latio restare canunt, qui sanguine nostrum nomen in astra ferant. hunc illum poscere fata et reor et, siquid veri mens augurat, opto: habeo, inquit, filiam, quam consensu omnium numinum incolis vel civibus prohibeor dare, isdem responsis et auguriis gener externis ab oris ostenditur, 10
per quem progenies mea possit ornari. sic in tempore venistis, ut arbitrer ipsum promitti filiae meae. quod si ita est et mentis errore non ducor, et opto et cupio illi coniungi. verecunda oblatio et adversus exprobrationem omnem satis munita, ne in hunc locum conveniret Teren- 15
tiana sententia (Andr. 1, 5, 15), qua dictum est „aliquid monstri alunt, ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me“. et re vera, cum quis offert filiam suam, cavere debet ne in suspicionem contrariam veniat. quod ne Latino occurreret, non aperte obtulit filiam, sed indicavit quae 20
signa oblata sint super eius coniunctione perficienda quidve ipse, cum patrem consuluisset, audierit. nec criminis esse arbitratus est, si profiteretur sibi placere deorum iudicium, cui resisti non posset, cum potius et laetari debuit nuptias filiae suae diis faventibus ordinatas. ecce vitavit obtrecta- 25
tionem et in eo magis plurimum sibi dedit nec ipse est auctor, sed executor cupit esse divinae sententiae. si tamen eius verba considerentur, caute secretum protulit, ne forte ipse non esset quem dii praedixerant esse venturum. opto, inquit, ipsum esse quam alterum. hoc loco illud quoque 30
tractandum est quanta cura Vergilius partis Aeneae tueatur, etiam contra responsum vatis et Fauni, qui dixerunt

---

9 *hisdem* V. 12 *meae* om. ed. 14 *coniugi* V. 15 *ne* V *nec* ed. | *terrentiana* V. 16 *aliqui* V. 17 *equoniam* V. 20 *optulit* V *detulit* ed. 21 *ablata* V *obl.* ed. 24 *letare* V. 25 *ordinatas* V *o. esse* ed. 28 *caue* V *causae* ed. *caute* nos. 30 *ipsum* V *magis i.* ed.

externum virum deberi Laviniae. potuit enim Aeneas non videri externus, quoniam per Dardanum, ut supra conprehensum est, Italis fuerat iunctus. hanc igitur partem intellegitur communire ipsum dicendo esse externum qui 5 veniret ex alienis terris, non qui esset etiam sanguinis ratione separatus. denique sic superius posuit „hunc illum fatis externa ab sede profectum portendi generum", item in praesenti „generos externis adfore ab oris", ut externi appellatio a terris potius quam tramite generis 10 videatur exorta.

Haec effatus equos numero pater eligit omni; stabant 275 *ter centum nitidi in praesepibus altis:* ex trecentis equis meliores deligi iussit. *omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci:* omnes enim equites remeare debuerunt, ne 15 quis remaneret inferior; in ordinem dixit, ne quem praeteriret regis honorificentia. *instratos ostro:* purpureis stratis ornatos. *alipedes:* tantum veloces, ut, cum currendum his esset, alas habere putarentur. *pictisque tapetis:* iungitur instratos ostro pictisque tapetis. *aurea pectoribus* 20 *demissa monilia pendent:* ad similitudinem mulierum habentes monilia, an vere talia qualia matronae habent? regis enim substantiae quod equis inponeret deesse non potuit. *tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum:* si aurum eos texerat atque aureis salivaribus tenebantur, 25 et monilia vera debemus accipere. mirum benivolentiae signum, quod suggesserat temporis ratio et meritum Troianorum; qui enim pedum labore pervenerant ab opulento rege suscepti ad Aenean futurum generum non quales venerant remeare debuerunt. *absenti Aeneae currum gemi-* 280 30 *nosque iugalis semine ab aetherio, spirantis naribus ignem:*

---

2 *externos* V. 4 *qui* — 5 *esset* om. ed. 6 *separatus* V -*tum* ed. 7 *portendi generum* om. ed. 11 *elegit* V. 15 *per ordinem* ed. | *aliquem* ed. | *praeterisset* ed. 16 *instrato* V. | *alipedes* post *ostro* interpol. ed. 21 *annueret alia* V *an vere talia* nos *aut v. t.* ed. | *habent* om. ed. 22 *quod quis* V ed. *q. equis* nos. 24 *texerat quae* V ed. *t. atque* nos. 26 *suggesserat* V *suggerat* HOU ed.

currum et bigam misit regi, quae fuerunt insignis honoris atque virtutis: honoris, ut ipso curru vectus cum dignitate veniret ad socerum, virtutis, quia equi et currus bellorum instrumenta sunt. datur equis ipsis meritum, ne rex in regno suo florentissimo positus leve quoddam misisse 5 videretur, ei vel maxime cui filiam dare cupiebat. semine ab aetherio ait: parum fuerat caelestis esse dixisse, addidit spirantis naribus ignem, flatu suo qui significarent originem suam esse caelestem; naribus quippe emittebant ignem. subiungit rationem qua confirmet eos fuisse ab 10 aetherio semine. *illorum,* inquit, *de gente patri quos Daedala Circe [supposita de matre nothos furata creavit]:* Daedalam dixit ingenii vivacitate pollentem, quoniam Daedalus in arte fabrili peritissimus miris inventionibus floruit. Circe ergo paternis equis matre supposita furtum 15 fecit, ut caelestes illi essent qui ab iis nascerentur. inde ergo fuerunt quos Aeneae Latinus misit. nothi dicuntur, sicut in praesenti est positum, quos diversa in unum conveniens animalium natura protulerit. *talibus Aeneadae* 285 *donis dictisque Latini sublimes in equis redeunt pacemque* 20 *reportant:* magnum fuit securitatis signum, quod equites remeaverant qui pedites fuerant missi. respondit duobus, hoc est donis et dictis: donis sublimes in equis redeunt, dictis pacemque reportant. inter illa quae dicta commemorat, quibus fuerant laeti, etiam illud continebatur quod 25 Latinus de filiae nuptiis dixit. quantum hinc putamus gloriosam effectam legationem, quae tantam laetitiam fuerat ad Aenean perlatura! plus quippe est deligi generum quam suscipi hospitio peregrinum.

Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis saeva Iovis 30 *coniunx aurasque invecta tenebat et laetum Aenean classemque ex aethere longe Dardaniam Siculo prospexit ab usque*

---

2 *ipso* V *ipse* edF. 6 *aut vile* post *videretur* interpol. ed. 8 *flatu suo* ad antecedentia retraxit ed. 11 *inquit* om. ed. 12 *supposita — creavit* deest in V, sed explicatur. 16 *illic* V. 24 *commemorat* V *-runt* ed. 26 *hinc* V *hic* ed. 32 *adusque* V.

Pachyno. moliri iam tecta videt, iam fidere terrae, dese- 290
ruisse rates: dum inter Latinum et Troianos vel post Latini dicta haec gererentur quae superius conprehensa sunt, repente exiit Iuno ab Argis remeans et summo caelo respi-
5 ciens universa votis suis studiisque contraria, scilicet Troianos laetos, quod numquam antea factum est, tuta erga ipsos omnia, fiduciam gerentis prosperorum successuum, molientis tecta et sedis perpetuitate securos deseruisse etiam rates, utpote iam non necessarias, *stetit acri fixa*
10 *dolore:* stetit non sponte, sed doloris morsibus fixa. *tum quassans caput,* quod est apertae commotionis signum, *haec effundit pectore dicta:* quassans caput et effundit dicta demonstrant qualem orationem esset habitura; nam quod longe adhuc posita laetitiam Troianorum vidit et doluit,
15 signum fuit veteris et pertinacis odii, quam perpetua curiositas ducebat quam primum nosse quid agerent inimici. quassare est commovere. *heu stirpem invisam et fatis contraria nostris fata Phrygum!* qui contrariis fatis dicuntur nasci talis inter se inimicitias gerunt, ut numquam
20 conquiescant nec accipiant finem. hoc adseritur ex Iunonis persona atque hoc firmatur etiam deos fatis gubernantibus regi. ait igitur Iuno heu, quod fuit altissimi doloris signum, ut vinceret gemitus vocem, dehinc ait doleo quod fatis meis obviam veniant Troianorum fata contraria, quod
25 cum ita sit, obtinere procul dubio debuerunt fata mea et aemulos nocendo pervincere: ecce ipsi cum dolore meo superiores sunt et quicquid inimica cogitare potui constantia et felicitate vicerunt. *num Sigeis occumbere campis, num capti potuere capi? num incensa cremavit Troia viros?* 295
30 haec sunt propter quae dictum est heu, quorum caput est quod contrariis fatis Iuno adversus Troianos frustra nitebatur. sequebantur illa quoque quae superius enumeravit,

---

4 *exiit* V *extitit*? | *respiciens* V ed. *perspiciens*? 10 *doloribus morsibus* V. 12 *quassans — dicta* om. ed. 13 *demonstrat* ed. 19 *talis* om. ed. 22 *regi* V agi HOU ed. 27 *potui* V *potuit* ed. 28 *sigaeis* V.

inimicitiis scilicet suis excidium Troiae prodesse nequisse; quod cum esset unum, hoc misit in partis, ut multa gemere videretur. capta est, inquit, Troia et oppressa hostilibus copiis, ignis additus, ut quicquid armis absumi non posset aboleret incendium: sed illos nec mucro 5 pressit nec captivitas vinxit, nec ignis invenit. *medias acies mediosque per ignis invenere viam:* quod magis dolendum est mihi, quia per medias acies perque medias flammas, tamquam nihil obstiterit, tuti securique transierunt magna virtute. dixit invenere viam: inter gladios, 10 inquit, et flammam quasi per viam liberi ac securi transierunt, quod fuit felicitatis ipsorum, ut abscessisse potius otiosi quam fugisse territi viderentur. evaserunt igitur pericula duo, quibus gravius nihil est, ruptae sunt acies, incendia vanuerunt, inventus est exitus conservationis ip- 15 sorum ubi sperabatur interitus. quod dixit medias acies et medias flammas, ibi maiorem cumulum doloris expressit; magnum enim non esset flammarum terminos aut finis exercitus evasisse, e medio autem evadere difficillimum. *at, credo, mea numina tandem fessa iacent, odiis aut ex-* 20 *aturata quievi:* ipsa sibi proposuit quibus se magis accenderet. defecisse me, inquit, quispiam dicet aut satiatam odiis quievisse: nec satiata sum nec quievi; denique post excidium Troiae passa non sum ullas cineris eius superesse reliquias. *quin etiam patria excussos:* excussos 25 admirabiliter positum; quicquid enim excutitur vim testatur quam ferre non potuit et ad hoc excutitur, ut cum sua pernicie cadat. Excussi eos, inquit, finibus Troiae, 300 *infesta per undas ausa sequi et profugis toto me opponere ponto:* saevior secuta sum navigantis et in pelago positis 30 me frequenter obieci, nullus locus est maris in quo me non senserint inimicam. *absumptae in Teucros vires caeli-*

---

2 *misit* V ed. *divisit?* 3 *viderentur* V ed. 10 *magna* — 11 *transierunt* om. ed. | *invenire* V *invenere* nos. 20 *aut* V *haud* ed. 22 *satiatam* V *saturatam* ed. 26 *mirabiliter* ed. 30 *pontos* V.

que marisque: quicquid in Troianorum necem mitti de caeli partibus potuit, quicquid de fluctibus procurari factum est totum totumque frustratum. *quid Syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis profuit?* quaerit quid
5 mihi profuerunt Syrtes? quid Scylla vel vasta Charybdis? vasta, hoc est saeva, in quam me laborante constat inpactos. hoc interrogantis est, ecce ipsa respondet: *optato conduntur Thybridis alveo securi pelagi atque mei.* ego illis inevitabilia obieci, illa eos ad optata duxerunt, in
10 tantum ut ulterius nec me timeant nec minas ponti formident. per istiusmodi conparationem ostendit cumulum doloris sui, cum cerneret inimicos suos superatis tot discriminibus terrenis ac pelagi defendi placiditate fluminis et regis amicitia. *Mars perdere gentem inmanem La-* 305
15 *pithum valuit, concessit in iras ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae, quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydona merentem?* more suo (1, 37) ab exemplis quoque iras suas accendit et inducit minores deos ad plenum se defendisse. atque ut hoc gravius faceret, addidit
20 conparationem a persona sua dicens *ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum quae potui infelix, quae memet in omnia verti, vincor ab Aenea:* et personas 310 et delicta conparat et genera ultionis: se conparat Marti et Dianae itemque eos qui utrosque deos offenderant et
25 Troianorum personam, illorum factum et Troianorum causam, poenam quoque quam Mars et Diana inflixerant confert cum conatibus suis, in alieno negotio leviorem facit delinquentium causam, in suo graviorem, alios, cum irascerentur, inplesse vindictam, se non tantum non
30 potuisse verum etiam superatam. vincor ab Aenea, ab uno scilicet, et pro animo inimicae intellegamus ab ho-

---

3 *totum totumque* V *totum* om. HOU ed. | *ut scyllam hii* V. 4 *quaerat quidquid mihi* V *quaerit* nos *quid* ed. 6 *in quame* V *in qua me* ed. 16 *et Lapithis tantum aut Calidona merentem* V: si Don. *Calydona merentem* legit, *aut Lapithas* emendandum est, interpretatio de lectione nihil docet. 22 *personis* V corr. ed. 23 *et genera — conparat* om. ed.

mine humili atque inertissimo; nomen enim pro convicio posuit. *quodsi mea numina non sunt magna satis, dubitem haut equidem inplorare quod usquam est:* quodsi ego, inquit, deficio et meum numen non valet exequi iniuriam suam, non dubitem inplorare auxilia quae ubicumque 5 sunt. dum haec tractat, invenit quid pro tempore facere debuisset, *flectere,* inquit, *si nequeo superos, Acheronta movebo:* quia non possum auxilio superorum inplere quod cupio, inferos moveam. tractat in quo obesse Troianis inferi possent: *non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis* 10
315 *atque inmota manet fatis Lavinia coniunx, at trahere atque moras tantis licet addere rebus.* quoniam, inquit, ferunt Laviniae nuptias Aeneae deberi volentibus fatis et Troianis Italiam, si haec convelli non possunt, possunt tamen morarum inpedimento differri. *at licet amborum* 15 *populos excindere regum:* magnum factiosae inimicae consilium, quae, cum non posset regum concordiam rumpere, populos disposuit dissipare; his enim commissis et excitatis in discordiam necesse fuerat etiam reges suis partibus necti. *hac gener atque socer coeant mercede suorum:* haec 20 sit merces coeuntium in adfinitatem, ut suorum funeribus crucientur. *sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo:* effusio sanguinis partium ipsa sit, virgo, dos tua. ecce animus iratae: dum secum tractat, ad virginem sese convertit, quasi ipsa cum Troianis aut cum ipso Aenea ali- 25 quid egisset, dos tua, inquit, constituitur in partium caede. *et Bellona manet te pronuba,* crudelitatis scilicet dea. pronubae dicuntur quae sunt in obsequio nubentis.
320 *nec face tantum Cisseis praegnans ignis enixa iugalis:* solent, inquit, Troianorum feminae mali ominis utero 30 gestare progeniem: si Cisseis incendii signo protulit Paridem, cur non contingat Veneri similem filium peperisse?

---

3 *ego* om. ed. 4 *deficiet* V *deficio et* nos om. ed. 7 *inquit* om. ed. 8 *superum* ed. 9 *moveam* V *-ebo* ed. 10 *posset* V corr. ed. 17 *concordia* V ed. 18 *commissis* V ed. c. *et* ed. post. 19 *regem suis paribus* ed. 21 *affinitate* ed. 31 *si* V *sicut* ed.

[quin idem Veneri partus suus] et Paris alter funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae: indicium ex Paride captum est tunc magis perire Troianos, cum nectuntur uxoribus: Cisseis peperit Paridem, sed istius nativitatem
5 praecesserant somnia, quae non exortum hominis, sed ex incendiis futurum interitum nuntiarent. in hoc exemplo sit et Veneris partus, ut renascens Troia ante ipsas quas praeparant nuptias consumatur. ecce et hic tractat Vergilius esse quidem fatum, quod, licet superari non possit,
10 valeat tamen aliquo inpedimento turbari, non autem praeverti, licere ei qui currentibus feliciter fatis obvius ire valuerit.

Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit: horrendam dixit ex causa ingentis iracundiae vehementissime
15 commotam, in tantum ut quisquis eam cerneret sine horrore esse non posset; magna enim vis est eorum qui in summa potestate positi commoventur. dimisso ergo aere quo vehebatur venit ad terram. *luctificam Allecto,* quae nihil aliud praeter luctus nosset efficere aut quae facerent
20 luctus, *dirarum ab sede dearum infernisque ciet tenebris,* 325 *cui tristia bella iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi. odit et ipse pater Pluton, odere sorores Tartareae monstrum, tot sese vertit in ora, tam saevae facies, tot pullulat atra colubris:* quanta congessit quibus ostenderet exquisitum
25 malum et quo peius non esset sibi Iunonem adhibuisse! et revera nisi talis voluntatem dolentis inplere non posset. et licet sufficere deberet quod luctificam dixit et ex Dirarum coetu atque ab ipsis tenebris evocatam, tamen addidit alia quibus aptam negotio demonstraret. cui tristia

---

1 *quin — suus* deest in V, sed explicatur. 4 *uxoribus* V *u. alienigenis* ed. 6 *exemplo* V *extremo* ed. 8 *consummatur* V. 9 *posset* V ed. 10 post *autem* verbum per compendium, ut videtur, et ligatis litteris scriptum habet V ego *praeverti* elicio, *prohiberi* ed. quod nullo modo potest extorqueri. 12 *voluerit* ed. 19 *faceret* ed. 20 *dearum* V *sororum* ed. 22 *tartariae* V. 23 *atra* V *ora* ed. 24 *quibus* V *ut* HOU ed. | *exquaesitum* V. 29 *addit* ed. | *artam* V *aptam* ed.

bella: bellis aptatur quicquid triste est; quando enim possunt esse bella non tristia? iraeque: numquam nisi iras commovens, quibus fuerat plena; insidiaeque: ad excogitandas insidias artifex; et crimina noxia cordi: omne quoque noxiorum criminum genus sensibus detestabilibus 5 portans. omnia quae dixit in ea fuisse monstrata sunt, cum Iunoni negotium gereret, nec haec sola quae superius dicta sunt verum etiam alia quae sequentur: cum detestandis artibus abundaret et esset idcirco odiosa omnibus, displicebat, inquit, etiam illis quibus placere debuerat, 10 Plutoni scilicet et sororibus suis; omnis enim nequitia et scelere superaverat. haec tantum malis artibus redundabat, ut uno eodemque momento quas vellet mutaretur in formas et quantis opus esset serpentibus pullularet, nihil ei gratissimum erat nisi quod luctus haberet et sanguinem. 15 vituperationem istius Furiae Vergilius ex persona sua posuit, sed ubi ad Iunonem ventum est, animi sui necessitate permota quod condemnabile in Furia fuit vertit 330 in laudem. *quam Iuno his acuit verbis ac talia fatur:* acuebat hanc Iuno verbis suis et instructionibus pessimis, 20 ut mala natura persuasione loquentis deterior fieret: *hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem, hanc operam:* nihil a te, virgo, quaeritur alienum; nec laborabis providere quod habes. proprium quippe est tibi quod mihi est in tempore necessarium, primum quod inde prae- 25 ferenda es, quod te taetram tenebrarum substantia genuit; opera sola necessaria est, ceterum inplendis quae desidero aptam geris convenientemque personam. ecce Iuno non utitur arte poscendi nec subtilitatem quaerit nec petit aliquid fieri, sed iubet, denique verbis imperativis: da, 30 inquit, laborem, hoc est inpende, et infra dixit dissice, sere;

---

2 *iraeque* — 3 *commovens* V temere mut. ed. 3 *nisi aeque* V *insidiaeque* nos *et aeque* ed. 5 *noxiorum* V *noxium* ed. | *senseris* V *sensibus* HOU ed. 10 *intuit* V *inquit* nos *intulit* HOU ed. 18 *condamnabile* V *damnabile* OU ed. 24 *abes* V *habes* ed. 26 *tetram* V om. ed. 27 *operam* V corr. ed. 30 *denique* om. ed. 31 *et* — *sere* om. ed. *sepe* V *sere* nos.

quid enim petere debuit maior, quae iubendi teneret plenissimam voluntatem, aut quid petere ab ea quae optabat invenire quod verteret? sola igitur insinuatio necessaria fuerat causae et summa designanda desiderii.
5 incipit dici laus in aperta vituperatione; si enim pro persona Furiae, ut factum est, dicta intellegatur, evidentissima laudatio est, si removeatur huic praedicationi persona conveniens, erit execrabilis in quam ista convenerant. dicitur ergo sub plasi laudis vituperatio, deni-
10 que locum praedicationis obtinuit, quia Furiae dicebatur. sed necessario praemittitur causa, propter quam tantum malum ab inferis fuerat evocatum: *ne noster honos infractave cedat fama loco.* ventum est, inquit, ad eum cardinem, virgo, ut casura sit nominis mei omnibus re-
15 verenda maiestas, nisi his quae contra vota mea fiunt itum obviam fuerit. cedere loco verbum est ex re militari sumptum; nam in pugna qui loco cesserit constat eum superatum. quod igitur ait Iuno ne noster honos infractave cedat fama loco, significat ne victae perdamus
20 honorem nostrum. his subiungitur instructio personas omnis et rem et quid facto opus sit breviter signans; non enim tempus verbis prolixioribus occupari debuerat, in quo non verba, sed facta quaerebantur. adhibenda quippe rumpendis initiis celeritas fuit, ne aliis quoque
25 concordia roborata subsidiis aut superari non posset aut difficulter evicta succumberet. *neu conubiis ambire Latinum Aeneadae possint Italosve obsidere finis:* nolo, inquit, cum Troianis conubia fieri nec Latinum sic circumveniri, ut his filiam tradat, ne sit eis causa in Italia remanendi:
30 nolo adfinitatis iure concordiam contra vota mea surgentem convalescere. redit rursum ad laudem Furiae

---

6 *dicta* — 7 *est* om. ed. 8 *in qua* ed. 9 *plasi* V *specie* ed. 15 *vota mea* V *eam* ed. 17 *non in* V *nam in* ed. 18 *sit fracta ve* V (supra recte). 20 *subiungitur* V *subiungit* ed. | *instructio* om. HOU ed. 21 *breviter* om. HOU ed. | *significans* ed. 25 *roboratis* ed. 26 *succumbere* V corr. ed. | *Latinum ne Aeneidae* V. 28 *cumter troianis* V.

repetens etiam illa et sensibus eius inculcans quae cupie-
335 bat inpleri. *tu potes unanimos armare in proelia fratres:* magna quippe virtus est naturalem dissipare concordiam et eos quos unus sanguis idemque uterus genuit in alterorum exitium provocare. quod ipsum idcirco positum est, 5 ut ostenderetur Allecto plus posse quam Iunoni fuerat necessarium: si enim poterat pulso germanitatis adfectu non modo in dissensiones verum etiam in bella fratres armare, multo validius potuit extrarios et incognitos in novam coeuntis amicitiam dissociare atque dissolvere. 10 *atque odiis versare domos:* potes odia conserere inter eos quos unum domicilii consortium tenet tantumque inmittere seditionum pondus, ut parietes quoque atque ipsa fundamenta vertantur. *tu verbera tectis funereasque inferre faces:* verbera, inquit, et faces funereas, hoc est litium 15 motiones et causas potes alienis tectis inmittere, quae usque ad interitum commanentium tendant. potes semel positum omnibus aptatur quae diximus. *tibi nomina mille [mille nocendi artes]:* per nomina formas ostendit, in quas conversa mutabat etiam quo poterat vocitari; id enim 20 incipiebat esse in quod volebat forte converti. mille vero artes nocendi suppetebant cui facile fuerat esse quod vellet. *fecundum concute pectus:* scio pectus tuum nocendi artibus redundare, hoc si exagitare volueris, proferetur inde quicquid mihi est necessarium. interea licet scele- 25 rum conflandorum artificio Furia redundaret et nosset quid ageret, tamen Iuno vehementer in sua causa sollicita desiderii summam iterum ac saepe succincta brevitate commendat. *dissice,* inquit, *conpositam pacem, sere crimina*
340 *belli, arma velit poscatque simul rapiatque iuventus:* magna 30

---

2 *unanimes* ed. 3 *virtus* V *vis* ed. 4 *alterum* V om. ed. 7 *enim* om. ed. 9 *extraneos* ed. 17 *comminentium* V corr. ed. 19 *mille nocendi artes* deest in V, sed explicatur. 20 *quo* V *quod* ed. 21 *in quo dolebat* V ed. *in quod volebat* nos. 22 *suppetebat* V corr. ed. 24 *agitare* ed. | *profertur* ed. 25 *inde quia quid* V *i. quod* ed. 28 *sepe* V *saepius* ed. 29 *inquit* om. ed. 30 *poscat quae* V.

ordinatio consiliorum! primum fuit quippe ut pax foedere structa verteretur, ut via ceteris inventionibus patefieret. sere crimina belli; ad belli enim certamen veniri non potest, nisi primo extiterit causa pugnandi. optimo 5 tamen verbo dictum est sere, ut ex his quae essent sata, alia rursum fecundis excessibus pullularent et aliud atque aliud ex sese, quod vindicari deberet, effunderent. iuventusque ipsa velit arma; plus est enim in rebus perficiendis velle quam cogi. quia igitur voluntas in agendo 10 prima est, effice, inquit, primo velit, dehinc poscat; si nullus dederit, rapiat, scilicet ut non expectata iussione cuiusquam volens ad arma concurrat. rapere significat aliquid sine auctoritate iubentis invadere. conplevit propositionem qua dixit „quam Iuno his acuit verbis", nam 15 laudando eam et in officiis detestabilibus praeferendo, quin etiam dando consilia et ad perficiendum mandatis armando natura feram fecit instruendo peiorem.

Exin, hoc est ex eo momento, *Gorgoneis Allecto infecta venenis:* Allecto, cui venena supererant diris infecta 20 serpentibus. Gorgoneis dixit, ut in eum modum mutata videretur quo fingitur Gorgona et talis serpentes gestare pro crinibus qualis illa portat in vertice. *principio Latium et Laurentis tecta tyranni celsa petit:* hoc mandatis non inseruerat Iuno, sed faciendum suggesserat Furiae na-25 turalis inventio. dicit ergo quid factum sit: fuit, inquit, ad Latini domum. nunc ipsius facti reddi incipit causa. *tacitumque obsedit limen Amatae, quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis femineae ardentem curaeque* 345 *iraeque coquebant:* non sic petit domum regiam Furia, ut 30 regem ipsum adgrederetur aut falleret, sed tacitum Amatae

---

1 *pacis foedere structa verteretur* V *p. f. str. verterentur* ed. 2 *ceteris* V *exteris* ed. 4 *potest — extiterit* V *posset — extitisset* ed. 7 *vindicare* V ed. 11 *dederat* ed. | *visione* ed. 12 *concurret* ed. 16 *quin* V *quae* ed. | *danda* V corr. ed. | *et* om. ed. | *mandata* ed. 17 *natura fera* V *naturam feram* ed. 19 *infecta* V ed.: ut *infectum scelus* Verg. 6, 742 dicit, an *iniecta* emendandum ut 8, 5?

limen obsedit (tacitum dixit sine strepitu aliquo), quae iam flebat fortunam filiae et optabat Turnum potius ei iungi quam Phrygium virum, denique cruciabatur animo cura simul doloreque commota. tacitum limen etiam sic possumus sentire, ut non limen dixerit tacitum, sed ipsam Furiam tacitam obsedisse, ut facilius nescienti valeret obrepere. facile autem fuit etiam nulla vi adhibita obtinere eius animum cui Aeneae iam coniunctio displicebat. consilium tamen probabile videbatur inventam mulieris cumulare sententiam, ut efficeret vis maior ne commutaret mentem et in aliam partem sexus forsitan mobilitate transiret. *huic dea caeruleis unum de crinibus anguem conicit inque sinum praecordia ad intima subdit, quo furibunda domum monstro permisceat omnem:* Furiam poetae sic fingunt, quod angues pro crinibus habeat et quod eius ministri sint, cum aliqua ei mala perficienda sint. nos tamen Amatae non anguem, sed commotionem mentis inmensam debemus accipere, ut conposita Latini voluntate perturbarentur. itaque licet haec ita sint, exponamus secundum poetam quae dicta sunt. huic inquit, hoc est Amatae. deam Furiam dixit ut supra (324); deos enim deasque veteres putaverunt qui essent alicuius virtutis et homines potestate superarent. caeruleis unum de crinibus anguem conicit: quando unum ad perditionem quietarum rerum arbitrata est posse sufficere, quid in eversionibus poterat quam tot etiam funerei angues armabant? inque sinum praecordia ad intima subdit: sinus dicitur qui potest aliquid excipere et tenere. Furia igitur in sinum et praecordia anguem misit ad ipsa intima. subiungit cur hoc fecerit: quo furibunda domum monstro permisceat omnem, id est ut hoc monstro per puellae matrem totam domum misceret, scilicet ut subversa omnium voluntate

---

4 *commota* om. ed. 7 *autem* om. ed. 15 *quod* (et infra) V expectes *ut.* | *criminibus* V. 18 post *voluntate* interpol. *nuptiae* ed. 24 *quia etarum* V *quietarum* nos *harum* H O U ed. 30 *demum* V. 31 *idem* V ed. *id est* nos.

in unam omnes sententiam redigerentur et contrarium sentiendo nihil contra Iunonis vota perficerent. *ille inter vestes et levia pectora lapsus volvitur:* serpens inter vestem 350 et mulieris levissimum pectus volvebatur. *attactu nullo,* sic
5 tamen, ut tactus eius non sentirentur. *fallitque furentem;* facile enim fuit eam insidiis fallere quae integrum statum mentis iam non haberet. *vipeream inspirans animam:* ut depulso humani sensus vigore ad eam malignitatem redigeretur qua fuerat serpens. ecce addit pererrantis
10 ipsius serpentis speciem, *fit,* inquit, *tortile collo aurum ingens coluber:* cum esset magnae longitudinis coluber, sic se collo Amatae involverat tamquam aurum tortile. *fit longae taenia vittae innectitque comas:* ex auro tortili versus est in taeniam. taenia, inquit, hoc est vitta: vittae
15 significatio ostendit prolixitatem et longitudinem, nectebat igitur comas eius ut vitta. *et membris lubricus errat:* a corporis partibus membra omnia generalitate conclusit, ne ille aliquam partem non videretur intrasse. *ac dum prima lues udo sublapsa veneno pertemptat sensus atque* 355
20 *ossibus inplicat ignem necdum animus toto percepit pectore flammam, mollius et solito matrum de more locuta est multa super natae lacrimans Phrygiisque hymenaeis:* antequam eam furialis lues incendio robustiore flammaret, antequam ossa eius ac medullas venena plenissime possiderent, verba
25 cum marito habuit, nec lacrimae deerant, cum illa loqueretur, ut habitura sermonem super filiae votis ac Turni matris officio fungi videretur quam furore praecipitata nesciret quid diceret.

Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris, o genitor, 360
30 *nec te miseret nataeque tuique nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet perfidus alta petens abducta virgine praedo? at non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor*

---

1 *redicerentur* V *reduc.* ed. | *contraria* ed. 3 *vestem* V *vestes* HOU ed. 6 *facile* — 7 *haberet* om. HOU ed. 8 *pulso* ed. 9 *rediceretur* V *redig.* ed. 10 *speciae* V. | *inquit* om. ed. 13 *ex* — 14 *vitta* corrupit ed. 23 *inflammaret* ed. 27 *quam* V *potius qu.* ed. 28 *dicere* V corr. ed.

365 *Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbis. quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum et consanguineo totiens data dextera Turno? si gener externa petitur de gente Latinis idque sedet Faunique premunt te iussa parentis, omnem equidem sceptris terram quae libera nostris* 5
370 *dissidet externam reor et sic dicere divos. et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae:* apud maritum locutura de filiae conubiis mater non debuit uti principiis; tunc enim sunt necessaria, cum apud extraneum sumus verba facturi, ut 10
attentum, benivolum docilemque reddamus. in praesenti vero attentum cur faceret, cum Latinus causam nosset? benivolum cur, cum negotio filiae utpote pater non esset nociturus? docilem quomodo, cum apud eum sciret causam? non insinuatio negotii, sed disputatio exinde exorta haberi 15
debuit. incipit igitur ab ipsis quaestionibus deformans factum et personam mariti, generum inprobans eius sermonesque quibus sponte illi obtulerat filiam, ita tamen agit cum marito, ut suadere potius quam reprehendere videatur. conveniebat hoc quippe reverentiae maritali et 20
ei quae imperandi cupida mollius apud eum loqui debuerat qui principalem in filiam habuit potestatem et hominis mentem a promisso divellere cupiebat. oblitus, inquit, quid patribus in filiarum coniunctione conveniat tota penitus pietate atque honestate reiecta non petentibus 25
ultro ingeris filiam! nec saltem respicis quibus nec sub quo eventu sis miseram traditurus naufragis, undis eiectis et perpetuis erroribus vagis, quibus sedes nullae et domicilium semper incertum. quid prodest habere praecipuos quos ad exilium sempiternum fortuna damnavit? vellem 30
id, marite, fieri, si consiliis tuis commoda vel honesta

---

14 *cum — causam* corrupit ed. 15 *habere debuisset* V ed. *haberi debuit* nos. 17 *meriti* V *mariti* ed. | *quorum* V *generum* nos om. ed. | *sermones quibus* V *s. qui* ed. *sermonesque quibus* nos. 26 *quibus nec* om. ed. 28 *vagis* V *actis* ed. 30 *exilium sempiternum* omisso *ad* V *exilio sempiterno* ed.

suppeterent. nihil est horum contraque sunt omnia inhonesta et dura. nullus postulat, pater ingerit, erit in navi thalamus filiae et omnis vita ducetur in fluctibus, gratia certe nulla coniugis et nullum decus uxoris. quis
5 dignam iudicabit matrimonio suo quam pater non tradidit, sed abiecit? non ista dabitur maritali consortio, sed infelicibus Troianorum fatis et fortunae iungetur. ubi est cura patris? ubi patris officium? ubi sacri huius nominis pietas? solent in his causis patres esse suspensi, etiam
10 cum liberorum numerus maior est et felicioris subolis beatitudo suppeditat: quo magis in unicae negotio filiae debuit te facere necessitas cautiorem. ducetur misera, ducetur infelix, occursura numquam visibus meis; fient non nuptiae, sed filiae miseranda transcriptio, si nuptiae
15 dicendae sunt quae non in augmentum generis nostri, sed interitum processurae sunt. orbitas ista est, non propagatio sanguinis et in hoc facto domus nostrae solitudo perpetua. quis erit ille funereus dies quo sine spe reditus his terris miseranda deportabitur aeternis
20 matrem lacrimis relictura? quodsi te non peregrinorum, sed exulum favor in suum commodum traxit incautum, perfidae gentis ante gestorum debueras exempla tractare et recentem facinoris infandi recensere memoriam. Phrygius ille fuerat pastor quem in raptu regiae coniugis nec
25 praesumpta temeritas nec terrarum remota penitus disparatio revocavit. tantum praedicto licuit, ut ignobilis ovium custos Lacedaemona petens longe discretam regis coniugem, Leda regali genitam matre, vexisset ad Troiam. quid non audeant tales, cum ad solitum sceleris praemium
30 sine labore pervenerint? quid, inquam, non audeant quibus inopinatum praedae commodum non quaeritur

---

1 *horum* V *eorum* ed. 3 *ducitur* V *ducetur* ed. 6 *obiecit* ed. 7 *iungatur* V corr. ed. | *ubi est cura fratris* V om. ed. *patris* nos. 16 *in interitum* ed. 19 *portabitur* V ed. 21 *exilium* V *exulum* ed. 24 *raptum* V ed. 25 *dis peratio* V *desperatio* ed. 27 *lacedaemonam* V. 28 *laeda* V. 31 *quaeretur* V corr. ed.

scelere, sed manibus paternis offertur? o unicum solacium senectutis, o liberorum meorum post tot funera miserandae reliquiae: nihilne intererit inter luctus et vota? semper ego plangam, semper lacrimas fundam? lugeo mortuos et sub imagine votorum in filiae luctus inpellor. 5
aequa lance in orbitatem meam maritus et fortuna contendunt et in hac parte mitior fortuna quam genitor: reliquit illa quae temperaret lacrimas meas, pater infelici tollit quod saeviens inimica dimisit. non addam quod evidenter apparet; neque enim incusandi sunt illi qui 10
proprium de se habuere iudicium: non ausi sunt poscere quod optimo iudicio patris inpetrare non potuerant. quos putamus illius perfidi nunc esse tractatus? aliquid monstri nos aestimat genuisse, monstrum alere et monstrum deforme nutrire; non se ille praelatum ceteris putat, sed 15
coniunctionem nostram cunctos incolas horruisse. quid te arbitrabitur ille sectatum? fidem? at novit se ac suos esse fallaces. genus? quidnam nostro consimile? notitiam? quae ista est? fortunam? illos olim indignata destituit. auxiliorum spem? conciderunt ista cum Troia; neque 20
enim sperabo profuturos nostris qui propria perdiderunt. superioris fortunae reditum? nescio quando provenire possit qui per Troianos reperiri non potuit. nec mihi persuaderi potest aliquem Troiae superesse felicem, cum evasisse crimen sit et vixisse tormentum. quin potius, 25
si infelicium facienda consideratio est, meruerunt aliquid in adversis quos in laboribus suis ultimum supplicium mature consumpsit. emissi sunt isti, ut iactati per universos mundi cardines poenas expenderent, ne quis fieret reliquus qui Troianorum exitium miseriasque nesciret. 30

---

8 *infelici* V *mihi inf.* ed. 13 *monstruosa aestimat* V *monstri nos ae.* nos cf. v. 268 *monstruosum existimet* ed. 15 *ille* V *enim* ed. 17 *se ac uos* V ed. *se ac suos* ed. post. 18 *fallaces* V *fallax* ed. cum falsa distinctione. | *quid tam nr̄o* V *qu. t. monstro* ed. *quidnam nostro* nos. | *notitiam quae* V *quae prudentia* ed. 20 *spem* V *spes* ed. 22 *reditus* ed. 24 *persuadere* V *-ri* ed. 26 *consiliatio* V *comparatio* ed.

venio nunc ad fidei partis, quae semper apud te sancta et inviolabilis fuit, venio ad singulare institutum animi tui, quo tuorum curam semper et ubique servasti. receditur a Turno, quem coniunctum tibi et ratio sanguinis 5 fecit et dexterarum saepius repetita conventio. an putas nihil sceleris admitti, cum nulla interveniente causa rumpitur foedus quod multi religionum nodi et numerosa pariter vincula nexuerunt? Tradas tu dexteram proximo et hoc non semel, sed saepius facias, obstringas cunctis 10 tuam religionibus fidem, quam diis foederum testibus non sine veneratione firmasti, repente, cum laeserit nullus, denique nullus offenderit, ipse primus discidii auctor existas et, quod patri regique turpissimum est, sententiam tuam contraria sentiendo dissolvas? certe si in hac causa 15 deorum te responsa sollicitant, si generum Faunus praedixit externum, nolo in hac parte parentis tanti iudicium laedas, conpleantur iussa, sic tamen, ne ipso patris obsequio intellectus errore prolapsus laedas potius iubentem et quem te officiis promereri credas offendas. responsa 20 semper magna cautela et plena intentione consideranda sunt; quippe dubiis involuta verbis et ancipiti syllabarum congregatione miscentur, ne apud humanum ingenium divina beneficia intellegendi facilitate vilescant. consideremus igitur quid faciendum responsa praedixerint; video 25 enim te in his sententiam tuam, marite, fixisse. externi, inquit, venient generi. videamus quid sit externus; volo enim dicti ipsius definire rationem et parentis tui mentem plena intentione colligere. consultus ille in negotio neptis quid possit prodesse respondit. externo, inquit, trade 30 filiam tuam. externus est quisquis a regno tuo et tua potestate discretus est, cui tamen sit substantia congruens et domicilium certum. exules sunt isti quos arbitraris externos, nec ille sic dixit nostrae filiae consulendum, ut

---

2 *singularem* V. 3 *receditur a turno* V mut. ed. 5 *an* V *ah* ed. 10 *quam* V *quas* ed. 12 *excidii* ed. 18 *intellectus* V *intellecto* ed. 23 *viliscant* V. 24 *praedixerat* V in *-rit* corr. II man. *-rant* OU ed. *-rint* ed. post.

talis virginem sumat qui ventos fugitivus expectet. habes externum consortium Turni, quem si nobis aliquando adfinem ratio temporis fecit, repetita tamen origo superior et eius numerati maiores et patria quo nomine debeat appellari evidenti significatione monstrabunt. mutatio quippe 5 terrarum originem nascendi non mutat. Inachus illi et Acrisius maiores numerantur et Mycenarum illum civitas tenet. cives dici . . . .

deest interpretatio usque ad versum 414.

. . . . suscepta sacerdotis persona, ut maiore 10
415 auctoritate loqueretur. interea quam pulchre posuit Allecto torvam faciem et furialia membra exuit, item induit albos cum vitta crinis! nam exuit et induit sic est ut est illud cum vestem permutamus, exuimus quam habemus et induimus alteram. induit albos cum vitta crinis: 15
420 cito ostendit et crinis et vittam albos fuisse. *et iuveni ante oculos his se cum vocibus offert:* recte commotae vultu apparuit obiurgans iuvenem, quod in sua causa tam segnis existeret, qui et cogitare deberet pericula sua et aetatis suffragio posset adversum se cogitata depellere. 20 *Turne, tot in cassum fusos patiere labores?* poteris, inquit, pati tuos, Turne, labores effundi, hoc est non paulatim, sed semel interire? funditur enim quicquid uno inpulsu contemptum traditur terrae. *[et] tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?* et imperium iam tuis meritis debitum ad 25 indignos et advenas sine labore transire? patiere bis in-

---

6 *conmutat* V ed., sed sententia *non mutat* postulat et V *commutat* scribere solet, quare correxi. 8 *cives dici* VMO om. U ed.: sunt haec ultima verba imi versus fol. 50 Bb in V, cum fine orationis Amatae periit interpretatio vv. 373—414: in marg. infer. manu recentiore adnotatum *hic multum deest* V; defectum spatio brevi signaverunt MU, adiecta adnotatione OU ed. sequitur in V fol. 51 Aa *suscepta sacerdotis persona* item MOU (H comparari nequit cf. praef.): haec temere mutavit ed. praefixo lemmate 415—419 „Alecto—sacerdos“ cum errore „Beroe“ pro „Calybe“, quem tamquam Donati lectionem adnotat Heyne—Wagner. 11 *allecto,* alibi *alecto* V. 17 *rectae* V corr. ed. 21 *fus* V. 24 *contemtum* V *contentum* ed. (nescio an recte). | *et* om. V. 26 *patiere* om. ed.

tellegendum est . . . . sceptrum transcribi. quod autem ait tot labores, a quantitate adiecit pondus dictioni; quod ait tua, laudis loco accipiendum, Dardaniis vero pro convicio, utpote qui sua perdidissent et in-
5 vadere cuperent aliena. incipit aperire quod supra generaliter posuit. *rex tibi coniugium:* rex tuo semper auxilio et labore defensus tibi tantorum meritorum viro tamquam indigno, tamquam inerti coniugium, hoc est non rem ludicram aut levem, sed coniugium negat: non dixit sponsam,
10 quoniam tanto adfectu apud Latinum aut Amatam habebatur, quasi iam illi iunxissent filiam suam. *et quaesitas sanguine dotes abnegat:* ecce et in hac parte satiat quod adserebat; dixit enim Turnum dotis quoque esse possessorem, ac per hoc non ei sponsam negari, sed con-
15 iugem, quae omnia non levi, sed periculoso labore quaesisset. *externusque in regnum quaeritur heres,* quod erat iniuriarum augmentum, scilicet indignum praeferre meliori. *i nunc, ingratis offer te, inrise, periclis, Tyrrhenas, i, sterne* 425 *acies, tege pace Latinos:* quid profuit totiens te laboribus
20 obiectum et periculis tuis stratos esse Tyrrhenos? quid Italos otio texisse perpetuo? *haec adeo tibi me, placida cum nocte iaceres, ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit:* denique cum haec satis indigna omnipotenti Iunoni displicuissent, iussit manifestari tibi per me, ne, dum se-
25 curus noctem continuam dormiendo conteris, regnum simul et consortium perdas uxoris. dixit omnia quae hominem regium ac fortem merito commoverent. dixit laboribus eius gratiam non solum non referri verum etiam intolerabilem iniuriam factam, cuius indignitate merito doleret et
30 Iuno, inrisum scilicet qui factum defendere deberet et

---

1 *est sceptrum* V ed.: aliquid excidisse patet, ad exemplum similium locorum (cf. 8, 74) *ut sit patiere fusos labores, patiere* suspicor. 4 *perdedissent* V. 5 *cupirent* V. 7 *tamquam* ante *indigno* om. ed. 10 *quō* V *quomodo* O U ed. *quoniam* ed. post. 11 *iunxisset* ed. 14 *negaris et* V *negari et* ed. 16 *regnum* V *regem* ed. 18 *i* ante *sterne* om. V ed. add. ed. post. 23 *omnipotenti* V *magnae* ed. 28 *repperi* V *referri* nos *relatam* ed. 30 *factum* V ed. *pactum*? an *Latium*?

posset. dat etiam vincendi fiduciam adserendo Iunonem auxilio fore, cui causa displicebat et quae suadebat ultionem. dixit facilitatem totius effectus, quod cum peregrinis esset necessario confligendum. addidit etiam metum, ne, si interveniret mora, firmatos artiore foederis vinculo 5 superare non posset. in pronominibus quoque magnam vim dictionis ostendit, ait enim ipsa tibi me haec. ipsa, hoc est quae omnia potest et commoda tua pertractat; tibi, contra meritum laborum inriso, forti quoque ac regio, tibi, qui male gesta possis propria virtute defendere, tibi, 10 suscepto iam genero; me, sacerdotem scilicet suam et templi venerandi custodem, cuius fidem nosset et fidele ministerium, cuius efficaciam in his quae curanda mandasset habuit rite conpertam; haec, hoc est incongrua nec respondentia dignissimo viro, in quibus sit inrisionis culpa 15 et mutatio fidei. non inmerito celerius corrigenda prope generaliter posuit, hoc est clausa ex parte, ex parte speciebus expressa. quod ipsum arte mira perfectum est, ut commoto intimaret sententiam. fecit et omnium Latinorum cum rege communem causam, cum solus ipse filiam Troianis 20 promisisset, ut omnis simul una odii societate perfunderet.

430 *quare age et armari pubem portisque moveri laetus in arma para:* et dispone pubem, quemadmodum producatur portis. age et para iubentis est: quis autem suadet ut quis laetus eat in bellum nisi qui spondet spem vincendi certissimam? 25 quod ipsum etsi falso promittebatur, non curabat Furia exitum rerum, quae propter turbanda omnia belli tantum quaerebat initium. *et Phrygios, qui flumine pulchro consedere, duces pictasque exure carinas:* suadebat invadendos bello qui venerant atque, ut hoc securus ageret Turnus, 30 deformat Troianorum personam inbellis ostendens. Phrygii

---

7 *haec* V *h. fari iussit* ed. 10 *maligest* V *a* add. II man. 16 *celeriter* ed. | *corrigenda* V ed. *peragenda*? 17 *clausa* i. e. obscura ut 211. | *ex parte* semel ed. | *expeciebus* V. 19 *sententia* V corr. ed. 24 *aget* V *age et* nos *age* ed. 25 *in* V *ad* ed. | *ad vincendi* V *ad* delevi cum ed. an *ad vincendum*? 31 *personas* ed.

sunt, inquit, hoc est qui per inertiam sedes suas et patriam perdiderunt, delectantur amoenitate fluminis, quod non facerent, nisi essent soluti et inertes. pictasque exure carinas: notatur quod pictura navium luxuriosos sese con-
5 probarent et ad bellicum certamen infirmos. has igitur iubebat incendi, ut pressis fugiendi vel evadendi subsidium negaretur. *caelestum vis magna iubet:* debet audacius fieri quod superna praecepit auctoritas. quod enim deorum reginam dixit praecepisse, ad omnis deos voluit
10 pertinere, qui voluntati potioris non poterant contradicere. nec dubites, inquit, accepta perficere, cum coeptis tuis adfuturus sit potentissimorum numinum favor. potest et sic, ut Iunonem dixerit vim magnam, hoc est quae plus posset quam dii ceteri. *rex ipse Latinus, ni dare con-*
15 *iugium et dicto parere fatetur, sentiat et tandem Turnum experiatur in armis:* quod ait rex ipse, sic intellegendum est: ipse qui te fefellit, ipse cui obsecutus es semper, ipse cuius imperium tua defensione servasti, ipse qui mobilis esse non debuit, ipse penes quem summum super
20 filiae coniunctione iudicium est quique iniuriae tuae auctor esse non debuit. nisi tibi coniugem dederit, nisi condicionibus tuis se professus fuerit pariturum, qui benivolentiam generi contemnendam credidit armati sentiat et irati virtutem.

25 *Hic iuvenis vatem inridens sic orsa vicissim ore refert:* 435
hic iuvenis, hoc est qui aetatis et fortitudinis substantia confisus esset, aniculae dicta per somnium et verba feminea pro levibus ducens talia dedit responsa. expressit utriusque aetatis morem; nam senes ultra quam sat est timi-
30 diores sunt et apud iuniores haec aetas contemni consuevit. denique et poeta haec praemisit: hic, inquit, iuvenis;

---

4 *quid* V *quod* ed. | *sese conprobarent* V *esse comprobaret* ed. 8 p̄caepit V *praecipit* ed. | *enim* V *vero* ed. 12 *nominum* V corr. ed. | *potest* — 13 *magnam* V *et id Iuno praecepit magnae potentiae* substituit ed. 20 *coniunctionem* ed. | *quique* V *ipse qui* ed. | *suae* V ed. *tuae* nos. 22 *tuis* om. HOU ed. 27 *feminea* V *feminae* ed.

quippe non tantum spernuntur senes contemptu iuvenum verum etiam ridentur, eo magis in praesenti negotio, ubi mulier interveniebat et anus, cuius et aetas Turno displicebat et sexus. sic ergo incipit loqui: *classis invectas Thybridis undam,* classis, inquit, in Thybridis undas vectas, 5 *[non, ut rere, meas] effugit nuntius auris:* res, ait, veteres pro novis et olim mihi cognitas attulisti; nuntius enim ad auris meas dudum attulit et venisse navis et fluvium Thybrim ingressas. *ne tantos mihi finge metus:* proinde cessa terrere nihil metuentem. *nec regia Iuno inmemor* 10 *est nostri:* nam et Iunonem reginam non inmemorem nostri scis et quemadmodum partis meas commodumque tueatur. 440 *sed te victa situ [verique effeta senectus, o mater, curis nequicquam exercet]:* situs est corruptio ex umore et diuturnitate contracta, quod deteriores fiunt species uno 15 loco et prolixo tempore constitutae. ita et hanc victam situ posuit, quasi quae senio esset et nihil agendo corrupta. sic, inquit, sunt senes; nam hoc illis speciale vitium est, nescire quid agant quidve loquantur. o mater inrisio est aperta; nam primaevis familiare est senes teme- 20 rare iniuria. igitur religiosum nomen matris adiunxit, ut illa minus graviter ferret, unde multo acrius potuerat commoveri. probatio adsertionis Turni ex praesentibus sumpta subiecta est. sed te victa situ verique effeta senectus, o mater, curis nequicquam exercet *et arma* 25 *regum inter falsa vatem formidine ludit:* senectus tua, inquit, nescit congrua conpetentiaque sectari, denique

---

1 *contemtu iuvenum* V *contempti a iuvenibus* ed. 4 post *loqui* sequitur *classis invectas tybridis undam* atramento scriptum, tum rubro colore *classis inquit in tybridis undas vectas effugit nuntius auris* V: est ergo prior pars lemma, posterior interpretatio cum sequentis lemmatis fragmento, permutatis ex parte coloribus: posterius lemma explevi. 6 *vestras* V *istas* edF *veteres* nos. 7 *et* om. *olim mihi cognitas* transpos. ed. 9 *tybrim* V. 12 *scis* V *scio* ed. | *factis meas* V *facta mea* ed. *partis meas* nos. 13 *verique* — 14 *exercet* addidi cf. ad 1, 25. 15 *quod* V *quo* ed. 20 *temere iniuriae* V *irridere* ed. 22 *potuit* ed. 25 *et* post *exercet* om. V. 27 *conpetentiaque* V *et comp.* ed.

iuvenum te exagitat cura et, cum sis vates templisque te dedicatam esse conveniat, vis scire quid pugnaturi agant, quid armati disponant. *cura tibi divum effigies et templa tueri:* repetendum est tibi officium, quod incauta dese-
5 ruisti, serva deorum effigies et numinum templa custodi. *bella viri pacemque gerent, quis bella gerenda:* ille debet sollicitudinem tractare pacis ac belli qui dimicare sufficit et pacem virtute conponere.

Talibus Allecto dictis exarsit in iras: accepta, inquit, 445
10 talium dictorum iniuria Allecto facta est repente quae fuit; non enim difficile commoveri potuit in qua supererat quod quieta perturbat. *at iuveni oranti subitus tremor occupat artus:* cum haec dixisset Turnus, eodem temporis puncto contremuit et ab iniuriosis vocibus ad depreca-
15 tionem conversus rogare coepit iratam. *deriguere oculi:* usque adeo perterritus fuit, ut oculi eius vigorem solitum perdidissent. *tot Erinys sibilat hydris:* quem enim non terreret tantorum multitudo serpentium, quae minacibus sibilis personans turbaverat intuentem? *tantaque se facies*
20 *aperit;* crescebant quae metuentis formidinem cumularent: *tum flammea torquens lumina cunctantem et quaerentem dicere plura reppulit:* incipit exponere quid sit tantaque 450 se facies aperit. tum, hoc est deinde, cum oculis Furiae emitteretur incendium, cum quid iracundiae gereret tortis
25 in perversum oculis testaretur, orantem reppulit et vehementissime deprecantem trudendo conpescuit. *geminosque erexit crinibus anguis,* quos habuit in illa serpentium turba potiores, *verberaque insonuit,* id est flagella concussit, ut verberato aere quid pati potuisset ipse Turnus
30 adverteret. *rabidoque haec addidit ore:* cum commotionis suae tot signa prodidisset, convenientem iratae sermonem

---

3 *quid armati* V *quidve a.* ed. 6 *ille* (*illae* V) — 8 *conponere* om. ed. 9 *talibus — iras* om. ed. 11 *difficulter* ed. | *semper erat* ed. 12 *perturbaret* ed. | *orantis* V. | *subito* ed. 14 *ab* om. ed. 17 *tote rinis sybilla thydris* V. 18 *serpentum* (et infra) ed. 26 *geminosque* pro *et geminos* Vergilii V ed. 30 *rapidoque* contra interpr. V.

protulit, scilicet inflatum et tumidum et qualem habere sunt soliti qui rabioso furore fremiscunt. *en ego victa situ, quam veri effeta senectus arma inter regum falsa formidine ludit:* peius obiurgare non potuit metuentem, quam ut ea illi ingereret quae ille meminerat protulisse. 5
senti nunc, inquit, anum delirantem, senti desipientis per senium hebetata consilia et actus longe a sexu et merito aetatis alienos, quae sim nunc, quoniam superioris formae contemptor esse maluisti, considera: *respice ad haec:* intuere diligentius quid inter praeterita praesentiaque 10
distet, ac, te ne adhuc usque contumax intentio teneat aut te falli somnio aut oculis putes, disce unde veniam, quae sim vel quibus germanitate coniungar aut qua
455 vigeam potestate. *adsum dirarum ab sede sororum, bella manu letumque gero:* idcirco posuit in manu sua esse 15
bella et mortem, quia Turnus ei obiecerat quod inportune gereret virorum fortium curam vel cuperet nosse utrum pacati esse vellent an bello contendere. *sic effata facem iuveni coniecit:* post indignationem talem et obiurgationem verborum tumentium quale factum Furiae oportuit sequi, 20
ne sine effectu discederet? debuit enim proficere aperta violentia ubi locum dolus habere non potuit. facem igitur iuveni coniecit *et atro lumine fumantis fixit sub pectore taedas:* poetica descriptio, qua ardentem facem ac fumantem in iuvenem dixit intensam, ceterum ardorem quendam 25
et cupiditatem mentis memoravit iniectam, ut inpatienter cuperet quod ante contempserat. nec vacat quod dixit in iuvenem coniecit; facile enim potuit velle qui iuventae subsidio effectus voluntatis Furiae valebat inplere. dehinc adnectit descriptionem hominis quem vis maior accenderat: 30

---

1 *et tumidum* om. ed. 2 *frenis cunt* V *fremescunt* ed. 3 *veri* om. V. | *effecta* V. 8 *alienus* V. 10 *quid* om. V. 11 *te ne* V ed. *ne te*? | *contumax* V *pertinax* ed. 12 *autefalli* V *aut ne falli* HOU ed. 17 *cuperat* V. 20 *fori et* V *fieret* OU ed. *Furiae* nos. 22 *facem* — 23 *coniecit* om. ed. 24 *fumantum iuvenem* V *fumantem iuveni* ed. *fumantem in iuvenem* nos. 25 *inmensam* V *intensam* nos *infixam* HOU ed. 28 *iuvenem* V *in i.* nos *iuveni* ed.

illi somnum ingens rumpit pavor: non vigilavit satiatus somno, sed quies eius metu maximi terroris abrupta est. *ossaque et artus perfundit toto proruptus corpore sudor:* dehinc consecutus est sudor non ex laxamento utili cor-
5 poris, sed quem excitatae mentis commotiones extorserant et repentinus membrorum tremor. dehinc ille, qui spreverat cunctos auditus, *arma amens fremit, arma toro* 460 *tectisque requirit, saevit amor ferri et scelerata insania belli:* contraria salutis suae omnia requirebat, quod est
10 familiare his qui non suo, sed dominantis trahuntur arbitrio. arma in stratis requirebat amentia, arma posita putabat in lecto, arma rursum arbitrabatur in tectis. *ira super*: tantum contraria desiderabat, ut irasceretur sibi quod nondum iret ad bellum; neque enim posset
15 haec velle, nisi primo esset multiplici ratione commotus. inducitur haec pars, ut illi instructioni respondeatur qua dictum est (340) „arma velit poscatque simul rapiatque iuventus". ut autem et demonstraret ardores Turni, subiecit similitudinem, quo et quanta vis Furiae fuerit possit
20 adverti: *magno veluti cum flamma sonore virgea suggeritur costis undantis aeni [exultantque aestu latices, furit intus aquai fumidus atque alte spumis exuberat amnis, nec iam* 465 *se capit unda, volat vapor ater ad auras]:* ornatus carminum in parabolis similitudinibusque consistunt: qua
25 causa, ut ardentis hominis aestus ostenderet, dixit: quemadmodum aeneum vas aquis plenum subiecto igni fervescit et furore quodam aestuans unda mensuram speciei qua continetur excedit et longius erecta fumosis tumoribus fertur: sic Turnus incendio Furiae saevientis accensus
30 nesciebat quis esset, quid vel ubi perquireret. virgeas

---

1 *somnium* V. | *rupit* ed. | *violavit* V *vigilavit* ed. cf. 8, 67. 2 *quieius* V *quies eius* ed. 4 *corporis* V *-ri* ed. 5 *exaciaetate* VH *excitatae* OU ed. 9 *salutis* V ed. *saluti*? 18 *et demonstraret* V *d. quoque* ed. 19 *quo ex* V *q. et* nos *ex q.* ed. *ex qua* ed. post. 20 *magna* V. 21 *seni* pro *aeni* V. | *exultantque* — 23 *auras* deest in V, sed explicatur. 26 *ferviscit* V. 27 *furore* V *fervore* ed. 28 *tumoribus* V *fervoribus* HOU ed. 30 *quidve vel* ed.

flammas posuit, quia ex tenui lignorum substantia et flamma torridior nascitur et sonus nonnullus emittitur. *ergo iter ad regem polluta pace Latinum indicit primis iuvenum et iubet arma parari, tutari Italiam, detrudere finibus hostem:* adversus Latinum moveri non debuit, quem 5 socerum cupiebat, sed dicta est causa propter quam fieri conveniret. polluerat, inquit, pacem, hoc est primus pacis iura violaverat. accedebat alia causa, quia hoc Turnus non sua voluntate, sed inpulsu Furiae cogebatur efficere; quippe ipsa dixerat (432) „rex ipse Latinus, ni dare 10 coniugium et dicto parere fatetur, sentiat et tandem Turnum experiatur in armis". exequens igitur iussa iter disponebat ad regem pollutae pacis reum. quod ipsum edixit suis, non quidem omnibus, sed primis iuventutis, hoc est ductoribus multitudinum, ut causam nossent et 15 scirent agenda et propter quos essent ista facturi. parent arma, ne resistere hostis auderet, se tamen confidere quod aemulus sine certamine finibus Italiae non posset excludi. summam interea consiliorum in eo esse, ut uno egressu 470 et Itali premerentur et Teucri: ideo positum est *se satis* 20 *ambobus, Teucrisque venire Latinisque.* ambobus dixit venire, cum multorum sit numerus designatus, Teucrorum scilicet et Latinorum, et videtur esse vitiosum, ut quod multorum fuit duobus videatur adpositum. hunc locum sic possumus exponere, ut non solum ambobus, hoc est 25 Latino et Aeneae, praedixerit sese venturum verum etiam Latinis et Teucris. *haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit, certatim sese Rutuli exhortantur in arma:* quantus cunctorum amor fuerit iuxta Turnum, quantus universorum favor, quanta iubentis auctoritas breviter ostendit. mox 30 enim ut ille praedixit quid esset pro necessitate temporis faciundum et diis vota persolvit, omnis iuventus non ex-

---

2 *nasceretur* V ed. | *nonnullos* V *ingens* ed. | *emittitur* V *-eretur* ed. 13 *arcem* V *regem* ed. 15 *ut* V *qui* ed. 17 *sed tamen confidere* V *se t. c.* nos *sed t. confideret* ed. 19 *in eo essent uno* V temere mut. ed. 32 *vocare voluit* V *votare v.* H *vota persolvit* nos *vota fecit* O U ed.

pectans hortatus alienos ipsa sibi extitit hortamento, ipsa inpellebat ad bellum, quod est procul dubio studiosius et in officiis praecipuum, voluntate facere aliquid quam coactum et invitum. dicuntur causae quae iuventutem 5 magis in arma commoverant, *hunc decus egregium formae movet atque iuventae, hunc atavi reges, hunc claris dextera factis:* unusquisque pro ingenio suo dolebat iniuriam Turni, in quo fuerunt omnia quae inprobari non possent, aetas primum et corporis forma et fortia eius facta, hoc est 10 probata virtus in plurimis triumphis et gloriis. haec ipsius fuerunt propria, quae diversi mirabantur et dolebant esse contempta. ecce extra ipsum, tamen ad eum generis ratione pertinentia: hunc, inquit, atavi reges: qui regibus gaudebat retro maioribus non debuit reici ut indignus, sed 15 praeponi ceteris et praeferri et vel maxime is qui virtutis suae plurima exempla monstrasset.

Dum Turnus Rutulos animis audacibus inplet, Allecto 475 *in Teucros Stygiis se concitat alis:* posteaquam Furia Turnum excitavit in bellum, atque ita ut iam non solus, sed cum 20 suis desideraret exire, reliquit bellica disponentem, debuit enim etiam alterius partis quieta turbare. proinde evolavit adversus Teucros, ut his quoque quas posset insidias tenderet. *arte nova speculata locum, qua litore pulcher insidiis cursuque feras agitabat Iulus:* nocendi artibus feta 25 ex occasione arripuit tempus et locum in quo Iulus feras insidiis agitabat et cursu. cursus pertinet ad equos et canes, insidiae autem ad retia. *hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo obicit et noto naris contingit odore, ut cervum* 480 *ardentes agerent:* ad naturalem rabiem canum qua feras 30 persequi fuerant soliti nocitura Furia adiecit augmentum ac, ne animal oportune necessarium minus obvium cani-

---

1 *ipse inpellebat* V ed. *ipsa i.* nos. 3 *facere* V *potius f.* ed. 4 *coactum et invidum* V *vi et cum metu* ed. 7 *iniuriam* V *-a* ed. 11 *mirantur et dolebant* V *mirabantur et d.* ed. 14 *retro* om ed. 15 *ut et maxime* V *et m.* ed. *et vel m.* nos. | *his qui* V. 23 *locum qua* V *l. quo* libri Verg. 24 *feta* om. ed. 29 *naturale* V.

bus saevientibus fieret, odorem cervi ad eorum naris pervenire fecit, ut invenirent ipsi quem forsitan eventus fuerat servaturus. *quae prima laborum causa fuit:* haec occasio praetermittenda non fuit, quae idonea videbatur ut initio belli primam faceret causam. *belloque animos* 5 *accendit agrestis:* non inaniter posuit animos agrestis, hoc est asperos et inperitos animos, primum excitatos in bellum; nullus enim sapiens sic moveri potuisset ut illi excitati sunt, ut propter vilissimi animalis iniuriam levem, quae inprudentia pueri venantis defendi potuerat, proprium 10 sanguinem daret. huius cervi quoniam noverat poeta nullum meritum fuisse vel pretium, ex aliis prosequitur laudem, ut ipsi quoque agrestes pro naturali inperitia velut iuste exarsisse videantur. exequitur igitur qualis ille fuerit cervus et huius formam, mores mansuetudinem- 15 que commendat. *cervus erat forma praestanti et cornibus ingens:* duo habuit summa, formam corporis et cornuum magnitudinem, qua sublimior efficiebatur. ecce non ipsius generis exequitur meritum, quod nullum fuerat, sed magnitudinem eius et pulchritudinem praefert. hoc ergo fuerat 20 primum, quod pulcher et magnus quodque ornatus arboreis cornibus. *Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere* 485 *raptum nutribant Tyrrhusque pater:* hic versus habet non parvam confusionem, si personarum ratio lateat. nonnulli enim sic pronuntiant, ut dicant cervus erat forma 25 praestanti et cornibus ingens Tyrrhidae pueri. quod si ita remanserit reliquum, non apparebunt qui eum retraxerint uberibus matris. proinde personae constituendae sunt, ut intellectus fiat illustrior. dicimus Tyrrhum filios habuisse inter ceteros Tyrrhidem et Silviam, inventores autem 30 cervi fuisse pueros Tyrrhidae † ergo em, hoc est homines Tyrrhidae: nec miremur pueros dictos, cum alio loco

2 *perfecit* V ed. *per* delevi ut dittographon. 4 *non* om. ed. *nec* pro *haec* ed. post. 6 *non — agrestis* om. ed. 20 *praefieri* VH *praefert* nos *praestantiae* O ed. *-tem* U. 21 *ordinatus* V *ornatus* ed. 27 *apparebunt* V *apparebit* ed. cum alia distinctione. 31 *ergo em* V *et gentem* ed. *ergo gentem*?

(5, 348) qui iuvenes fuerunt dicti sint pueri hoc modo: „vestra, inquit, munera vobis certa manent, pueri". ergo cervus per Tyrrhidae pueros pervenit domum Tyrrhi maioris ibique nutriebatur inter filios eius, non solum
5 autem natis domini amabilis factus, verum et ipsi seni; solent quippe parentes diligere quae amare viderint liberos suos. *cui regia parent armenta et late custodia credita campi:* commendatus est cervus retenta interim parte laudis, quam post demonstrata Tyrrhi merita posuit. debuit
10 enim ipse ostendi vel maxime in quo apud regem Latinum merito fuisset, qui videbatur in cervi vulneratione contemptus. dignus, inquit, inventus est cui rex armenta sua camposque committeret. quanti igitur meriti fuit procurator regis! cuius satiandi causa Vergilius nec armento-
15 rum numerum nec camporum modum voluit designare, ut rectorem illum maioris census sub generalitate ostenderet. melius autem est propter cumulandam laudem Tyrrhi „late" pronuntiare quam „lati": in latitudine enim multa specialia intellegi possunt, ne unus campus minuat studium
20 praeferentis. in appellatione campi continuatio intellegitur et una planities; si enim camporum diceret, interpositos significaret montis aut tumulos, qui inde multos campos efficerent. rediit ad aliam partem laudis cervi; nam ab his quae communia sunt omnium cervorum transit
25 ad ea quae propria ipsius fuerunt; quippe multi alii reperiri potuerunt et grandes et cornibus satis superque sublimes. *adsuetum imperiis soror omni Silvia cura mollibus intexens ornabat cornua sertis pectebatque ferum puroque in fonte lavabat:* facile ille secutus est hominum mores
30 nec feritatem perdiderat, quia hanc nondum fuerat consecutus in silvis utpote raptus ab uberibus matris, sed

---

1 *sunt* V *sint* ed. 3 *tyrrhidaes* V *-das* ed. 5 *factus* V *f. erat* ed. 8 *partem* V corr. ed. 14 *studendi* V *satiandi* nos *scribendi* ed. 16 *maiores* V *maioris* nos *maiores habere* ed. | *generalitatem* V corr. ed. 18 *quam lati* V *qu. strictim* ed. | *multa specia* V *m. specialia* nos *multae species* HOU ed. 22 *aut* om. ed. | *qui in* V *q. inde* nos *qui* ed.

solam humani generis cognoverat lenitatem, eo vel maxime quod puellae Silviae promptiore excolebatur adfectu; nam pectebat ferum, ferum natura dixit, non moribus, lavabat in fonte hoc est in aqua mundissima et eius ramosa cornua sertis intexebat. ferum, quod semel posuit, omnibus quae dicta sunt nos debemus aptare, ut sit pectebat ferum, lavabat ferum, coronabat ferum. addidit nunc laudis eius augmentum, quod haec ille ferebat patienter: nam totum quod puella faciebat habuit moras, et reluctari potuisset, nisi naturalem animalis sensum studiosae virginis magisterium permutasset; ut enim libenter universa perferret, didicerat oboedire praeceptis; non enim frustra positum est adsuetum imperiis; quippe quis crederet ferum animalis genus et manu puellae potuisse contingi et pecti et lavari in fonte et coronis ornari, nisi praemisisset ideo haec facta quod ille cervus iubenti parere primitus et iussa conplere didicisset? *ille, manu patiens mensaeque adsuetus erili, errabat silvis rursusque ad limina nota ipse domum sera quamvis se nocte ferebat:* quae fuerunt potiora laudis eius ad ultimum reservata sunt, quod errabat per silvas et remeabat ad domum nec confundebatur eius cognitio, etiamsi tenebrae noctis inruissent, intellegebat unde exisset et quo sibi esset necessario redeundum. huius quoque facti, quoniam incredibilis relatio videri potuit, praetulit causam qua illud fieri potuisse sine dubitatione monstraret. patiens, inquit, fuit manu: cur reverti metueret qui humanae manus nullas metuebat insidias? mensae domini sui cur formidaret accessum, ubi conservatio salutis eius tuta fuerat et satietas ventris? haec igitur ille non faceret contra institutum generis sui, nisi illius naturam multiformis hominum benignitas permutasset. *hunc procul errantem rabidae venantis Iuli commovere canes, fluvio cum*

---

9 *moras* V *gratum* ed. 10 *potest* V *potuisset* ed. 15 *lavare* V corr. ed. | *nisi* V *n. haec* ed. 17 *manu* (et infra) V *manum* ed. 18 *ereli* V. 21 *ad* om. ed. | *cognitio* V *coniunctio* ed. 22 *etiamsi* V *etsi* ed. 29 *saciata* V *satietas* HOU ed. an *satiatio*? 32 *rapide,* infra bis *rapidae* V, quod

forte secundo deflueret ripaque aestus viridante levaret: 495
hunc cervum ex more paulo longius a domini parietibus
errantem rabidae canes Iuli venantis commoverunt vel
natura vel factione Furiae inmissae; supra enim dixit „hic
5 subitam canibus rabiem Cocytia virgo obicit et noto naris
contingit odore, ut cervum ardentes agerent“. hoc igitur,
ut dictum est, faciebant canes, cum ad vim naturae accessisset
et rabies inmissa per Furiam, commoverunt eum
in ripa fluminis oberrantem levandi aestus causa; fluebat
10 quippe idem fluvius secundis lapsibus et placido agmine
et delectationem praebebat aspectu et aprico frigore levabat
aestuantis ardorem, requiescendi autem praebebat occasionem
et ipsam requiem gratiosiorem faciebat herbis
virentibus adfatim ministratis. ordinatur sensus sic: hunc
15 procul errantem rabidae canes venantis Iuli commovere,
secundo fluvio cum deflueret ripaque aestus viridante
levaret. dicta est causa qua invitabatur cervus ut fluvium
peteret: defluebat lenis, hoc est non habuit strepitus odiosos
dormienti et habuit ex placiditate gratiosum aspectum,
20 si forte esset iacenti vigilandum, et aura ex undis arborumque
opacitate collecta gratiaque riparum viridantium reficiebat
exceptos et exclusis aestibus sublevabat. haec sunt
quae aliquantum vocaverant cervum, quem venantis Iuli
commoverant canes errantem. et venantis quod dixit, illic
25 constituit omnem defensionem Ascani. si enim super eo
apud prudentis ageret, diceret: agrestem putavi, nescii
mansuetum utpote extra domos degentem nec ipsius causa
venatum processi, sed ferarum capiendarum studio, quae
in silvis et in ripis fluminum reperiri consueverunt. haec
30 quia iuste dici potuerunt apud aequos iudices, data est
opera labore Furiae, ut tales repente in iram consurgerent
quibus aequa ratio reddi non posset, agrestium scilicet

---

recepit ed., sed Donatum *rabidae* legisse interpretatio docet
nec *vel natura* obstat, quoniam v. 479 naturalem canum rabiem
statuit. 9 sqq. *deflueret* Don. impersonaliter accepisse videtur.
15 *venantes* infra *-tis* V. 23 *vocaverant* V *invitaverant* ed.
26 *agrestae* V corr. ed.

infinita turba, saevorum quoque et inperitorum. *ipse etiam eximiae laudis succensus amore Ascanius:* ipse etiam inquit, ut in commotione et malo domestici animalis non soli canes erraverint, qui feras discernere inpediente natura et furore non possent, verum etiam ipse Ascanius aesti- 5
masset agrestem. denique laudis amore raptatus, ut suam potius quam canum faceret gloriam, *curvo direxit spicula cornu:* ut sagittae volucris cursu fugam cervi praeveniret et premeret, arcum arripuit et iecit sagittam. *nec dextrae erranti deus afuit:* non defuit deus, qui mittentis dexteram 10
falli non sineret. deum quem debemus accipere nisi eventum, qui humanos actus aut inplet aut deserit? *actaque multo perque uterum sonitu perque ilia venit harundo:* acta
500 harundo multo sonitu ventrem cervi iliaque penetravit. *saucius at quadrupes nota intra tecta refugit:* quasi sciret quid 15
in periculo salutis suae facere debuisset, notam confugit ad domum. nota tecta non solum quo remeare consueverat accipiendum est verum etiam quorum humanitatem longo tempore conprobasset. ecce et a tempore meritum cervi, utpote qui raptus ab uberibus matris ad formam talem 20
et tantae magnitudinis cornua pervenisset. *successitque gemens stabulis:* aut ex dolore gravissimi vulneris gemens aut ex gemitibus indicans cladem suam, quam voce testari non poterat. *questuque cruentus:* gemitus eius existebant sic, ut non solum dolere verum etiam conqueri videretur, 25
ad testimonium autem cladis acceptae monstrabat et sanguinem. *atque inploranti similis:* sic se, inquit, offerebat singulis, ut defensorem putaretur inquirere. *tectum omne replebat:* nullum domus reliquerat locum quem non querellis inplesset. *Silvia prima soror palmis percussa lacertos* 30
auxilium vocat et duros conclamat agrestis: ipsa prima cervi casus ingemuit quae pectebat ferumque lavabat in fonte, quae cornua eius sertis intexebat et, quod patienter

---

6 *raptatus* V *captus* ed. 7 *specula* V. 9 *eiecit* ed. 10 *errante* V. 13 *acta harundo* om. ed. 15 *ac* pro *at* V. 19 *cervi* V *c. dixit* ed. 24 *quaestuque* V. 25 *dolore* V. 30 *lacertis* V. 33 *intexerat* V ed.

haec ferret, habuit gratum. tantum consuetudinis adfectus potuit, ut hanc etiam graviores provocaret ad planctus et umeros palmis propriis verberare. ecce ad excitandum levi ex causa bellum datur etiam puellae persona, quae
5 pro sexu et aetate putaret magnum scelus admissum, quia moriturus fuerat ex causa vulneris cervus: in auxilium repetendae ultionis homines vocabat agrestis, inperitos et duros hoc est animo feros et ratione expertis atque ad certamen robore corporis conpetenter aptissimos. *illi (pestis* 505
10 *enim tacitis latet aspera silvis) inprovisi adsunt:* quoniam natura saevi et pro locorum asperitate truces oblatam puellae sumpserant vocem, venerunt repente. inprovisi sunt qui subito apparent nec videntur dum veniunt. describitur in armis ipsis hominum furor et repentina com-
15 motio: ruebant, inquit, in hominum perniciem properantes, non hastis armati vel gladiis; agrestes quippe non usum habuerunt pugnandi, sed inferendae violentiae. *hic torre armatus obusto, stipitis hic gravidi nodis:* unus, inquit, ferebat fustem ex incendio sublatum, alter stipitem in-
20 politum et nodorum ponderibus praegravatum. duorum specialiter dicta sunt arma, ut de exemplo potuisset intellegi qualia omnis multitudo portaret. cum igitur cunctos brevi dictione concluderet, ait *quod cuique repertum rimanti telum ira facit:* postremo succedebat furentibus in armorum
25 vicem quicquid praesens ministrarat occasio. *vocat agmina Tyrrhus:* cum pro magnitudine commotionis suae Tyrrhus praesentem iuventutem sufficere non posse speraret, ultioni vocabat alia quoque agmina. describit iam quomodo veniebant evocati, quanti vel quales vel unde: *quadripedam*

---

1 *referret* ed. 3 *et—verberare* V *et—verberaret* ed. possis *ut—verberaret* suspicari, sed cf. 5, 781. 5 *pro exuaeditate* VH *pro simplicitate* OU ed. 8 *ratione* V ed. *-nis* ed. post. 9 *olli* ed. 10 *tacitas* V. 11 *asperiditate* V. | *optatam* V ed. *oblatam* nos. 12 *sumpserant* V ed. possis *senserant* suspicari, sed cf. 8, 64. | *improvisi* post *vocem* interpol. ed. 16 *artis* V *arte* ed. *hastis* nos: potest in archetypo *astis* scriptum fuisse. 23 *repertum* V *r. est* ed. 28 *iam* V *etiam* ed. 29 post *unde:* posui secundum interpretationem quamvis absurdam. | *quadri-*

510 *quercum cuneis ut forte coactis scindebat, rapta spirans inmane securi:* veniebat iuvenum manus, quae scindebat cuneis quercum, inmane spirans et crudelitatem in anhelitu etiam spondens, securim vero secum vehens ad bellum, qua scindendis roboribus operam dabat, securis rapta osten- 5 dit meram furentis insaniam.

At saeva e speculis tempus dea nancta nocendi [ardua tecta petit stabuli]: e speculis hoc est ex summo; inde enim inferiora vel longe posita facilius cernuntur. mire positum tempus dea nancta nocendi; unum est enim de tribus quae 10 in omni actu possunt explicare quae cupimus; sunt enim locus, tempus, persona. oportunitas igitur temporis quoniam nitentem poterat iuvare suffragio suo, eam non amisit Allecto; quippe nocendi peritia callens amicum dispositioni suae tempus et efficax praeterire non passa est. denique 15 eminentissimum tenuit locum, tectorum scilicet stabuli, ut quicquid fecisset vel voluisset dicere id non ipsa, sed stabuli dominus facere vel dicere videretur. *et de culmine summo pastorale canit signum:* ut pastorum congregatio fieret maior, de summo datum signum est cunctis pastori- 20 bus notum. *cornuque recurvo Tartaream intendit vocem:* emisit tristem vocem ex tuba. Tartaream ideo, quia, cum intervenerit, funera consequuntur et caedes. *qua protinus* 515 *omne contremuit nemus:* quam luctuosum fuit quod emittebatur ex tuba, quando hoc accepto ipsa quoque nemora 25 tremuerunt! *et silvae insonuere profundae:* tantum profecit altitudo loci, ut exinde letalis sonus etiam ad silvarum profunda pervenisset, hoc est interiora et penitus abstrusa. *audiit et Triviae longe lacus,* id est Avernus, qui satis a Latini stabulo fuerat remotissimus. *audiit amnis sulphurea* 30 *Nar albus aqua fontesque Velini:* per locorum nomina ex-

---

pedam V (cf. decempeda) *quadrifidam* ed. et Verg. libri omnes. 1 *scindebant* susp. Hoppius p. 4 neglecto quod sequitur *spirans:* Don. *ut* ita accipit, ut vocatos eodem habitu fuisse statuat. 2 *ardua tecta petit stabuli* post *securi* inepte interpol. U ed. 7 *e* om. in lemmate V. | *ardua* — 8 *stabuli* deest in V, sed explicatur. 9 *positum* V *p. est* ed. 14 *peritiam* ed. 20 *dato* V. 26 *intonuere* ed.

pressa est longitudo regionum ad quas dirus tubae pervenerat sonus. idcirco autem dixit Nar sulphurea aqua album fluere, quod currens colorem sulphuris monstret, sit vero aqua eius alba cum hauritur. Velinus autem lacus
5 est. *et trepidae matres pressere ad pectora natos:* feminae, quae bellicum cani acceperant auribus, mox non sibi plus quam liberis metuentes continuerunt filios suos amplexibus pavidis scientes quid mali etiam parvulis bella minarentur. ad pectora, inquit, presserunt pignora sua, ut ostenderet
10 poeta nimium adfectum maternae sollicitudinis, quasi demum inde divelli non possent. certe etiam illud intellegi potest voluisse eas satiare corda sua solacio, antequam illis vel earum liberis veniret interitus. *tum vero ad vocem celeres, qua bucina signum dira dedit, raptis concurrunt* 520
15 *undique telis indomiti agricolae:* superius „Silvia", inquit, „prima soror palmis percussa lacertos auxilium vocat et duros conclamat agrestis", postea dixit „vocat agmina Tyrrhus" et venisse aliquos, tertio Furiam ipsam bellum tuba finitimis et longe positis nuntiasse secutum est, tum
20 vero hoc est tum magis infinitos agricolas coepisse concurrere, ut manifestaret quanta virtute singuli auxilia convocassent propter ultionem facti. *nec non et Troia pubes:* hoc est Troianorum iuvenum multitudo. Troia sic pronuntiare debemus, ut, cum ipsa patria significatur, duae
25 syllabae fiant, quando aliquid ipsius, tres syllabae numerentur, ut nunc prima sit tro, secunda i, tertia a. *Ascanio auxilium castris effundit apertis:* in periculo regii pueri non paulatim processerant ad auxilium nec partibus, sed semel omnes Troiani effusi sunt. quantum tuetur Vergilius
30 Troianorum partis ab illa invidia, ne in alieno regno positi inprobitatis crimen incurrerent! procedebant, inquit, Troiani, non ut inferrent, sed ut repellerent bellum, nec ut persequerentur quemquam, sed ut regis filium tuerentur

---

2 *Nar* V ed. *Narem* expectes. 3 *sulperis* V. | *monstret sit* V *monstraret est* ed. 6 *cani* V *cum* ed. 11 *inde* V *deinde* ed. 12 *solacio* V om. HOU ed. 13 *veniret* V *accideret* ed. 15 *teli* V. 20 *infinitos* V *in finitimos* HOU ed. 28 *partibus* V *in p.* ed.

et ab agrestium inprobitate defenderent. *[derexere acies], non iam certamine agresti stipitibus duris agitur sudibusve*
525 *praeustis, [sed ferro ancipiti decernunt]:* ad id iam fuerat ventum, ut non lite inter paucos, sed inter innumeros acie veris armis contenderetur ac bello. *atraque late horrescit* 5 *strictis seges ensibus:* in tantum gravis horror apparebat armorum, ut nudatis gladiis atque eductis terra omnis sine magno tremore videre non posset. *aeraque fulgent sole lacessita et lucem sub lumina iactant:* repercussa aera solis radiis tantum luminis cogebantur effundere, ut solis ipsius 10 lucem superarent. *fluctus uti primo coepit cum albescere*
530 *vento, paulatim sese tollit mare [et altius undas erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo]:* mittit similitudinem qua ostendit augmenta calamitatis et belli. quemadmodum solet, inquit, inflari paulatim flatibus mare et dum tem- 15 peratis tumoribus fertur, excitatum maioribus incrementis usque ad astra pertendit, sic belli furor populorum congregatione crescebat. *hic iuvenis primam ante aciem stridente sagitta natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo, sternitur:* post casum cervi, qui malis omnibus initium 20 dederat, forte accidit ut eiusdem Tyrrhi filius sagitta ictus ante congressionem cecidisset. huic praeter iniuriam hominis occisi adduntur merita, quae duriorem dolorem commoverent. primo quippe ait Tyrrhi filius, et Tyrrhi merita superius dicta sunt, secundo ait iuvenis, in quo 25 mors acerba doleri amplius posset, tertio dixit eum inter filios Tyrrhi natum fuisse maiorem, qui locus nascendi ut maiorem adfert parentibus gratiam, ita maiorem dolorem parit, si funere praeventus intereat. dicit iam quomodo vel quo casu perierit: *haesit enim sub gutture vulnus et* 30 *udae vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam:* sic sagitta

---

1 *derexere acies* deest in V, sed explicatur. 3 *sed — decernunt* item. 8 *videre* V *videri* ed. 9 *sub lumina* V an *sub lumine* quod praebet γ Verg.? (reliqui et ed. *sub nubila*). 11 *ubi* ed. 12 *et* — 13 *fundo* deest in V, sed explicatur. 18 *stridente* om. V. 21 *accedit* V ed. 22 *hunc* V *huic* ed. 26 *doleri amplius* V temere mut. ed. 27 *natum* V *natu* ed.

percussus est, ut occluso vocis transitu nec spirare ultra nec loqui potuisset. itaque interiit, ut solent perire qui laqueo terminant vitam. *corpora multa virum circa:* 535 qui non fuerunt superioris loci generaliter dicti sunt.
5 *seniorque Galaesus, dum paci medium se offert, iustissimus unus qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis: quinque greges illi balantum, quina redibant armenta et terram centum vertebat aratris:* indignum istius hominis letum multis generibus demonstratur, primo quod senior ac per
10 hoc et prudentissimus fuit neque is qui ad hoc venisset, ut adfectu videretur provocatus esse pugnandi, suasor potius pacis atque concordiae, qui nollet inconsideratis ardoribus tantorum iuventutem ruere in perniciem suam, qui nollet bellorum causas ulterius crescere. iste iustissi-
15 mus fuit inter suos et, quia difficile est bonum esse, unus dictus est, talis unus inventus qui concordiam suaderet, qui, dum existimaret iustitiae suae inprobos posse concedere, sic inter pacem bellumque prostratus est. dixit interea publici commodi causas, propter quas nascens bellum
20 persuasione iusta cupiebat extinguere, dicit ipsius quoque privatas: ditissimus, inquit, fuit in ratione possessionis agrorum nec novus dives, sed olim locupletissimus ac per hoc qui nollet repentino malo perdere quae longa quiete possederat. quinque autem greges habuit ovium et quina
25 armenta, hoc est in singulis generibus animalium quina. armentorum appellatio boves, equos et cetera huiuscemodi significat quae facile interire possent perturbatis omnibus et belli rabie confusa republica. huius persona et nece iniquitas omnis expressa est, quae iuxta iustissimum senem
30 non existeret, si rationem rustici aut furentes habere potuissent. in aratrorum numero non tantum armentorum copiam vel animalium quae iungebat verum etiam fructus

---

2 *ferire* V *perire* nos *interire* ed. 7 *balatum* V. 10 *his* pro *is* V. 11 *effectu* V corr. ed. | *sed* ante *suasor* interpol. ed. 12 *qui* — 13 *suam* om. ed. 20 *dicit* V *dixit* ed. 21 *primatas* V *primatis facultatem* ed. | *in ratione possessionis* V *in possessione* ed. 30 *aut* om. ed.

ostendit, ut in omnibus ditissimum conprobaret. et revera locupletissimi et iustissimi persuasio, longaevi quin etiam fuerat necessaria tali tempore, qui rebus publicis metueret ac suis; quippe divitibus detrimenta sunt bella, ceterum plebs nec metuit quicquam belli tempore nec aliquo damno 5 percutitur, quoniam deest ei quod perdat.

540 *Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur:* dum adhuc ex utraque parte aequa fortuna est. *promissi dea facta potens:* gloriosa de malis alienis, ubi promissum effectum laeta perfecit, *ubi sanguine bellum imbuit et primae commisit funera pugnae,* ubi occisis talibus idoneas causas perpetrandis sceleribus dedit, *deserit Hesperiam et caeli convexa per auras Iunonem victrix adfatur voce superba:* desertis, inquit, terris, in quibus perfecto scelere superflua noluit remorari, evolavit per auras ad Iunonem 15 relatura triumphos suos et mala populorum. expressit autem moraliter animum eius quae mandata perfecerat dicendo Iunonem victrix adfatur voce superba. unusquisque enim qui secundis successibus potioris iussa vel mandata perfecerit superbus remeat nec humili voce perfectio- 20 nem rerum, sed elata renuntiat. quod autem posuit victrix, in hoc ostendit poeta quemadmodum Allecto fuisset locutura, quae in suis artibus vincendo floruerat; victoriam quippe superbia sequitur et tumores animorum vehementer extollit.

545 *en, perfecta tibi bello discordia tristi:* locus iste talis est 25 qualis est quo Furiam Iuno a contrario laudavit ac praetulit; nam et ipsa Allecto inde se existimat magnam unde bonorum iudicio damnari debuerat, sed fecit hoc pro persona sua et eius quae laetaretur malis inimicorum. ecce, inquit, quae voluisti conplevi, bellum, discordiam, funera. 30 videamus quid significet quod primo posuit en; non enim referentis est tantum verum etiam demonstrantis; tanta enim fide gesta sua referebat, ut haec non solis auribus

---

3 *que* V *quo* ed. *qui* nos. 4 *detrimenta* V ed. *detrimento*? 5 *ne metuit* V *non m.* ed. *nec m.* nos. 6 *quem iam deest* V. 15 *voluit* V *noluit* ed. | *per Iunonem* V *ad I.* ed. 21 *sed delata* V corr. ed. 22 *ibo* V *ibi* ed. *in hoc* nos.

Iunonis verum etiam ipsis quoque oculis subderet: quod referebat verbis ostentationis fuit, quod monstrabat plenissimae probationis. *dic, in amicitiam coeant et foedera iungant, quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros:* quod
5 fieri pro tua voluntate meo ministerio debuit factum est, polluti sunt Troiani sanguine Latinorum, tanta ex eo extitit causa discordiae, ut etiam ex voluntate tua concordia populorum reparari non possit. ecce quantum Furia gloriatur, quantum sese extollit adserens dissipatam pacem
10 integrari non posse, etiamsi ipsa Iuno satiata partium caedibus hanc velit in integrum revocare. ad perpetuitatem discordiae pertinet quod positum est a Troianis primum inlatam caedem Ausoniis, qui novitatem suam funeribus inferendis commendandam esse crediderant. *hoc etiam his*
15 *addam, tua si mihi certa voluntas, finitimas in bella feram rumoribus urbis accendamque animos insani Martis amore,* 550 *[undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros]:* ecce ex consequentibus ostendit qua mente dixisset dic in amicitiam coeant; non enim poterat Furia, quae nihil
20 praeter mala nosset et facere et inplere, hic suadere concordiam et Iuno, vetus et pertinax inimica, repente aut levi ultione satiari. ergo Allecto glorians de eo quod fecerat, quo apud Iunonem fieret gratior, adiecturam se, si illa permitteret, malis conflatis augmentum ultro pollice-
25 tur dicens hoc etiam his addam, si ulterior tibi nocendi voluntas est et vis fortius inpleri quae facta sunt, his addam quae non continet instructio tua, ut finitimae quoque urbes amore dimicationis accensae tota festinatione concurrant et, ne subsidium volentibus desit, spargam arma
30 per agros. *tum contra Iuno:* ne videretur minus pro-

14 *inferendi* V corr. ed. | *crediderunt* ed. 16 *insaniam artis* V. 17 *undique — agros* deest in V, sed explicatur. 19 *qua* V *quia* ed. *quae* nos. 20 *ac suadere* V ed. *hic su.* nos. 21 *aulevi* V *haud levi* ed. 25 *si tua altior* V *si altior* ed. *si ulterior* nos. 26 *his addam* V *his* inepte transpos. ed. 28 *festinatio non* V corr. ed. 29 lemma incipit a *spargam* V, sed *spargam—agros* non lemma esse patet, sed lemmatis supra omissi repetitionem: *undique—veniant* ante *spargam* inepte inseruit ed.

spexisse, cum mandatorum summam traderet Furiae, non admisit oblata, sed contra respondit. *terrorum et fraudis abunde est:* satis, inquit, factum est animo meo, extat conpetens terror et superat fraudis inventum, quod turbandis rebus fuerat necessarium. *stant belli causae,* hoc est 5 idonea belli fundamenta constructa; nisi causarum quippe substantia bellum nasci non potuit, quoniam dissensiones omnes et discidia emergere atque exoriri non possunt, nisi primitus extiterit quod concordiam rumpat. *pugnatur comminus armis:* plenum bellum est cum venitur ad manus; 10 ait enim superius poeta „derexere acies, non iam certamine agresti, stipitibus duris agitur sudibusve praeustis, sed ferro ancipiti decernunt, atraque late horrescit strictis seges ensibus". ut probaret plenum susceptum esse certamen atque ut in eo ipso Furiae laudaret effectus, quo- 15 niam ipsa Allecto dixerat „quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros", Iuno huic loco respondit: *quae fors prima dedit, sanguis novos imbuit arma,* hoc est, quod optabile fuit, inde est datum initium malis unde dari de-
555 buit. *talia coniugia et talis celebrent hymenaeos egregium* 20 *Veneris genus et rex ipse Latinus:* talia, inquit, vota habere digni sunt qui faciunt quod sit votis meis animoque contrarium. *te super aetherias errare licentius auras haut pater ille velit, summi regnator Olympi:* quod ultro Allecto obtulerat ne videretur Iuno fastidiose respuisse, dixit duas 25 causas: superfluum est, inquit, quod rebus inpletis adicere quaeris augmentum, et te diutius hic remorari molestum est; non enim hoc potest Iuppiter aequis animis ferre, ut ulterius supera tenearis in luce, itaque *cede locis:* non dixit tu vade hinc, sed cede propter Iovis personam, qui ex 30 diutina commoratione Furiae poterat graviter offendi, nec fuit iniuria, si diceret potiori. *ego, si qua super fortuna*

---

6 *nisi* V *sine* ed. 9 *concordia* V corr. ed. 11 *direxere* ed. 16 *ipsam allecto* V corr. ed. 18 *novos* V *-us* ed. 20 *coniugia* V *connubia* ed. 23 *aetheres* V. 24 *ille* V *ipse* ed. | *summo* V. 28 *aequo animo* ed. 29 *itaque* om. ed. | *disci* V *dixit* ed. 30 *tu vade* V *abi* ed. 32 *potior* ed.

laborum est, ipsa regam: et si forte, inquit, aliquis, su- 560
perest labor, regetur opera mea. *talis dederat Saturnia*
voces: haec locuta est Iuno. *illa autem attollit stridentis*
anguibus alas Cocytique petit sedem supera ardua linquens:
5 illa, hoc est Allecto, auditis quae necessario Iuno protulerat,
relictis caeli regionibus alis delapsa est ad eam partem
qua remeare ad inferos posset. incipit loci descriptio per
quem ire potuit ad infernum: *est locus Italiae medio sub*
montibus altis, nobilis et fama multis memoratus in oris,
10 *Ampsancti valles:* dixit regionem in qua esset locus et in 565
qua eius parte, dixit etiam nomen Ampsancti a fani voca-
bulo ac nemoris, dixit situm, quod in valle haberetur.
densis hunc frondibus atrum urget utrimque latus nemoris:
densitas, inquit, nemoris hunc fecerat tenebrosum, latera
15 vero eius in angustias natura perduxerat. *medioque frago-*
sus dat sonitum saxis et torto vertice torrens: conpendiosa
descriptio, ut amnem simul et partem ex qua fundebatur
et sonum cadentis aquae et causam quae sonum ipsum
faceret indicaret. nascebatur autem medio eius loci copio-
20 sus amnis, dabant undae sonitum saxis inlisae et inter
saxa eadem verticibus rapidis torquebantur. *hic specus*
horrendum et saevi spiracula Ditis monstrantur ruptoque
ingens Acheronte vorago pestiferas aperit fauces, quis con- 570
dita Erinys, invisum numen, terras caelumque levabat: vel
25 densitate nemorum vel sono torrentis vel umbra foraminis
tenebrosi vel inde magis horrendum, quia inferorum ianua
fuit et ad Ditem patrem qui miserere nesciret iter infelici-
bus dabat, et rupta humo usque ad ipsum Acherontem
profunda demersio, quam obsidebat Erinys † solam patentis

---

5 *praetulerat* ed. 8 *medio* V *in medio* ed. 11 *ampsacit* V (in lemmate recte). 17 *descriptio//tamnem* (littera ante *tamnem* evanida) *qua amnem* ed. 21 *torquebatur* V. | lemma corrupit ed. 27 *miserere* V *mulceri* ed. 29 *solam patentes hiatos tr̄e conspiciens altitudinem* V: nec *solam* nec *conspiciens* quid sibi velit video, fortasse *sola in patentis hiatus terrae confugiens altitudinem (sola* ad explicandum quod est *condita),* sed corrigere non ausus crucem adposui lectioni editionis.

hiatus terrae conspiciens altitudinem, ex qua nec sol nec caelum cernebatur nec terra. monstrantur dixit, hoc est opinione, non visu, ceterum haec noverat nullus.

Nec minus interea: hoc vertendum est, ut sit interea non minus. *extremam Saturnia bello inponit regina manum:* 5 recedente Furia in eius curam Iuno succedens conplebat quae illa forte ad satiandam partium cladem inperfecta dimiserat. dixerat enim Iuno Furiae ut recederet et se promiserat necessaria curaturam. idcirco dabat rebus extremam manum hoc est perfectionem. extrema enim dicitur 10 in artibus manus post quam nihil fit et res invenitur esse perfecta. denique sequentia consideranda sunt et invenietur quid significet manus extrema quam Iuno inponebat hoc est addebat. *ruit,* inquit, *omnis in urbem pastorum ex acie numerus:* pastores, qui relictis agris congregati in 15 aciem fuerant, relicta eadem acie in civitatis moenia confluebant. illic enim fuerat Latinus, qui primus contra 575 Iunonis fecerat voluntatem. *caesosque reportant, Almonem puerum foedatique ora Galaesi:* ad invidiam facti portabant funus Almonis pueri, qui utique pro aetate nihil tale 20 meruerat, offerebant Galaesi faciem indignis vulneribus adpetitam. *inplorantque deos:* inplorabant deos indignitatis iudices, quibus sperabant displicere posse quae peregrini in cives admiserant. *obtestanturque Latinum:* hoc est invidiosis vocibus lacerabant, quod malorum omnium 25 per Troianorum foedus ipse auctor videretur extitisse: hoc multitudo confusa faciebat et vulgus. *Turnus adest medioque in crimine caedis et ignis terrorem ingeminat:* ecce, inquit, etiam Turnus aderat, cuius maior fuerat causa, idem geminabat terrorem quem populus fecerat spondens 30 omnia caedibus et incendio peritura. *Teucros in regna*

---

1 *ex qua solum caelum cernebatur ac terra* V ed. corrupta esse patet: emendavi. 2 *monstrantur* V *monstrabatur* ed. 5 *manum* om. V. 21 *offerebant* V *et ferebant* ed. 22 *adpetitam* V *foedatam* ed. 28 *cedis et igni* V, sed Don. ita interpretatur, ut *caedis et ignis terrorem* coniunxisse videatur, quamobrem *ignis* scripsi cum ed. 30 *idem* V *et idem* ed.

vocari, stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli: huius comminationis Turnus exponebat causas et doloris indignitatem claris vocibus testabatur, quod Teucri vocarentur in regnum et Phrygii iungerentur Italiae, se scilicet ex-
5 cluso ex regiae domus limine. singula magnam vim tenent intellectus; nam Teucros et Phrygiam stirpem pro convicio posuit, in regna vocari hoc est in honorem maximum potestatemque regnandi ac per hoc inmeritis deferri summam rerum et fortissimorum generi misceri maculam
10 Phrygiorum, sed videlicet multo meliorem genere ac fortitudine, iam generum regis, iam pleno adsensu susceptum ex ipso regiae domus limine cludi. *tum quorum attonitae* 580 *Baccho nemora avia matres insultant thiasis (neque enim leve nomen Amatae):* etiam illae quae cum Amata petie-
15 rant silvas venerant perseverantes in furore; hoc enim exigebat reginae meritum, ut in causa filiae mariti studium sententiamque superaret. *undique collecti coeunt:* adunabantur collecti ex diversis et plurimis locis. *Martemque fatigant:* et ardorem pugnae totis nisibus cumulabant.
20 *ilicet infandum cuncti contra omina bellum, contra fata deum perverso numine poscunt:* nitebantur omnes abrumpere omnia sacrilegis mentibus quae constabat divino iudicio atque arbitrio esse firmata. contra omina, inquit, et deum fata: contra omina propter apes et incendii denuntiatio-
25 nem, quod ex capite Laviniae constabat extitisse; contra fata, hoc est contra deorum sententias et Fauni responsa, perverso numine bellum adpetebant, in perversum trahentes deorum iudicium, ut bello excludendos crederent qui in Italiam fatorum ducti ratione convenerant. *certatim regis* 585
30 *circumstant tecta Latini:* obliti regalis reverentiae domum Latini adspectabant violenter et circum eam, quam omni religione venerari convenerat, et tumultuoso conventu graviter perstrepebant. *ille velut pelagi rupes inmota resistit,*

---

12 *cludit* V *excludi* ed. 13 *thyasis* ed. 21 *abrumpere omnia* V ed I *omina* ed F I *omnia* ed. post. 30 *domum Latini adspectabant* V *in domo L. astabant* ed. 32 *et tumultuoso* V *et* om. ed.

ut pelagi rupes magno veniente fragore, quae sese multis circum latrantibus undis mole tenet scopuli, nequicquam et
590 *spumea circum saxa fremunt laterique inlisa refunditur alga:* admirabilis conparatio; Latinus enim conparatur rupi, voces populi fluctibus et tempestatibus, consensus 5
vocum et clamor omnium algae ictibus. ille, inquit, hoc est Latinus, ut pelagi rupes, scilicet saxum ingens constitutum in pelago, inmotum resistit, cum magno fluctuum percutitur verbere, mole tenet scopuli, inmobile fit magnitudine sua et frustra undarum clamoribus urgetur, latera 10
autem eius inefficaci verberatione pulsantur et sola alga non quatiuntur ictibus, sed perfusa tanguntur. ita et clamores vulgi magno quidem sono veniebant ad Latinum, sed virtutem commovendi non habebant, scilicet ut alga, quae nullum habet impetum feriendi nec, cum corpori 15
cuiquam fuerit inlisa, sentitur. *verum ubi nulla datur caecum exuperare potestas consilium:* ubi vidit Latinus caecum multitudinis furorem consilio superari non posse, *et saevae nutu Iunonis eunt res:* et res pro voluntate saevientis Iunonis non sano tractatu currentis, *multa deos* 20
aurasque pater testatus inanis: multis verbis testatus est deos et ipsas aeris auras; quem enim alium adhiberet voluntatis suae testem omnibus qui aderant furore corruptis? *frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella:* inter tot insanos solus Latinus integro consilio fuit; solum 25
enim non commutaverat Iuno vel Furia. et cum populorum saeviens agmen solus superare nequiret, voluntatis suae deos esse voluit testes atque auras, vacuum se ab eo quod gerebatur scelere cupiens demonstrare. Itaque erupit in vocem istiusmodi: frangimur heu fatis, inquit, ferimur- 30
que procella. frangimur et procella, inquit, ferimur: perseverans in eo poeta quod in Latini conparatione superius

---

9 *percutere* V *percutitur* ed. 12 *quatitur* V *quatiuntur* ed. 16 *cuiquam* om. ed. 17 *consilio* Donatum legisse susp. Hoppius. 18 *superare* V corr. ed. 20 *currentis* V *-tes* ed. 21 *multis verbis* V *multa v.* ed. 24 *probella* V. 29 *rupit* V ed. *erupit* nos cf. v. 120. 30 *inquit* om. ed. 32 *poeta quod* V ed. inversum malim propter *imperii sui*.

tenuit, cum rupem describeret et pelagi tumentis fluctus
et rabiem maris et algam et molem et ictus, arripuit hic
quoque translationem dicens frangi commoda imperii sui
et spem publicam inprovidis nisibus tamquam naufragio
5 laniari. signata ergo posuit verba conferens ea quae oriuntur
in mari et evidenter ostendens. nam frangitur navis
et naufragio interit tempestatum eiecta turbinibus, quibus,
ut furenti populo, resisti non potest, et navigia pereunt:
sic ipse, quia tantum impetum populi insanientis revocare
10 non potuit, frangimur, ait, nec malo valemus occurrere.
ferimur procella, quia quem procella urget ac portat non
quomodo vult aut quo voluerit fertur. heu fatis, scilicet
adversis, quia dixit heu et supra dixit „ilicet infandum
cuncti contra omina bellum, contra fata deum perverso
15 numine poscunt“. *ipsi has sacrilego pendetis sanguine* 595
poenas, o miseri: bene miseros dixit, ut dolere videretur
errantis; nullus enim sciens ac sanae mentis cadit in
foveam scelerum, nullus peccat in deos nisi is quem dementia
ante possederit. a generali increpatione ad specia-
20 lem transit: *te, Turne, nefas, te triste, manebit supplicium:*
ipse enim fuit omnibus causa peccandi. *votisque deos venerabere
seris:* hoc genere suadebat omittenda esse talia incepta;
nam qui cito ab errato discedit et male coepta
mature condemnat potest mereri veniam, sera vero erroris
25 agnitio ignoturi favorem non potest provocare. *nam mihi
parta quies omnisque in limine portus:* ut a periculis pelagi
tuti sunt qui fuerint in portu, sic ipse tutum se futurum
dicit qui domus suae saepto usurus esset pro portu.
etiam nunc perseveravit in eo genere translationis dicendo
30 portus mihi erit limen domus meae, quod egressurus non

2 *et alga et molae ictus* V *ictus* om. ed. *et algam et molem* ed. post. *et algam et molem et ictus* nos. 3 *translationem* V *per tr.* cum falsa distinctione ed. 11 *quem* V *is q.* ed. 13 *heu* om. ed. | *et supra dixit* om. HOU ed. 16 *dolore* V ed. | *viderentur errare* ed. 19 *possederat* ed. 21 *enim* om. ed. | *veneraberis eris* V. 22 *hoc genere* V *haec Turno* ed. | *esse et alia* V corr. ed. 25 *ignotori* V *agnitori* ed. *ignoturi* nos (cf. 6, 620 *servaturi*). 30 *portum* V corr. ed.

sum. *funere felici spolior:* unum se dolere testatur, quod indigne esset moriturus, qui potuit habere felicem exitum
600 vitae. *nec plura locutus saepsit se tectis rerumque relinquit habenas:* quia res magno furore turbatas nec consilio potuit nec sermone conponere, condidit se parietibus propriis 5 casibus relinquens habenas reipublicae, quas contra maiorem vim nec gubernare potuit nec tenere.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum Roma colit: observationes omnes aut legibus principum aut hominum 10 adsensibus constitutae servantur. quicquid igitur observare cunctis in commune placuerit perinde habetur ut lex, morem longo tempore custoditum diuturnitas firmat, qui usque adeo commodus iudicatur, ut a conditoribus ad posteros quoque transitum faciat. hunc ipsum Vergilius refert 15 fuisse morem usque adeo commodum publicis rebus, ut ex Latio prolatum Albanae urbes probatum placitumque retineant. quantum mos iste laudatur, ut prolatus ex uno loco plurimis urbibus esse coeperit curae observationisque perpetuae! magnum est quippe quod ab uno profectum 20 plurimis placet. denique hunc Albani coluere sacrum nec pro levi ducentes consecratione quadam et veneratione plenissima tenuerunt, ut esset sacrilegium, si fuisset aliqua temeritate mutatus. nunc maxima rerum Roma colit: laudis adplicavit augmentum, cum Roma quoque rerum 25 omnium domina consentiente sacer religiosusque susceptus habebatur. incipit dicere qui sit ipse mos vel qualibus sit temporibus necessarius. *cum prima movent in proelia*
605 *Martem, sive Getis inferre manu lacrimabile bellum Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos Auroramque* 30 *sequi Parthosque reposcere signa:* cum, inquit, parantur gentibus bella et dixit quae essent ipsae gentes et sub

---

3 *relinquit* V *reliquit* ed. et plerique Verg. libri. 11 *sensibus* ed. 12 *habeatur* ed. 13 *firmet* ed. 17 *placidumque* ed. 19 *observationisque* V *-nique* ed. 25 *adplicavit* V *adiunxit* ed. | *roma* V *in urbe* ed. 26 *sacrilegiosus quae* V corr. HOU ed. 27 *qualibus* V *quibuslibet* ed. *quibusnam* ed. post.

quibus caeli partibus morarentur, dixit et quando existat ipse mos, subiungit etiam moris ipsius ritum. *sunt geminae belli portae, sic nomine dicunt:* duae, inquit, portae sunt, hae quia belli tempore tantummodo reserantur, appellatae
5 sunt belli portae. *religione sacrae et saevi formidine Martis:* cum omni religione habentur propter Martium numen. *centum aerei claudunt vectes:* dedit claustris ipsis maiorem vim a numero et qualitate materiae. *aeternaque ferri robora:* crescit rei ipsius augmentum, aeneos vectes 610
10 dicit, etiam roboribus ferreis portas ipsas clausas atque firmatas. *nec custos absistit limine Ianus:* omnibus his claustrorum firmamentis additus non deest Ianus, qui gemina fronte circumspiciens omnia non patitur furoris et scelerum ianuas temere reserari. *has, ubi certa sedet*
15 *patribus sententia pugnae,* ubi patribus uno consensu bellum geri placuerit et omnium fuerit fixa sententia, *ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino insignis reserat stridentia limina consul:* cultu Romuleae vestis et Gabini cinctu insignis consul harum portarum reserat fores. stridentia limina
20 posuit, ut in ipsa quoque patefactione valvarum magnus stridor serarum missus terreat audientis. *ipse vocat pugnas:* idem ipse consul voce sua vocat pugnas, hoc est dat iuvenibus pugnandi potestatem. *sequitur tum cetera pubes:* cum ille permiserit, sequitur multitudo omnis et consen-
25 sum commodat imperatis. potest et sic, ut iuventus accepta potestate pugnandi cetera quae sunt belli, ut sese rettulerit, sequatur. *aereaque adsensu conspirant cornua* 615 *rauco:* continuo et cantus bellici aereis cornibus emittuntur. *hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus more iubebatur*
30 *tristisque recludere portas:* secundum veterem igitur morem

3 *nomina* V. 4 *hac* V *ac* ed. *hae* nos. 9 *augmentum* V *argum-* ed. | *aeneos* V *aereos* ed. 14 *gesta* pro *certa* V. 16 *placuerat—fuerat* ed. 18 *gabini* V ed. (a nominativo Gabinum?). 21 *stridoris errore missus* V edI *str. terror emissus* edF *stridor serarum m.* nos. 23 *tum* V *quem* ed. 25 *potest* V *omnibus* ed. | *ut* om. ed. 26 *cetera* V *ad c.*? | *quaerunt* V *quae sunt* nos. 27 *retulerint* V *-rit* nos (*sese rettul.* i. e. consul) *ad—rettul.* temere mut. ed. | *sequitur* ed. | *aereque* V.

conveniebant Latinum et vehementer urgebant aperire portas belli et illis bellum indicere quos in amicitiam et adfinitatis religionem secutus deorum et patris responsa susceperat. ergo mos fuit ut ipse portas aperiret, sed si pugnandum esset contra inimicos et longe positos, ut 5 supra dictum est, cum de ipso more disputaret, vel si bellum geri patribus placuisset. ceterum isti invitis numinibus, sine tractatu maiorum et firmata pace socium volebant fieri Latinum admissi sacrilegii. *abstinuit tactu pater:* licet illi furore possessi praecipites fuerint in perniciem 10 suam et adversa cuperent, Latinus tamen, qui esset publicus pater, apud quem religio generi fuit et commodum filiae, nolebat funestas fores luctuosasque contingere. *aversusque refugit foeda ministeria et caecis se condidit umbris:* nolens se officiis tristibus maculare discessit in 15 tenebrosa loca aversus a conspectu gerendorum, ne cerneretur ab aliquo aut ipse videret inlicita geri et ea quae 620 iudicio religioso damnaverat. *tum regina deum caelo delapsa morantis inpulit ipsa manu portas et cardine verso belli ferratos rumpit Saturnia postes:* fecit Iuno quod non 20 conveniebat deae, ut relictis caeli partibus veniret ad terras et panderet sceleribus viam atque in bello perituros urgeret. fecit tamen ut vetus et pertinax inimica; verebatur enim ne mora patefaciendarum portarum furorem paratae iuventutis aut consenescere faceret aut penitus 25 removeri. animus quippe vulgi ut repentinis motibus excitatur, ita mature languescit et interveniente torpore consumitur. ergo quod Latino displicuit et refugit ne faceret fecit dea et manu sua inpulit portas quibus fiebat mora. ut autem huius saevientis ardorem evidentius poeta mon- 30 straret, non solum hanc dixit portas aperuisse, sed evertisse postes ipsos a cardine, hoc est ab eo loco in quo nexibus idoneis tenebantur, quasi demum patentibus portis aliquod

---

3 *affinitatem religionis* HOU ed. 8 *tractu* V *tractatu* ed. 9 *Latinum* om. ed. 11 *cupirent* V. 12 *genere* V. 14 *aversasque* V. 16 *genetorum* V *generorum* ed. *gerendorum* nos. 18 *gemina* pro *regina* V. 20 *rupit* ed.

inpedimentum potuissent soli postes adferre, si locis suis forte mansissent. in eversione postium animus inimicae considerandus est, quae sic belli reseraverat cum ipsis postibus portas, ut vulsis ipsis, qui firmamenta praestabant,
5 iterum claudi non possent et numquam desineret bellum. quanta autem vis Iunonis sit in facto ipso expresse et evidenter ostensum est; nam quas centum aerei clauserant vectes, quas aeterna ferri firmaverant robora, ipsa unius manus inpulsu innitens, non corporis virtute, sed numine,
10 ipsum quoque bifrontem custodem auctoritate maioris potestatis exuperans et patefecit portas et earum postes subvertit. patefactio portarum quid praestiterit studio Iunonis incipit enumerari: *ardet inexcita Ausonia atque inmobilis ante:* bene poeta memor est sui; supra enim dixit (45)
15 „rex arva Latinus et urbis iam senior longa placidas in pace regebat". ergo numquam excitata in bellum Ausonia et semper otio pacis inmobilis ardebat tunc furore bellandi. sunt qui adserant hoc loco contraria scripsisse Vergilium, ut, cum ipse dixerit sub Latino longam pacem fuisse
20 perindeque Ausoniam bella nescisse, ipse rursum in descriptione vestibuli domus eius ostenderit multa ex hostibus capta, currus scilicet, securis et cetera. haec non dicerent, si poetae verba singula considerarent vel certe tempora aut per quos capta sint; nam et ipsum Latinum
25 possumus intellegere aliquando pugnasse et post labores bellicos longam pacem habuisse et captivitatem armorum ac triumphorum ostentationem constitutam in vestibulo domus ad Latini maiores, non ad ipsum Latinum pertinuisse. denique longa illic memoria descripta est in vetustate
30 imaginum et Pici, non Latini nomen regia illa retinebat; sic enim positum est (170): „tectum augustum, ingens, centum

---

1 *seu* V om. ed. *soli* nos. 6 *expraesse videnter* V corr. ed. 8 *aeternae* V. 13 *ardent* V. 14 *memorem sui* V *memor est sui* U *memor fuit* ed. 19 *sub latinum* V corr. ed. 21 *ostenderit* V *-dit* ed. 30 *imaginem* V ed. (ad sequentia traxit ed. post.) *imaginum* nos. | *numen* V. 31 *enim* om. ed. | *augmentum* pro *augustum* V.

sublime columnis urbe fuit summa, Laurentis regia Pici, quin etiam veterum effigies ex ordine avorum antiquae cedro, Italusque paterque Sabinus vitisator curvam servans sub imagine falcem Saturnusque senex Ianique bifrontis imago aliique ab origine reges, Martia qui ob patriam 5 pugnando vulnera passi, et Picus equum domitor". quae res per maiores Latini feliciter gestae procurare potuerunt ut ad ipsum Latinum mitia tempora pervenirent. ardet inexcita Ausonia atque inmobilis ante: ecce quantum potuit factio Iunonis, sic ardebat in bellum omnis Ausonia, ut 10 nulla pars eius remansisset inmunis, et sic ducebatur ardore bellandi, ut hanc nec ipsa avocaret a periculis desuetudo. subiunguntur species ipsae incensarum mentium: *pars,* inquit, *pedes ire parat campis, pars arduus altis* 625 *pulverulentus equis furit:* alii pedestri arte certaturi, alii 15 equis sublimes petebant campum. *omnes arma requirunt:* nullus fuit qui arma non quaereret. inquisitio armorum ostendebat maiorem certandi cupiditatem. nullus enim quaerit armari nisi qui desiderio dimicationis inpellitur. dicendo requirunt omnes arma confirmat poeta longum 20 interventum pacis habendorum armorum curam corrupisse; quis enim habenda per otium diceret, quae essent turbatis temporibus necessaria? *pars levis clipeos et spicula lucida tergent:* erant tamen nonnulli qui haberent scuta et spicula olim pace currente neglecta, haec tamen tergebant, ut 25 splendorem reciperent, quoniam fulgor armorum plurimum hostibus terroris inportat. *arvina,* inquit, *pingui,* ut doceret qua specie fiat mundius ferrum. *subiguntque in cote securis:* et quod fiebat expressit et quemadmodum fieret; subigentis enim more acuitur species multo ferro perfecta. 30

---

2 *antiquae caedro* ut 178 V. 8 *ut—pervenirent* om. ed. 11 *inmultis* V *inmunis* ed. 12 *nec ipsae vocaret* V *nec sevocaret* ed. 13 *incensa sumentium* V *incensarum mentium* ed. 14 *campis pars* om. V. 21 *corrupisse* V *corripuisse* ed. 25 *nec lecta* V *neglecta* nos temere mut. ed. 26 *quó* = *quoniam* V *quomodo* (ut saepe) ed. 28 *subigintque incute* V *subigitque in cote* ed. *subiguntque in cote* nos an *incude*? cf. 629.

signaque ferre iuvat sonitusque audire tubarum: in desiderium venerat quicquid constabat omnibus esse contrarium; tanta enim vis insaniae fuit, ut adversa pro commodis optarentur. *quinque adeo magnae positis incudibus urbes*
5 *tela novant:* tantus bellandi amor incesserat, ut plurimae 630 urbes et magnae positis incudibus novandis telis, quoniam vetera esse desierant, operam darent. numerum et magnitudinem civitatum expressit. cum vero de incudibus loqueretur, modum tacuit, ut infinita esset aestimatio ac maioris
10 ponderis fieret quod dicebat tantumque telorum fieri crederetur quantum exigebat tot populorum confluens multitudo. subiungit ipsarum urbium nomina cum virtute ac potentia sua, ne quasi humiles non tantum parare viderentur quantum fulgentibus catervis fuerat necessarium. *Atina potens*
15 *Tiburque superbum, Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae:* haec fuerunt nomina civitatum. *[tegmina tuta cavant capitum] flectuntque salignas umbonum cratis, alii thoracas aenos aut levis ocreas lento ducunt argento:* faciebant, inquit, alii galeas scutaque formabant, alii umeris
20 parabant munimenta, pedibus, ut haec etiam pulchritudini essent, argento decorabant. *vomeris huc et falcis honos,* 635 *huc omnis aratri cessit amor:* ecce qualis amentia universorum agrestium mentes oppresserat, ut instrumenta curandis praeparata fructibus et cunctorum saluti pro-
25 futura in eas species mutarent quae adimerent vitam! ecce quanta confusio et quantus in omnibus terror quantaque laus Aeneae atque Troianorum: omne ferrum vertebatur in gladios, et parum fuit quicquid inaestimabilis formido dictabat, sic omnia culturarum subsidia consume-
30 bantur, ut praesagio quodam omnium iam monstraretur interitus et appareret eos ad arvorum exercitium numquam

---

4 *incudibus,* in interpr. *incutibus* V. 14 *fugientibus* V ed. *fulgentibus* nos cf. 626 et 8, 593. 16 *tegmina* — 17 *capitum* deest in V, sed explicatur. 18 *argento* finis lemmatis in V *vomeris* — *amor* add. ed. 20 *pedibus* — 21 *decorabant* om. ed. 22 *huc* — 23 *instrumenta* om. ed. 25 *eas* V *eas illi* ed. 26 *terror* V *error* ed. 29 *formido* V *fortitudo* ed.

esse redituros! *recoqunt patrios fornacibus enses:* patrios, inquit, non suos: tanta enim pace usi videbantur, ut armorum strepitus et tubarum clangor omnibus esset incognitus. *[classica iamque sonant], it bello tessera signum:* tessera dicitur nuntius gerendum significans bellum. *hic* 5 *galeam tectis trepidus rapit, ille trementis ad iuga cogit* 640 *equos clipeumque auroque trilicem loricam induitur fidoque accingitur ense:* post classicorum sonum postque nuntium tesserae maior animorum fervor extiterat: denique alter galeam rapuit non inmunis a trepidatione; nam qui solam 10 galeam rapuit, procul dubio amens fuit, cum non caput solum, sed membra omnia tegere debuisset; alter equos cogebat ad currum: species est ista militiae, ut curru pugnetur, quod ipsum multis locis expressum est; alius sumebat scutum, induebatur lorica; alius et gladio cinge- 15 batur: accingitur dixit munitur. in singulis multos intellegere debemus aut omnis hoc fecisse.

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete qui bello exciti reges, quae quemque secutae conplerint campos acies, quibus Itala iam tum floruerit terra alma viris, 20 645 *quibus arserit armis; et meministis enim, divae, et memorare potestis, ad nos vix tenuis famae perlabitur aura:* relaturus antiquitatis memoriam invocat Musas, ut ipsarum esset, si vera, si falsa conprehenderet, nec haberet culpam in eo, utpote qui esset confessus ignorare se 25 multa, alia vero levi ac tenui et incerta relatione didicisse. merito ergo invocat Musas, quoniam his occultum esse non potuit quicquid temporis diuturnitas texerat. in ipsa invocatione et conplexione propriae petitionis proposuit ea quae fuerat secuturus. qui, inquit, bello exciti 30 reges, hoc est qui, quanti vel quales. quae quemque

---

4 *classica — sonant* deest in V, sed explicatur. | *at* pro *it* V. 8 *accingere* pro *accingitur* V. 14 *pugnetur* V *pugnarent* ed. 20 *tantum* V ed. *iam tum* libri Verg. 22 *condemnabitur aura* pro *famae perlabitur aura* V. 23 *ut* — 25 *utpote* omittendo et mutando corrupit ed. 29 *posuit* ed. 31 *qui quanti* V ed. *qui* deleri malim.

secutae conplerint campos acies: et quae acies unumquemque regem secutae conpleverint campos, cum dicit conpleverint, ostendit inaestimabilem multitudinem convenisse cum regibus. quibus Itala iam tum floruerit terra
5 alma viris: usque in illud scilicet tempus quo partium congressio parabatur, vult ostendere bona longae pacis nutrisse egregios viros, belli autem rabiem perdidisse; idcirco subiunxit quibus arserit armis. et meministis enim, divae, et memorare potestis, ad nos vix tenuis
10 famae perlabitur aura: dixit causas deprecationis suae, idcirco, ait, haec quaero, quia vetera solae potestis nosse ac solae narrare; ad homines quippe vix aliquae gestorum partes levi relatione perveniunt. catalogus iste huic interpretationum libro non fuerat inserendus. nihil enim habet
15 quod artificiose possit exponi; est quippe nominibus hominum, gentium, fluviorum, deorum, terrarum, montium, herbarum, provinciarum, fontium plenus et refertus. tamen, ne quid libro decerpi videatur, dicemus aliqua, [reliqua] eius uno libro, qui tertius decimus erit, cum totius operis
20 conplexione dicturi, ut historiae per duodecim libros sparsae et cetera, quae supra dicta non sunt, possint evidenter apparere.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris contemptor divum Mezentius: ideo primus, quia asper, ideo primus,
25 quia contemptor deorum, illorum scilicet quibus auctoribus Aeneas ad Italiam venit et ei Laviniae coniugium fuerat destinatum. *agminaque armat filius huic iuxta Lausus:* imitatus studium patris etiam Lausus armata agmina ducebat ad bellum; cum non dicit quanta, plura voluit sentiri
30 quam fuerant. *quo pulchrior alter non fuit excepto Laurentis corpore Turni:* in conparatione pulchri corporis unum praetulit Lauso, postposuit autem omnis Italos. *Lausus* 650

1 *conplerent* V corr. ed. | *et — 3 conpleverint* om. ed. 4 *italia* V. | *iam* V *tantum* ed. *iam tum* nos. 15 *posset* V ed. 17 *ac fontium* ed. | *repertus* V. 18 *reliqua* om. V ed., post *eius* inseruit v. d. Hoeven p. 36. 21 *possent* V corr. ed. 28 *armata* om. ed.

equum domitor debellatorque ferarum: in pulchro corpore non facile potest reperiri fortitudo, quae quia fuit in Lauso, laudatur; nam equitandi studium et venandi illic esse convenit ubi fuerit virtus, at in Lauso maior, quia equos feros domare et aptos humanis usibus efficere con- 5 sueverat. *ducit Agyllina nequicquam ex urbe secutos mille viros:* ideo nequicquam, quia non erant evasuri. *dignus patriis qui laetior esset imperiis et cui pater haut Mezentius esset:* dignus bis accipiendum est, dignus qui teneret patris imperium, dignus qui non diceretur Mezentio patre pro- 10 genitus. Mezentius quippe a suis eiectus est propter crudelitatem inauditam et profanus fuit, Lausus vero naturae mitioris et religiosus et fortis.

655 *Post hos,* id est post Mezentium et Lausum, *insignem palma per gramina currum victoresque ostentat equos satus* 15 *Hercule pulchro pulcher Aventinus clipeoque insigne paternum centum angues cinctamque gerit serpentibus hydram:* venit, inquit, etiam Aventinus ad bellum, hic filius Herculis fuit, vehebatur curru cum signo palmae more scilicet triumphantis, gestans clipeum cum hydrae serpentibus, ut 20 hoc genere demonstraret gloriam patris, qui eam necaverat tot capitibus venenatis armatam. *collis Aventini* 660 *silva quem Rhea sacerdos furtivum partu sub luminis edidit auras mixta deo mulier, postquam Laurentia victor Geryone extincto Tirynthius attigit arva Tyrrhenoque boves in flumine* 25 *lavit Hiberas:* Aventinus quidem gloriae causa hydram gestabat in clipeo, ut hoc signo filium se Herculis demonstraret, sed ludibrium matris hoc genere prodebatur; nam hanc Rheae sacerdotium praeferentem stupro Hercules in Aventino monte adpetiit, unde Aventini tenuit nomen qui 30 furto conceptus ac furto editus atque nutritus relatione didicerat matris quo esset auctore susceptus. datur autem signum, ut appareat tempus quo admissum est crimen, tunc, inquit, quando Geryone extincto per Aventinum

---

8 *aut* pro *haut* V. 21 *negaverat* V *contriverat* ed. 24 *oras* pro *auras* V. 32 *datur* V *testatur* ed. 33 *quod* V *quo* ed.

Hercules iter fecit et boves a flumine Hibero perductas Tyrrhenis undis abluit. tali genere laudis Sallustius plenus est; nam et ipse multos collaudat ac deprimit adiecta vituperatione. *pila manu saevosque gerunt in bella dolones*
5 *et tereti pugnant mucrone veruque Sabello:* non significavit 665 cum Aventino aliquos venisse, sed, cum dicit genera armorum et gerunt arma et pugnant, ostendit non solum fuisse Aventinum, cuius genus et mores expressit. *ipse pedes, tegimen torquens inmane leonis, terribili inpexum saeta,*
10 *cum dentibus albis indutus capiti, sic regia tecta subibat horridus, Herculeoque umeros innexus amictu:* praeter signum hydrae, quod gerebat in scuto, opertus fuit etiam leonis pelle, exemplo patris incedens atque ut terrorem videntibus spargeret; nec saetis fuit aliqua arte vel sub-
15 tilitate conpositus, sed cum ipsis dentibus et rictu leonis horrebat, ut qui eum videret Herculem putaret esse praesentem.

Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt, fratris 670 *Tiburti dictam cognomine gentem:* geminos aut simul natos
20 dixit aut duos, sicuti plurimis locis usus est hoc modo (2, 203) „gemini a Tenedo tranquilla per alta, horresco referens, inmensis orbibus angues“, item (6, 788) „huc geminas nunc flecte acies“ et (6, 190) „geminae cum forte columbae“ et (6, 203) „gemina super arbore sidunt“.
25 *Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus, et primam ante aciem densa inter tela feruntur:* Catillus et Coras ab Argis ducentes originem convenerant pugnaturi tanta fiducia, ut ante primam aciem constituti densitatem non formidarent. *ceu duo nubigenae, cum vertice montis ab alto descendunt* 675
30 *Centauri Homolen Othrynque nivalem linquentes, cursu rapido dat euntibus ingens silva locum et magno cedunt virgulta fragore:* sic ibant, inquit, Catillus et Coras elati superbia et fidentes virtute itaque apparebant, ut Centauri

---

5 *significat* ed. 9 *tegmen* ed. 13 *atque* om. ed. 14 *spargeret* V *immitteret* ed. | *saetis* V *satis* ed. 22 *hinc* V (in sexto *huc*) *hic* ed. 25 *cathilusque* V. 30 *linquentes* etc. distinxi secundum interpr.

venire putarentur, cum descendunt e verticibus montium et his currentibus cedunt omnia quae fortassis occurrerent. *Nec Praenestinae fundator defuit urbis, Vulcano geni-* 680 *tum pecora inter agrestia regem inventumque focis omnis quem credidit aetas, Caeculus:* in illo conventu multorum 5 regum et plurimarum gentium non defuit Caeculus fundator urbis Praenestinae, quem ex Vulcano et Sebethride nympha genitum omnes uno consensu crediderunt hac coniectura, quia in medio igni inventus ardere non potuit. *hunc legio late comitatur agrestis:* truci natura atque aspera et 10 copiosissimi numeri; nam cum dicit late comitatur, infinitum in modum diffusam multitudinem fuisse significat. *quique altum Praeneste viri quique arva Gabinae Iunonis gelidumque Anienem et roscida rivis Hernica saxa colunt,* 685 *quos dives Anagnia pascit, quos, Amasene pater:* venerant 15 etiam illi qui colunt loca quae specialiter dixit, illi quoque quos pascit Anagnia et Amasenus fluvius. *non illis omnibus arma:* illis omnibus non fuerant armorum cultus ex more bellantium. *nec clipei currusve sonant:* nec emittebant aliquem strepitum, utpote qui scuta et currus non habe- 20 bant. *pars maxima glandis liventis plumbi spargit:* alii enim ipsorum et magis complures plumbeis massulis pugnabant iacientes has per diversa. *pars spicula gestat bina manu:* alia pars fidebat spiculis binis. *fulvosque lupi de pelle galeros tegmen habent capiti:* pro galeis velamen 25 capitibus eorum fuit rapta pellis ex lupinis capitibus. 690 *vestigia nuda sinistri instituere pedis, crudus tegit altera pero:* unum pedem hoc est sinistrum nudum habuerunt, dexterum tectum.

---

1 *descendent* V corr. ed. 7 *sebethrida nynfa* V: hanc Don. ad v. 734 aberrans induxit. 8 *haec* V *hac* ed. 9 *ardore* V *ardere* nos *exuri* ed. 11 *copiosissimum eri* V temere mut. ed. 15 *venerant* — 17 *et* om. ed. 17 *fluvius* V *fl. est* ed. 18 *fuerant* V *fuerunt* ed. 19 *nec* — 20 *habebant* om. ed. 22 *magis* om. ed. 24 *fulvoque* ed. 25 *habet* ed. 26 *ex lupi in capitibus* V *ex lupo i. c.* ed. *ex lupinis c.* nos. 27 *sinistris* V. | *tegit* V *regit* HOU ed.

At Messapus, equum domitor, Neptunia proles: nec deerat etiam Messapus domandis equis vehementer insistens, idem filius Neptuni. *quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro:* hunc, quod esset ex eodem genitus,
5 nullus poterat igni vel ferro consumere. *iam pridem resides populos desuetaque bello agmina in arma vocat subito [ferrumque retractat]:* idem ducebat agmen hominum quos desuetudo corruperat ac per hoc non volebant belli subire certamen, vel maxime repentinis motibus excitatum, usque
10 adeo trepidum agmen, ut ferrum formidaret attingere. *hi Fescenninas acies aequosque Faliscos, hi Soractis habent* 695 *arces Flaviniaque arva et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos:* dixit loca ex quibus diversi convenerant. *ibant aequati numero regemque canebant:* reprehendit istos
15 poeta, quia, cum irent ad bellum, procul dubio periculis rerum expositos delectabat ire conpositis in ordinem numeris et regis festa percurrere. *ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni, cum sese e pastu referunt et longa canoros* 700 *dant per colla modos, sonat amnis et Asia longe pulsa*
20 *palus:* hos cantantis et ordinibus conpositis in bella tendentis conparat poeta generi avium quae sunt inertes et non confusae volitant et, quotiens pasto ventre fuerint, satietatem suam canorae vocis gratulatione testantur. *nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto misceri putet, aeriam*
25 *sed gurgite ab alto urgeri volucrum raucarum ad litora* 705 *nubem:* non invenietur qui putet illum avium numerum aliqua posse ratione confundi, cum tendit ad litora; sic enim conglobatae tendunt ut nubes.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum agmen
30 *agens Clausus magnique ipse agminis instar:* veniebat et

---

1 *mesapus* V. 3 post *insistens* lemma *Neptunia proles* interpol. edF. | *idem* V *id est* HOU ed. 7 *ferrumque retractat* deest in V add. ed.: ex interpretatione Donatum *retractant* legisse suspicor, quod Wagnero auctore Leidensis Verg. habet (cf. 10, 396). 15 *periculis rerum et compositus delectabat* V *in periculis r. del.* ed. *p. r. expositos d.* nos. 17 *festa* V *fasta* ed. 18 *e* om. ed. 22 *pasto* V *pleno* ed. 24 *miscere* V. | *aeream* V.

Clausus ex gente prisca Sabinorum, magnus ipse, magni agminis ductor. *Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis:* a Clauso, qui ortus fuerat ab antiquioribus Sabinis, Claudia gens diffusa est et tribus per omne Latium, post- 5 quam Sabini admissi sunt in participatum Romani im-
710 perii. *una ingens Amiterna cohors priscique Quirites, Ereti manus omnis oliviferaeque Mutuscae. qui Nomentum urbem, qui roscida rura Velini, qui Tetricae horrentis rupes montemque Severum Casperiamque colunt Forulosque et flumen* 10
715 *Himellae, qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit Nursia et Ortinae classes populique Latini quosque secans infaustum interluit Allia nomen:* ex omnibus praedictis locis auxilia pugnatura confluxerant. *quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus, saevus ubi Orion hibernis* 15
720 *conditur undis; vel cum sole novo densae torrentur aristae aut Hermi campo aut Lyciae flaventibus arvis:* tanti populi congregabantur ad bellum quanti sunt fluctus in mari, cum undis pelagi Orion occidens mergitur (constat enim in occasu vel ortu siderum elementa turbari) aut cum sol 20 novus exoritur aristas siccaturus in campo Hermi aut in arvis Lyciis. *scuta sonant pulsuque pedum tremit excita tellus:* illis euntibus strepebant scuta et pulsu pedum percussa terra contremiscebat.

Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis curru 25 *iungit Halaesus equos:* ex alia parte veniebat originalis hostis Halaesus, ortus ab Agamemnone, quem constabat in Troiae excidio plurimum saevisse. veniebat igitur curru
725 vectus *Turnoque ferocis mille rapit populos:* ferocis populos, inquit, mille congesserat, qui ferrent auxilium Turno. 30 multitudinem numeri ait et animos trucis. mille populi, hoc est mille gentes accipiendae sunt, non mille homines. *vertunt felicia Baccho Massica qui rastris:* felicia Baccho,

---

1 *magni* V *et m.* ed. 6 *participatum* V *-tionem* ed. 8 *Mutiscae* ed. 9 *te treticae* V. 10 *caspeamque* V. 17 *tot*— 18 *quot* ed. 31 *animo* V ed. 32 *gentes* V ed. nescio an iterandum sit. 33 *felicia Baccho* in interpr. om. ed.

hoc est ubi vites superessent florentes vini ubertate, hi rastris vertunt vineta Massica. *et quos de collibus altis Aurunci misere patres Sidicinaque iuxta aequora quique Cales linquunt amnisque vadosi accola Vulturni, pariterque*
5 *Saticulus asper Oscorumque manus:* hos omnis congregabat 730 favor Turni. *teretes sunt aclides illis tela:* non teretes sunt tela, sed tela illis aclides sunt teretes. *sed haec lento mos est aptare flagello:* hoc enim genus teli flagello aptatur, ut iaci possit et destinata percutere. *laevas caetra tegit:*
10 laevas satis tegit caetra. *falcati comminus enses:* designando enses ostendit dexteris manibus ferri nec tamen rectos, ut mos est, sed curvatos in modum falcis.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis, Oebale: pulchre transit ad huius nomen; nam fecit quasi alte-
15 rius narrationis caput, non te, inquit, praeterient, Oebale, carmina mea. *quem generasse Thelon Sebethride nympha fertur:* sic huius originem narrat, ut non pro- 735 batum sibi aliquid dicat, sed opinione conpertum, dat tamen temporis signa, ut fidem faciat auditis. *Teleboum,*
20 inquit, *Capreas cum regna teneret iam senior:* cum iam senibus senior regnaret apud Capreas, hunc ex Sebethride nympha suscepit. *patriis sed non et filius arvis contentus late iam tum dicione premebat Sarrastris populos et quae rigat aequora Sarnus, quique Rufras Batulumque tenent*
25 *atque arva Celemnae, et quos maliferae despectant moenia* 740 *Bellae:* Oebalus cum parvi penderet quod sibi dimiserat pater, tenuit haec loca et per ea dilatavit imperium

---

2 *vineta* V *humentia* ed. 4 *undosi* V. | *ulturni* V. 6 *achides bellis* in interpr. *achydes* V. 10 *fatis* V *satis* nos om. ed. | *caetra* V *scuti genus* add. ed. | *geminos* pro *comminus* V. 13 *habebis* pro *abibis* V. 14 *uius nomen* V temere mut. ed. 15 *praeterient* V *praeteribunt* ed. 16 *thelon sebethride* V cf. 680. 19 *temporis signa* V *tempora* ed. | *tela boum* V. 20 *inquit* om. ed. 21 *senibus* om. ed. | *caput capraeas* V *apud Capreas* nos *apud* om. ed.: adiecto *senibus* D. comparativum explicare videtur. 22 *patris* V. 23 *Sarrastes* ed. 24 *rufras* (*s* prope evanida) V. | *stabulumque* V *Batulumque* ed. nos. 25 *caelemnae* V.

quae superius dicta sunt. *Teutonico ritu soliti torquere cateias:* hi omnes imitati Teutonas mittebant telorum species quae cateiae dicebantur. *tegmina quis capitum raptus de subere cortex:* ut ad vicem galearum tegerent capita, more suo tegmina de suberis cortice procurabant. 5
aerataeque micant peltae: pro scutis peltas habuerunt aere fulgentis. *micat aereus ensis:* mirandum non est ex aere fuisse gladium, quoniam et in quinto libro (274) ait „aerea quem oblicum rota transiit“; fertur enim veteres saepe aere usos pro ferro. 10

745 *Et te montosae misere in proelia Nersae, Ufens, insignem fama et felicibus armis, horrida praecipue cui gens adsuetaque multo venatu nemorum, duris Aequicula glaebis. armati terram exercent semperque recentis convectare iuvat praedas et vivere rapto:* Ufens quoque partibus Turni con- 15 senserat fama insignis, armis autem semper felicibus hoc est invictis. huic gens fuit semper bellis intenta neque umquam vivens de suo, utpote quae non delectaretur nisi nova praeda.

750 *Quin et Marruvia venit de gente sacerdos fronde super* 20 *galeam et felici comptus oliva, Archippi regis missu, fortissimus Umbro, vipereo generi et graviter spirantibus hydris* 755 *spargere qui somnos cantuque manuque solebat mulcebatque iras et morsus arte levabat:* venerat etiam Umbro ex Marruviae partibus sacerdos, redimitus oleae frondibus 25 tamquam de pacis otio et tranquillitate securus. hic tanta scientia floruit, ut serpentibus insereret somnum, placaret saevientis, curaret quicquid venenatis morsibus adpetissent; his medebatur vel cantu vel manibus. hunc autem constabat missu venisse regis Archippi; fuit ipse praeter scientiae 30

---

2 *gateias* V. 4 *ad vicem* V *loco* ed. 7 *micant aereos ensis* V. 8 *quoniam* — 9 *transiit* om. ed. 10 *aereus os pro ferro* V *aereos pro ferro habuisse* OU *os pro ferro habuisse* H *aes pro f. h.* ed. 11 *Nursae* ed. 14 *iuguat* pro *iuvat* V. 17 *huic* V *haec* ed. 25 *maruviae* (supra *rr*) V. | *redemptus* V. 27 *inserere* V *immitteret* ed. | *placaret* V *ac pl.* ed. 28 *curaret* V *et c.* ed.

nobilitatem fortissimus. *sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum evaluit neque eum iuvere in vulnera cantus somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae:* dum vult adventum eius, virtutem peritiamque describere, sic pro-
5 pera relatione exitum quoque eius interitumque conplexus est. ille enim serpentum domitor et contra eorum morsus et venena peritissimus ictus Dardania cuspide sibi mederi non potuit neque eum iuverunt cantus somniferi, quibus servaverat plurimos, aut Marsis quaesitae montibus herbae,
10 hoc est herbae in regionibus repertae Marsorum. *te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda, te liquidi flevere lacus:* 760 doluerunt, inquit, exitum tuum loca quorum incolis profuisti frequentius.

Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello, Virbius:
15 homo in dimicationibus bellicis probatissimi generis. *Insignem quem mater Aricia misit eductum Egeriae lucis Hymetia circum litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae:* ex Aricia matre genitus nutritus est in lucis Egeriae iuxta Hymetia litora, ubi Dianae ara consecrata est. *namque* 765
20 *ferunt [fama]:* ferunt inquit, quoniam audita relaturus est, ut quod fama ferebatur videretur dicere, non quod ipse plena cogitatione didicisset. *Hippolytum, postquam arte novercae occiderit patriasque explerit sanguine poenas turbatis distractus equis, ad sidera rursus aetheria et su-*
25 *peras caeli venisse sub auras, Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae:* fuit fama occisum Hippolytum remeasse in lucem remedio herbae Paeoniae et Dianae amantis auxilio. *tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris* 770 *mortalem infernis ad lumina surgere vitae ipse repertorem*
30 *medicinae talis et artis fulmine Phoebigenam Stygias detrusit*

---

3 *dum vult — 9 herbae* om. ed. 7 *dardaniae cupidae* V. 8 *con* pro *eum* V. 10 *aut herbae* V ed. *hoc est h.* nos. 11 *vitria* V. 14 *hyppolity prolis* V. 16 *arici* (infra *aritia*) V. 17 *hymeria* (infra *hymetia*) V. 18 *nutritusque* ed. 20 *fama* deest in V, sed explicatur. 21 *quod* V *quid* ed. 22 *cogitatione* V ed. *cognitione*? 23 *occiderat* V ed. | *expleret* V *-rat* ed. 24 *quis* pro *equis* V. | *adsiderat* pro *ad sidera* V.

ad undas: iratus Iuppiter redisse ab infernis umbris mortuum in eas auctorem facti tenebras mersit a quibus contra statutam legem revocatus est in lucem qui revocari non
775 debuit. *at Trivia Hippolytum secretis alma recondit sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat, solus ubi in silvis* 5
Italis ignobilis aevum exigeret versoque ubi nomine Virbius esset; Diana miseratione reparati iuvenis hunc secretis nemorum abdidit Egeriae nymphae commendans, ut illic latens tuta transigeret tempora, quem, ne notissimi nominis appellatio proderet, dici Virbium voluit. addit argumentum, 10
quo credi posset quod fama narraverat. *unde etiam templo Triviae lucisque sacratis cornipedes arcentur equi, quod*
780 *litore currum et iuvenem monstris pavidi effudere marinis:* ideo, inquit, quia Hippolytus equorum pavore deceptus est, templo et lucis Dianae sacratis equi arcentur, ne in 15
memoriam Dianae factum quo Hippolytus periit rediret. *filius ardentis haut setius aequore campi exercebat equos curruque in bella ruebat:* huius igitur filius non minore studio equis et curru acer ruebat in bellum.

Ipse inter primos: ipse ubi ponitur potioris meriti 20
persona significatur. denique sequitur *praestanti corpore Turnus vertitur arma tenens et toto vertice supra est:* ipse Turnus inter primos vertitur tenens arma et toto vertice altior ceteris fuit. potest etiam sic intellegi quod ait ipse,
785 scilicet cui tanta auxilia veniebant. *cui triplici crinita iuba* 25
galea alta Chimaeram sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignis: dixit causam unde ceteris altior videbatur. habuit, inquit, galeam cum triplici iuba habentem informatam Chimaeram, ita ad imaginem veritatis expressam, ut Aetnaeos ignis evomere putaretur. *tam magis illa fremens* 30

---

1 *inferis* ed. 2 *eas* V *eius* ed. | *mersit* V *misit* ed. 3 *revocare* V corr. ed. 5 *aegeriae* V. | *et silvis* V. 6 *exigerit* V. 7 *saecretis* V *in secretum* ed. 9 *tuta* V *sua* ed. 10 *addidit* ed. 13 *cursum* V. 14 *qui* V *quia* ed. | *furore decerptus* ed. 16 *rediret* om. V add. HO ed. 17 *setius* V *segnius* U ed. 25 *cui* V *cum quo* ed. 26 *aetneos* V. 29 *item* V ed. *ita* nos. 30 *praemens* V.

et tristibus effera flammis, quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae: habere videbatur illa aliquem sensum; nam tantum mutabatur in fremitum et in flammas, ut visa crudelitate crescere putaretur. *at levem clipeum sub-*
5 *latis cornibus Io auro insignibat, iam saetis obsita, iam* 790 *bos, argumentum ingens, et custos virginis Argus caelataque amnem fundens pater Inachus urna:* descripsit caput et galeam Turni, dicit quid haberet in clipeo. expressa illic fuit Io nondum armata cornibus, iam tamen saetis obsita
10 et bovis corpus ostendens; nec Argus illic defuit, qui custos virgini adpositus fuerat; et Inachus pater eius additus videbatur ornata auro urna flumen quoddam effundens. *insequitur nimbus peditum*: ducem Turnum sequebatur peditum multitudo. *clipeataque totis agmina densantur campis:*
15 quanta multitudo scutata peditum fuit, quam cum latitudo campi non caperet, densabatur, ut sustineri potuisset! *Argivaque pubes Auruncaeque manus, Rutuli veteresque* 795 *Sicani et Sacranae acies et picti scuta Labici, qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici litus arant Rutulosque*
20 *exercent vomere collis Circaeumque iugum, quis Iuppiter Anxuris arvis praesidet et viridi gaudens Feronia luco.* 800 *qua Saturae iacet atra palus gelidusque per imas quaerit iter vallis atque in mare conditur Ufens:* omnes isti ex diversis locis et regionibus congregati cum Turno fuerunt.
25 *Hos super advenit Volsca de gente Camilla agmen agens equitum et florentis aere catervas, bellatrix:* super hos, 805 inquit, tantos ac tam innumeros venit et Camilla bellatrix de Volscorum gente. tantus fuit amor belli in omni Italia, tanta adversus Aenean cunctorum conspiratio, tantus metus
30 in universis, ut etiam femina multitudinis dux non dubi-

---

2 *illa* — 3 *mutabatur* om. sequentia mut. ed. 5 *insignebat* V. 8 *habet* ed. 11 *virginis* ed. 14 *densatur* V. 17 *veteres veteresque* V. 18 *Sarrhanae* ed. 19 *tuus* V. 20 *circeumque* V. 21 *anxyris* V. 23 pro *atque* — *conditur* partem interpretationis aberrans scripsit V. 27 *tantos hastam innumeros* V *t. ac tam i.* OU *qui e diversis locis convenerant* ed. 30 *in* om. ed.

taret existere, fiducia videlicet non sexus sui, sed exercitationis; quae, licet ipsa in eo sexu esset qui alienus esse debuerat a bello, ducebat tamen maximi numeri iuventutem, equitum atque peditum, armis conpetentibus instructam, viris ipsa non inferior. incipit adserere poeta posse usum 5 superare naturam, *non illa,* inquit, *colo calathisve Minervae femineas adsueta manus:* despecto quod nata est et spretis lana et colo manus femineas virili studio mancipavit. *sed proelia virgo dura pati:* aderat illa duris bellis. dixit qualibus et non dixit eorum numerum, ut cumularet 10 virginis laudem sub generali significatione. dura, inquit, bella, in quibus maior crudelitas esset et maximus labor. *cursuque pedum praevertere ventos:* fidebat illa non tam equorum mobilitate, sed pedibus suis, tantum pernix, ut cursu praeverteret ventos. *illa vel intactae segetis per summa* 15 810 *volaret gramina nec teneras cursu laesisset aristas vel mare per medium fluctu suspensa tumenti ferret iter celeris nec tingeret aequore plantas:* illa, si super segetes et super fluctus medio maris cursum vellet exercere, tanta levitate mobilis corporis ferebatur, ut nec aristas laederet nec 20 plantis tangeret mare, ut non iam currere, sed volare videretur. *illam omnis tectis agrisque effusa iuventus turbaque miratur matrum et prospectat euntem attonitis inhians animis:* euntem illam in medio agmine mirabatur multitudo omnis ac sexus domibus et agris in aperta prosiliens. cui 25 feminae vel cui viro non miraculo esset in femineo sexu 815 Martis habitare virtutem? *ut regius ostro velet honos levis umeros:* praeter ausus ipsos et omnia quae laudantur euntis laudatur etiam ipse vestitus, quem ornabat pretium vestis et habendi subtilitas; velabat enim umeros eius taxatio 30 vestis amplissima et ostri meritum. *ut fibula crinem auro internectat:* crinem eius non acus feminea, sed virilis fibula

---

2 *quae licet* V *quum* OU ed. 6 *inquit* om. ed. 7 *quod nata est* V *ad qu. n. esset* ed. 14 *sed* V *quam* ed. 19 *fluctus* om. ed. | *cursu* V ed. | *exercere* V *-ri* ed. 23 *attentis* ed. 28 *tenuit* V ed. *euntis* nos. 30 *habendi* om. ed. 31 *et austri meritum* V om. ed. 32 *acus* V *ars* ed.

militarisque nectebat. aurum illic ostrumque supererat, sic tamen, ut reginae esset totum, non quo illis delectari videretur quae tendebat ad bellum. *Lyciam ut gerat ipsa pharetram et pastoralem praefixa cuspide myrtum:* inter
5 cetera etiam illa mirabatur multitudo spectantium, quod incedens arma sua ipsa portabat, pharetram scilicet et hastam myrteam praefixo ferro graviorem, quae tanti etiam ipsa roboris fuit, ut ad usum pastorum fortium parata putaretur.

10 Quae supra scripta sunt pertinent ad extremam manum, quam inposuit Iuno per Furiam; perfectionem autem significare extremam manum inde magis apparebit, si ostendamus in ipso Vergilio dictam etiam primam manum: quia prima manus non dicitur nisi quae habeat sequentis usque
15 ad extremam, extrema non dicitur nisi quae habeat superiores usque ad primam. hic igitur dixit extremam manum, ubi perficiendis rebus intendebat operam, in undecimo autem libro (505) induxit Camillam dixisse „me sine prima manu temptare pericula belli" (hoc est incipere pugnae certamen),
20 „tu pedes ad muros subsiste et moenia serva", secutum ut reliqua Turnus inpleret praeter ista quae huius libri expositio continet. etiam illud sciendum est quod saepe iam diximus, laudes Aeneae libros omnis continere, sed hunc

---

1 *superat* V *suberat* ed. *supererat* nos cf. 8, 28. 2 *delectare* V *-ri* ed. 3 *ipsam* V. 4 *praefixam* contra interpr. V. 5 *expectantium* V corr. ed. 6 *incendens* V corr. ed. 9 *putaretur* V *videretur* ed. 11 *per furiam* V ed. expectes *post f.* vel *per f. actis* cf. 572. | post *autem* haec sequuntur in V: *significare extremam manum inde magna apparebit si ostendamus in ipso Vergilio dicta mea prima manum q̄ prima manus nostra dicit n̄ā q̄ habeat sequentis usque ad extremam etstrema non dicit n̄s̄ que habeat superiores usque ad primam:* confusa sunt quae aliis locis occurrunt compendia q̄ (quae) et q‹ (quia), item n̄s̄ (nisi) n̄ā (nostra) n̄ (non); pro *magna* recte emend. *magis* U, reliqua nos: *significare — manum* mut. *inde — ad primam* om. ed. 17 *opera* V ed. 18 *eam illam* V ed. ut 11, 717. | *me semp* pro *me sine* V. 19 *huius est* V ed. *hoc est* nos. 20 *tunc tedes* pro *tu pedes* V. | *saectum* V *secutum* nos *sequitur* ed. 22 *est* om. ed. 23 *hunc* V *in hoc* ed.

plura eiusmodi et maxima et miranda conplexum. nam ut venit Aeneas idem ad Italiam, auspiciis divinis susceptus est, blandientibus omnibus elementis, sereno caelo, placido mari, ventis silentibus, luce crescente, sole mundo, aurora fulgente, secundo fluminis cursu, etiam ipsis avibus laetis, 5 nemoribus quoque otium securitatemque spondentibus, quo tempore emerserunt apes, genus animalis asperum pro se et adversus eos quos senserint inimicos, generans mella et examinum infinitam prolem. flammatum est quoque Laviniae caput, sed illud lumen potius quam incendium 10 fuit; responsum est vocibus vatum venturum virum admirabilem, cui Italiae totius deberetur imperium. ecce adventus eius non homines nuntii fuerunt, sed dii. consultus Faunus super deligendo genero multos petitores respuit spondens venturum cuius revera coniugio Lavinia deberetur. 15 occurrit eius felicitate aetas et orbitas regis; nam Latinus et senex fuit et unam filiam habuit. hic in eo praefertur Aeneas, quia, nisi oportune venisset, omnis Italiae futura prosperitas et res Romani imperii penitus concidisset. dehinc ab ipso rege libenter exceptus est et uxor ei oblata potius quam pe- 20 tenti concessa. praelatus est civibus multis virtute, genere, pulchritudine corporis fortunaque praestantibus. huius felicitati invidens Iuno defectus suos evidenti dolore confessa etiam inferos movit, vocavit Furiam, hanc adversus hominem deorum voluntate munitum iunxit partibus suis, qua mini- 25 stra adponitur mater ipsa per fraudem, quae fidem promissae adfinitatis everteret, scilicet cum offerret alterum generum divitem, regium atque formosum: sed haec non potuerunt Latini mentem commovere. excitatus est Turnus in bellum, exciti reges innumeri, provinciae quoque et 30 gentes, asperae, bellicosae, feroces, et multitudinis fiducia truces, adicitur octavo libro (9) ad Diomeden quoque

---

14 *diligendo* V. 16 *felicitati* HOU ed. | *Latinus* V *L. rex* ed. 19 *paenitus* V *protinus* ed. | *dehinc* V *dein* ed. 20 *ei* V *et* ed. om. ed. post. 24 *movet* V ed. | *vocavit* V *vocat* ed. | *hominem* — 25 *munitum* V corrupit ed. 26 *ipsa* V *eius* ed. | *promissam* ed.

missum, sed illum tanti nominis reverentia territum auxilia pernegasse, Aenean interea de reliquiis Danaum (ut dictum est) atque inmitis Achilli, perditisque ex his naufragio plurimis et interveniente luis contagio nonnullis extinctis,
5 relictis quoque in Siciliae partibus aliquantis, cum paucis quos Euander ei ex angusta substantia dederat obtinuisse, ipsam Iunonem saevam et in exercendis inimicitiis infinitis temporibus perdurantem virtute, tolerantia et felicitate superatam Aeneae partibus, ut in duodecimo libro (841)
10 lectum est, † facere conpulsam illumque omnia cum omni prosperitate adeptum quae nuntiaverant dii et cecinerant vates.

---

2 *et ut dictum est* V *et* del. ed. 4 *contagio* V *-ione* ed. 10 *facere* V ed. *favere* ed. post. an *ab Aeneae partibus* — — *facere*? cruce signavi.

post *vates* sequitur quae solet subscriptio *Tiberi Claudi Donati* etc. *Aeneidos liber VII explicitus incipit liber VIII feliciter*.

AENEIDOS LIBER VIII.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce extulit et rauco strepuerunt cornua cantu, utque acris concussit equos utque inpulit arma, extemplo turbati animi, simul omne 5 *tumultu coniurat trepido Latium saevitque iuventus effera:* Turnus hortamento Furiae et mandatis, ducibus et auxiliis 5 fultus, factus audacior primus prorupit in bellum signumque extulit, quo maiore furore bellandi ceteros excitaret. denique ut vexillum ostendit et rauco cantu strepere coeperunt cornua, ut equos produxit et arma inpulit, extemplo turbati animi, singulorum scilicet qui viderant vel audie- 10 rant: quibus ita gestis alia mens virorum fortium facta est et, quando ad id ventum est, ut non dispositione sequenti tempore profutura, sed in praesens momentum facta procederent, simul omne tumultu coniurat trepido Latium. simul, inquit, et omne, hoc est uno tempore, 15 omnibus in unum coeuntibus Latium omne coniurat. trepidatio quippe cunctorum talis extiterat et talis tumultus hoc est timor multus, ut in contrahenda coniuratione et tanta congregatione populorum parvi sibi adhuc et inpares viderentur, perindeque desperatio universos obsederat, quo 20 factum est ut nullus inmunis fieret a consortio dimicandi. ecce quantum Aeneae meritis datur, quanta arte laudes eius et praeconia cumulantur! profitetur primus violentiam Turnus et coniugium, quod meritis obtinere non valuit, bello nititur quaerere; hic quoque partes Aeneae tutae 25

---

4 *solvitque* ed. 12 *dispositioni* ed. 13 *profuturae* V ed. 16 *omne* V *trepido tumultu* add. ed. 19 *et adhuc* ed. 20 *obsiderat* V.

redduntur, ne peregrinus, ne optimo studio susceptus et optatus cum omni benivolentia gener in socios inpius et asper in cives videretur extitisse, si primus arma sumpsisset. accedebat aliud quod magis laudes eius extolleret,
5 ut Italia omnis, tot duces, tot populi, tanta universorum conspiratio rebus suis cum ipsa subsidiorum ope diffideret, cum peregrinum naufragum, novum ac nullis in ea regione familiaritatibus fretum contemnere armata multitudo debuisset. saevitque iuventus effera: ferebatur iuventus non
10 ratione aliqua, sed naturali feritate et iniecta per Furiam furoris amentia. *[ductores primi] Messapus et Ufens contemptorque deum Mezentius undique cogunt auxilia:* duces timidiores ceteris cogebant auxilia undique. cogebant accipiendum est non congregabant, sed invitos urgebant.
15 denique sequitur *et latos vastant cultoribus agros,* ut ostenderet poeta tanto illos metu fuisse oppressos, ut solitudinem latis indicerent agris, nullo saltem relicto custode. in significatione latitudinis agrorum intellegere possumus quantus cultorum numerus ad bellum videatur esse pertractus.
20 Messapus et Ufens contemptorque deum Mezentius: non frustra singulorum nomina posuit: ostendit enim excepto timore plebis etiam in ipsis ducibus, in quibus praecipua virtus existeret, maximum fuisse terrorem. nam quia auxiliis cogendis operam dabant et ne ipsos quidem inermis esse
25 patiebantur cultores agrorum, procul dubio quid formidinis animo gererent evidentissime profitebantur. quod autem etiam hoc loco contemptorem divum Mezentium posuit, maximum Troiani ducis insigne in eo quoque voluit demonstrare, ut contemptor divum Mezentius aliquando inveniret
30 quem timeret. *mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,*

---

1 *ne optimo* V *ne* om. ed. 3 *prius* ed. 6 *ore* V *mole* ed. *ope* nos. 8 *contendere* V ed. *contemnere* ed. post. 10 *naturali* om. ed. | *infacta* V *iniecta* ed. post. cf. 7, 341 an *inpacta*? 11 *amentiam* V ed. corr. ed. post. *ductores primi* deest in V, sed explicatur. 17 *inducerent* ed. 23 *quia* V *qui* ed. | *auxilia cogendis* V corr. ed. 25 *qui formidinis* V *quem* (sic) *formidinem* ed. 30 *quem* V *quae* ed.

10 *qui petat auxilium:* tanta formido Italorum tenuerat mentes, ut conquirendorum auxiliorum non invenirent terminum nec caperent finem. denique etiam ad Diomeden miserunt Venulum, qui auxilium poscat et, quoniam petendi ars illa prima est, ut id quod petendum est ostendatur etiam 5 illi profuturum qui dederit, mandata ad ipsum portet quibus et movere hominem et inpetrare posset quae volebat. Longe autem fuerat Diomedes perindeque nesciebat quae in Italia gererentur, facillimum videbatur eum etiam falsis terroribus ad dandum posse provocari. Mandata igitur pro 10 natura causae haec fuerant quibus suasoria posset inpleri: primum ut *advectum Aenean classi* narraret, hoc est ut de adventu Aeneae gnarus fieret, quem in Troia noverat victum; eundemque navibus advectum, ut ex hoc verum esse confideret et arbitraretur non tantis opibus fultum timendum 15 propter bellorum incerta non esse; *victosque penatis inferre:* secum vehere deos suos, quos ipse Diomèdes in excidio Troiae contempserat. cum hunc adserit penatis secum vehere, ostendit eum his constituendis in Italia de sedibus cogitare. *et fatis regem se dicere posci edoceat:* referat etiam Aenean 20 dicere quod sibi fatorum ratione Italia debeatur. licet hoc non adeo posset Diomeden terrere, valebat tamen suspicionem colligere, Aenean in causa sua de regno debito esse mentitum. adduntur supplementa terroris falsa, quae inimicum veterem in magnam sollicitudinem mitterent: *multasque viro se adiungere gentis Dardanio et late Latio increbescere nomen:* haec non fuerant facta, sed idcirco veris admixta sunt, ut pro certis acciperentur. sed neque ipsa Diomeden poterant formidare, etiamsi haec pro veris ac-

---

1 *auxilium* lemmatis finis in V *et Latio — classi* add. ed. 3 *miserant* ed. 4 *venulis* V. 6 *portet* V *defert ea* ed 7 *movere* V *mulcere* ed. 11 *quaerant* V *fuerant* nos cf. v. 55 *erant* ed. 12 *primum — narraret* pro lemmate scriptum in V. 13 *gnarus* V *ignarus* HO *ignarus non* ed. 15 *non tantis* V *parvis* ed. 17 *secum* V edI *secundum* edF. 19 *sedibus* V ed. *de s.* nos. 22 *valebant tamen suspitione collegere* V item omisso *tamen* ed. *volebant* ed. post. 29 *diomeden poterant* V cf. v. 266 *Diomedes poterat* ed.

cepisset; diceret enim adversus eos profutura quos in Italia sui aemulos invenisset. multasque viro se adiungere gentis Dardanio et late Latio increbescere nomen: multas, inquit, gentis: maior metus iniciebatur ex eo quod neque nume-
5 rum expressit aut gentium nomina. dehinc dixit adiungere et increbescere; inperfecto enim modo maior formido poterat exoriri, quod auxiliorum et favoris Aeneae quotidie crescebat effectus; nam si aliquid perfectum nuntiaret, aestimari poterat et forte contemni. duo igitur mandata
10 portabat Venulus: unum quo indicaret quae gererentur in Italia, alterum quo terreret. edoceat non semel accipiendum est, quod idcirco in medio posuit, ne turparetur ex continuatione narratio, si in capite vel in fine consisteret. ordinemus ergo omnia, ut intellectus fiat inlustrior, et propter
15 demonstrandam petitionis causam: edoceat Latio consistere Teucros, advectum Aenean classi victosque penatis inferre et fatis regem se dicere posci. per singula ergo quae dicta sunt subaudiendum est edoceat, item inferioribus aptandum, ut sit edoceat multas gentis viro Dardanio se ad-
20 iungere, item edoceat late Latio increbescere nomen. haec exempla loquendi debemus imitari, cum aliqua scribimus. odiosa est enim in his continuatio, quae fit melior, cum unum verbum in medio positum superioribus simul inferioribusque respondet. incipit pars alia mandatorum in-
25 terponi, ut, si inpetrationem non concederet, ex periculi sui contemplatione postulatis Diomedes adnueret. *quid* 15 *struat his coeptis, quem, si fortuna sequatur, eventum pugnae cupiat:* manifestum est, inquit, quid eius coepta significent, manifestum quem cupiat eventum, si fortuna consentiat.
30 dicit iam maioris metus causam, Aenean *manifestius*

1 *enim* om. ed. 7 *Aenea* V corr. ed. 10 *quo* — 11 *quo* V *quod* — *quod* ed. 12 *turbaretur* ed. 21 *loquendi* V *docendi* ed. 25 *et periculi* V *ex p.* ed. 28 *cupiat* om. V. 30 *Aenean manifestius* V *Aenean* om. ed.: hinc atque ex iis quae sequuntur apparet Donatum *manifestius* pro adverbio, *apparere* de occurrendo accepisse; nam quod supra dicit *manifestum* — *manifestum* ex solo comparativo elicere sibi videtur.

ipsi quam Turno regi aut regi apparere Latino. ex aperto, ait, non Turno aut Latino esse cupit infestus, quem constat nullas causas odii praebuisse, sed illi quem propter excidium Troiae execrabilem habuit inimicum. etiam huic parti edoceat debet adiungi, quia, ut dictum est, semel 5 positum omnia tenuit. ponamus ergo in capite edoceat et cum ipso verbo percurramus omnia. mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem, qui petat auxilium et hunc edoceat advectum Aenean classi, edoceat victos penatis inferre, edoceat fatis regem se dicere posci, edoceat multas 10 gentis se adiungere viro Dardanio (quod addidit Dardanio non vacat; admonere enim voluit Diomeden odii veteris, quod metuere debuit propter excidium Troiae), edoceat Latio increbescere nomen eius, edoceat quid struat his conceptis, edoceat Aeneae hanc esse sententiam et, si eventum 15 pugnae sequatur fortuna prosperior, ex aperto magis ipsi Diomedi veteri hosti redditurum vicem quam Latino aut Turno nociturum.

Talia per Latium: multi hic distinguunt et finiunt et faciunt caput cum quodam transitu et sequuntur dicentes 20 *quae Laomedontius heros cuncta videns magno curarum* 20 *fluctuat aestu atque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc in partisque rapit varias perque omnia versat.* nos hanc pronuntiationem propositi versus sic trademus addita ordinatione sensus: quae cuncta talia videns Laomedontius 25 heros per Latium geri, magno curarum fluctuat aestu et cetera quae sequuntur, ut nulla sit separatio. cuncta videns, id est plane considerans omnia et habens conperta ac manifesta. quod ait cuncta, illud exprimere voluit, ex illis quae pars diversa agitabat nihil Aenean latuisse. Laome- 30 dontium dixit astutum, callidum, vigilantem et respondentem virtutibus Laomedontis. et revera haec prima solli-

---

2 *quem constaret* V *quum constaret* HO ed. *quem constat* nos. 7 *ipso verbo* V *ipsa dictione* ed. 8 *hunc doceat* V *h. edoceat* ed. 14 *struat* V *ferat* ed. | *conceptis* V ed. *coeptis*? 15 *ut si* V ed. *et si* ed. post. 30 *pars* V *per* ed. | *agitabant* ed.

citudo est in ratione bellorum, ut unusquisque noverit quid hostes agant, quid moliantur. haec igitur Aeneas sic noverat, ut eadem ipsa non solum audisse, sed cernere videretur, ita omnis actus diversae partis investigando
5 collegerat. magno autem animi aestu et vehementi agitabatur considerans totius Italiae factionem. aestus animi ex causa translationis dicti sunt, ceterum proprie maris dicuntur aestus, cum ultra naturam suam aliqua ex causa tollitur aut inundat. nec inmerito igitur prudentissimus
10 diversis cogitationibus et inaestimabili cura huc atque illuc propria cogitata tenebat. videbat enim adversis omnem Italiam studiis conspirasse, missum quoque etiam ad Diomeden, quem non sperabat auxilia negaturum, considerabat opes suas, quae contra tantos ac talis stare non possent,
15 utpote quae essent satis exiguae et nullis extrinsecus subsidiis fultae. haec exposuimus capta coniectura ex praesentibus, ceterum poeta nullas cogitationum specialis causas aperuit aestimationi relinquens quae ille pro loco, pro tempore, pro persona, pro causa volvere secum ipse potuit.
20 nihilominus mira arte tractavit naturam animi, qui, cum diversis ut mare coeperit aestibus agitari, cito in alta rapitur et cito revocatur. mittit conparationem, ut unusquisque animi mobilitatem, quam latentem in interiore pectoris non poterat cernere, proposito videret exemplo:
25 *sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis sole repercussum aut radiantis imagine lunae omnia pervolitat late loca iamque sub auras erigitur summique ferit laquearia tecti;* aqua 25 enim patentibus vasis condita et percussa solis vel lunae radiis, si habeat motum, emittit ex sese quoddam lumen
30 vagum atque discurrens et nunc tecta ipsa nunc parietes omni celeritate percurrit, quod ipsum idcirco positum est, ut intellegatur quanta mobilitate animus Aeneae per diversas cogitationes videatur cucurrisse. *nox erat et terras*

1 *noverit* V *intelligat* ed. 2 *mouantur* V *moliantur* nos *innovatur* HO *innovetur* ed. 3 *cernere* V *vidisse* ed. 15 *nullis* V *nullius* ed. 18 *aestimatione* V *-ni* ed. 25 *lumaenenis* V. 28 *vel* V *aut* ed.

animalia fessa per omnis alituum pecudumque genus sopor altus habebat, cum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
30 *Aeneas tristi turbatus pectora bello procubuit seramque dedit per membra quietem:* nihil cogitantibus et nulla cura distentis aderat noctis tempus, quod somnum suaderet et 5 requiem, sed Aeneae aliud adsignat, ut fecerit quod bono et fecerit quod sollicito congruebat. cum, inquit, cuncta animalia somnus habuisset ac pleno otio requiescerent, solus Aeneas per aliquantam partem noctis pervigil fuit, sed ubi vicit natura vigilantem et resistentem superavit, 10 non quaesita sunt tecta nec procuratus est ad delicias torus neque omne corpus traditum somno, sub nudo aethere atque in fluminis ripa, hoc est ubi pro ratione temporis et loci frigus supererat et pruina, procubuit potius quam omne corpus quieti concessit, serum capiens somnum hoc 15 est tardum, quod procul dubio faciunt quos sollicitat salutis cura nec volunt a primo vespere in lucem usque dormire. *huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno populeas inter senior se attollere frondes visus:* ecce felicitas cogitantis, dormit auxilia potius quam delicias quaesiturus; 20 nam deus ipse fluminis praesentis visus est dormienti, non occultus aut dubius nec aliter quam fuit apparens; nam ipso alveo fluminis inter populeas frondes et aquae currentis lapsum emerserat. *eum tenuis glauco velabat amictu carbasus et crinis umbrosa tegebat harundo:* ex ipso habitu 25 intellegebatur quis esset, etiamsi eum vidisset inprudens. habuit Aeneas ultra quam sperabat maximum meritum,
35 quem levabat somnus, levabat et somnium. *tum sic adfari et curas his demere dictis:* dubitari non potest quantum detur Aeneae successibus, ut adfatibus dei praesentis omnis 30 eius cogitationum removeretur acerbitas. cultus autem

---

2 *habebater* pro *habebat cum pater* V. | *gelidoque* ed. 6 *homo* V *bono* corr. edF. 12 *sub* V *sed sub* ed. | *aethera* V. 14 *potius quam* V *super* ed. 16 *quos* V *ii q.* ed. 17 *voluit* HO ed. | *primo* V ed. *a pr.* nos. 21 *dormientis* V *-ti* ed. 23 *virentis lapsus* ed. 25 *cavosus* pro *carbasus* V. 27 *sperabant* V corr. ed.

ipsius numinis non inaniter positus: dormiebat; debuit enim dormiens evidenter cernere quis esset, ne daret humanis erroribus quod magni beneficii loco fuerat praestitum. hoc autem ei demebat deus ipse, quod eum inpor-
5 tunis cogitationibus vexari cognoverat.

O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem qui revehis nobis aeternaque Pergama servas, exspectate solo Laurenti arvisque Latinis: parum fuit quod venerat deus excussurus omne taedium cogitantis, dicit ei etiam laudem.
10 quam si solam dixisset nec addidisset alia, sufficerent quae sub laudativo textu posuerat; primum enim dixit o sate gente deum, cogitas, inquit, humana pericula natus ex diis nec respicis salutem tuam in hominum manus venire non posse, quam tuetur nativitas: sua incolumitate con-
15 sistens salvum et integrum inlibatumque perdurat. Pergamum quoque interisse quis adserat, cum tecum duret in tempora aeterna mansurum? olim te sperabat Italia, tenet praesentem et optatis amplexibus fovet. haec dicendo magnam spem futuris temporibus pollicetur, addit alia, ut
20 animum aestuantis maiore securitatis sponsione confirmet: *hic tibi,* inquit, *certa domus, certi, ne absiste, penates, neu* 40 *belli terrere minis.* qui speratus venisse dictus est magis magisque securior redditur, quod illic habiturus esset sedes, illic penatis conlocaturus: illum nihil debere metuere ne-
25 que illam sollicitudinem ferre, quod crudescerent bella et maiora pericula minarentur. *tumor omnis et irae concessere deum:* in lenitatem plenissimam versum est quod animorum tumoribus ferebant numina et in omnem placiditatem illorum durata dudum iracundia commutata est
30 perindeque cessit felicitati tuae quicquid solebat esse contrarium. *iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum, litoreis ingens inventa sub ilicibus sus triginta capitum*

---

1 ante *dormiebat* videtur *est quia* excidisse. 5 *vexare* V corr. ed. 12 *nate* ed. 14 *qua intuetur* V *quem i.* ed. *quam tuetur* nos. 15 *salvum* V *et s.* ed. | *perdurat* V *retinet* ed. | *Pergama* ed. 16 *durent* — 17 *mansura* ed. 27 *levitatem* ed. 29 *duratam dudum iracundiae* V corr. ed. 32 *litoreum* V.

45 *fetus enixa iacebit alba, solo recubans, albi circum ubera nati:* benignus monitor omnia ei adimit quae incertum bellum fecerant; noverat quippe multos homines falli per somnium et somniare superflua, quod ne Aeneae accideret, dat ei dormienti signa, quae vigilans probaret in luce. hinc, 5 inquit, scies veris te institui, cum praedicta in praesenti ipsa occurrente veritate cognoveris. quippe inter litoreas ilices emerget sus formae maximae cum fetibus triginta. nec inmerito ingens, quae posset uno partu tanti numeri incolumis fetus exponere. fuit ergo unum signum a loco 10 et eius qualitate, alterum a genere animalis et magnitudine, tertium quod numeroso in fetu consisteret, quartum quod visurus esset iacentem natis circum ubera constitutis, quintum quod albi omnes et uno colore cum matre. quid autem significaret hoc ipsum quod praedicebatur ipse aperit 15 atque ipse disponit dicens: *ex quo ter denis urbem redeuntibus annis Ascanius clari condet cognominis Albam:* hoc, inquit, signo monstratur Ascanius conditurus civitatem Albam atque in ea per triginta annos regnaturus. conplevit omnia quae adimendae sollicitudinis causa pro- 20 secutus est, dixit alia quoque quae tenerent futuri temporis spem, in tantum ut prosperitatem ipsam diceret per Aenean ipsum ad Ascanium quoque venturam. confirmationis omnium fuit *haut incerta cano,* quod solet evenire, dum homines dormiunt. ista, inquit, vera sunt et certo 25
50 proferuntur auctore. *nunc qua ratione quod instat expedias victor paucis, adverte, docebo:* qui praedixerat futuri temporis bona haut ambigua etiam de praesenti prosperitate pronuntiasse videbatur et tamen nihil volens in occulto remanere addidit etiam haec quae illum facerent laetiorem. 30 audi, inquit, nunc et quomodo praesentia declines ausculta. bene promisit brevitatem, ne iam diu sollicitum sermonis

---

4 *accederet* V. 5 *dormientis* V ed. 6 *instrui* ed. 7 *cognosceris* V *cognosces* ed. 8 *silices* V *salices* HO ed. 12 *numeroso* V *numero* O *numerus* H ed. 28 *aut* pro *haut* V. 29 *videatur* V *videtur* ed. | *occulto* V ed. *in o.* nos an *occultum*?

prolixitate suspenderet. *Arcades his oris, genus a Pallante profectum, qui regem Euandrum comites, qui signa secuti, delegere locum et posuere in montibus urbem, Pallantis proavi de nomine Pallanteum. hi bellum adsidue ducunt cum* 55
5 *gente Latina. hos castris adhibe socios et foedera iunge:* promiserat se paucis esse dicturum et hoc tenuit, sed ipsa pauca latum habent intellectum; nam nihil de necessariis praetermisit, ut solent efficere qui conpendio student constricti sermonis. dixit enim genus, nomen et unde videretur
10 adsumptum, quem secuti noscerentur et quam proximi essent, ne taedio Aeneae foret tali tempore longinqua profectio, aperuit ubi civitatem condidissent et quo ea nomine vocaretur et in cuius honorem tale vocabulum meruisset, praevenit vero omnia quae opponi e contrario
15 potuissent. dicturus quippe inde posse auxilia provenire praecepit desperationem; posset enim dici fortassis non dent, atque ideo dixit illis nonnumquam cum Latinis causam extitisse bellandi, ut Aeneas fideret certis et ad illos praesumpta intentione contenderet, debere illos et posse
20 castris Troianis adiungi, cum vetus inimicitiarum causa subsisteret. haec fuerunt signa instructionis quae docerent nescientem. idcirco autem dixit Arcades non esse indigenas, ut Italos ostenderet perosos habere peregrinos et ipsos Arcades demonstraret contra aemulos suos cum peregrinis
25 posse venire Troianis. consequens fuit etiam illam praevenire partem, quoniam novus perindeque incognita habens universa potuit dicere nec homines novi nec loca nec viam qua duce ad eos secure perveniam. *ipse ego te,* inquit, *ripis et recto flumine ducam, adversum remis superes sub-*
30 *vectus ut amnem:* dicit quid fiat et quomodo fiat; hoc enim conveniebat studio pleni fautoris. ego, inquit, te ducam per amnem meum hoc conlaturus meritis tuis, ut

---

1 *appellante* pro *a Pallante* V. 3 *deligere* V. 4 *pallantem* pro *Pallanteum* V. 16 *dent* V *ibunt* ed. 19 *contendere deberet* ed. post. | *illos ei* V ed. *i. enim* ed. post. 21 *quaerunt* V *erant* ed. *fuerunt* nos cf. v. 10. | *doceret* ed. 26 *novos* V corr. ed. | *perinde* ed. 29 *remes* (et infra) V.

adversus undarum cursus remis superes et omni remoto luctamine ad destinata pervenias. dicendo contra amnem esse tendendum edocuit in ea parte constitutos Arcades quae flumini caput et originem dabat. ne autem eo ipso terreretur Aeneas, ille ipse se pollicitus est futurum 5 ducem et difficilia omnia remoturum. *surge age, nate dea:* surge et age hortantis sunt potius quam iubentis. *primisque cadentibus astris,* hoc est antequam lucis exortus 60 omnia astra removeat, *Iunoni fer rite preces:* noverat enim utpote deus ipsam Troianis fuisse infestam: proinde 10 placandam dicebat et potentem inimicam devotis obsequiis leniendam. ecce et iste in ea sententia est in qua Helenus fuit, sed oportunius hic suadet rogandam, quoniam supra dixit „tumor omnis et irae concessere deum". *iramque minasque supplicibus supera votis:* sola mansit in tumore 15 animi, placanda tibi est, ut ceteris ipsa quoque animo promptiore consentiat. et placandam Iunonem docuit sacrificiorum obsequiis et matutinum tempus ostendit divinis honoribus convenire, ut fecit alio loco Aeneas; sic enim positum est (11, 4): „vota deum primo victor solvebat 20 Eoo". supplicibus, inquit, votis supera; potentium quippe inimicitiae obsequendo potius quam resistendo franguntur. *mihi victor honorem persolves:* cum senseris beneficia mea, cum laetus de effectibus fueris, tunc mihi repraesentabis quae mereor propter hanc causam. oportuit Aenean evi- 25 dentius nosse quis ille esset et scire cui per tanta beneficia factus esset obnoxius, sub qua occasione et deum adverteret monitorem et fideret quod per eius amnem ad optata auxilia posset pervenire: *ego sum,* inquit, *pleno quem flumine cernis stringentem ripas et pinguia culta* 30

---

3 *esse* V *etiam* ed. | *constructos* V ed. *constitutos* nos. 5 *ille ipse* V *i. i. se* nos *illi ipsi* ed. 9 *removeant* V ed. 11 *inimicam devotis* V *deam piis* ed. 15 *supera votis,* sed infra *votis supera* V. | *remansit* HO ed. 16 *animi* V *a. Iuno quae* ed. | *ipse* — 17 *consentiam* ed. corr. ed. post. 19 *siconpositum est* V *sic enim positum e.* nos *ubi dictum est* ed. 21 *votis supera* V *sup. votis* (ut in lemmate V) ed. 25 *evidentibus* ed. 26 *et sciret* V ed. *et scire* nos *ut sciret* ed. post.

secantem, caeruleus Thybris, caelo gratissimus amnis. non adroganter tetigit laudes suas, sed necessarie; debuit enim Aeneas multifario modo quis ille esset consiliorum bonorum commodissimus demonstrator evidenter attendere, ut con-
5 siderato tantorum auctore dictorum fideret vera esse quae viderat atque auribus sumpserat. *hic mihi magna domus:* 65 hic ait, commoror, hic domicilium habeo, hic dixit ubi loquebatur. *celsis caput urbibus exit:* originem, inquit, vero et caput inter excelsas urbis habeo.

10 *Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto ima petens:* rediit ad sedem propriam aquarum profundo submersus, cum ea conplesset quae instruendo viro fuerant necessaria. *nox Aenean somnusque reliquit:* nihil celerius dici vel describi potuit, ut Aenean expergefactum et noctem con-
15 sumptam esse monstraret tantumque Aenean dormisse quantum dei commonitioni fuffecit. potuit enim fieri ut ante lucem media nocte vigilasset. reddidit poeta totius noctis rationem: in prima parte vigilavit Aeneas occupatus curis ingentibus, dehinc transacto non parvo spatio noctis
20 eiusdem dormiit necessitate naturali conpulsus. quod ipsum videtur non sine numine procuratum, ut divinis adfatibus instrui posset et iam securior reddi. fas enim non fuit ut cum vigilante deus loqueretur. dum igitur tantis rebus instruitur, totum noctis tempus effluxit nec
25 transacta est hora qua Iunoni iussus fuerat vota persolvere. *surgit et aetherii spectans orientia solis lumina rite cavis undam de flumine palmis sustinet ac talis effundit ad aethera* 70 *voces:* quoniam consumpta fuerat nox, surrexit et spectans ortum ipsum solis, hoc est intuens, recentem undam de
30 flumine ipsius fautoris sui, manibus sustulit et talis voces

---

1 *ceruleos* V. 2 *adrogante* V corr. ed. | *necessariae* V *-rio* ed. 6 *viderat* V *audiverat* ed. | *suserat* V *senserat* ed. cf. 7, 505. 9 *vero* V *fero* ed. | *celsas* ed. 12 *ad instruendum virum* ed. 16 *sufficit* V *sufficere potuit* ed. 22 *affectibus* V ed. *adfatibus* nos cf. 35. | *tam* V *iam* nos om. ed. 24 *instruit* ed. | *tutum* V. 25 *iunone* V. 26 *surgit aetheriis* V. 27 *de* om. ed. | *sustinet — effundit* V *sustulit — effudit* ed. (ex interpretatione). 29 *de flumine* om. ed.

effudit, claras scilicet et latas. *nymphae, Laurentes nymphae, genus amnibus unde est:* hic versus diversas potest pronuntiationes admittere. dicimus ergo unam sic: nymphae Laurentes, quoniam ipsarum causa praedicabatur et ipsae in tempore fuerant necessariae, secundo addendum 5 nymphae, genus amnibus unde est, ut nymphae Italiae universis amnibus genus dedisse videantur; item alia sic: nymphae Laurentes nymphae, ut duplicatio nominis significans potestatem cumulaverit honorificentiam deprecantis, dehinc dicendum genus amnibus unde est; tertia sic: 10 nymphae, et subsistendum, ut incipiens generalitatem videatur ingressus, dehinc correcta ea ad speciem redeat dicens Laurentes nymphae, quoniam ipsae ceteris fuerant praeponendae, quas rogabat et quarum in praesenti beneficium senserat. ergo cum omnes habeant rationem suam, aut 15 iudicio legentis eligenda est melior aut sequendae sunt omnes. *tuque, o Thybri, tuo, genitor, cum flumine sancto, accipite Aenean:* genitorem Thybrim aut honorifice dixit aut suum, quoniam ad similitudinem paterni amoris consulta eius acceperat. interea videamus cur primo nym- 20 phas induxerit et secundo loco nominaverit Thybrim quem primo debuit venerari. nunc sciendum est partem secutum laudativae materiae in qua retinendum est ut parentes eius praeferantur qui forte laudandus est. cum igitur ipse ista dixisset, nymphae, genus amnibus unde est, non fuit eius 25 iniuria qui secundo loco est positus; ipsius enim etiam illud fuit quod primo laudatum est. colligitur desiderium rogantis sic: vos, nymphae, et tu, Thybris, tuo me alveo suscipite. tuo quod dixit ad Thybrim pertinet, quia ipsius fuerat flumen, accipite autem ad omnis quos rogabat. 30 *et tandem arcete periclis:* et aliquando, inquit, liceat sine periculo navigare et ab omni discrimine esse discretum.

---

1 *et latas* V *Aeneas* ed. 8 *ut* om. HO ed. 9 *cumulavit* ed. 13 *quó* V *quomodo* HO ed. *quoniam* nos. 18 *accepit* pro *accipite* V. 19 *amoris* V *moris* ed. 28 *rogantis* V *laudantis* ed. | *Tybri* ed. 31 *licet* ed.

quo te cumque lacu miserantem incommoda nostra fonte 75
tenes, quocumque solo pulcherrimus exis: quo te cumque
bis accipiendum est, ut sit quo te cumque lacu tenes et
quocumque fonte contineris; sed horum alterum ad eius
5 originem pertinet, alterum ad exitum. *semper honore meo,*
semper celebrabere donis: sive, inquit, ad originem tuam
venero, sive te in aliis locis constitutus exeuntem repper-
ero vel conditum lacu, celebrabo te donis semper et semper
honorabo muneribus. semper duplicatum plenam praesti-
10 torum memoriam monstrat. fons et lacus non sunt eadem:
fons est ubi est aquae initium, lacus ubi fontis aqua
colligitur. hoc ergo numini spondet: ubicumque te, inquit,
invenero, sive nascentem ex fonte sive in stagno collectum
sive fluentem per liberos exitus, venerabor te pro meritis
15 tuis et semper offeram vota. semper etiam illud videtur
significare, iugiter inferendis muneribus futurum obnoxium;
solent quippe liberari nexu qui semel promittunt et semel
vota persolvunt. *corniger Hesperidum fluvius regnator*
aquarum: corniger ideo, quia nonnumquam flumina scissa
20 in partis tamquam in cornua dividuntur. Hesperidum flu-
vius, dignus qui per Italiam fluas. regnator aquarum, non
suarum tantummodo, sed omnium fluminum. hoc dicendo
voluit hunc studio laudantis universis amnibus esse potiorem.
adsis o tantum: adsis nisibus meis, hoc est actus meos
25 non deseras peto. *et placidus tua munia firmes:* placidus
mente, placidus flumine, propter inminentem navigationem.
sic memorat geminasque legit de classe biremis remigioque 80
aptat, socios simul instruit armis: magna brevitas et
pulchra in brevitate descriptio. navis elegit duas, has in-
30 struit remis et aptas cursibus praestat et armat socios
quos fuerat portaturus. ideo elegit biremis, quoniam contra

---

1 *lacu* in lemmate *lacus* in interpr. V *lacus* utrobique ed., sed interpretationem *lacu* poscere patet. 7 *constitutum* ed. 21 *fluat* ed. 24 *tantum* V *tandem* ed. | *nisibus* V *visibus* ed. *usibus* ed. post. 25 *et placide* Don. legisse temere susp. Hoppius. | *munia* V *numina* ed. et Verg. libri. 31 *quó* VO *quomodo* H ed.: hunc errorem in posterioribus libris persaepe

vim currentis fluminis maior conatus fuerat necessarius, ut resistens in adversum contrarius fluminis cursus posset superari. socios instruit armis, aut armis navium hoc est velis aut armis hominum, quia suspecto tempore inermes non debuerant ire, sed melius est sentire arma hominum, 5 quoniam supra dixit remigioque aptat; in consequentibus autem probatum est quid sit socios simul instruit armis. quippe ex navi responsum est Pallanti (117) „Troiugenas ac tela vides inimica Latinis". socios idcirco armis instruxit, non ut faceret, sed ut depelleret violentiam. 10

Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum: subitum, inquit, et mirabile; repente quippe occurrerat res nova et antea non visa nec postea: quod ergo subitum fuit commovit intuentem, quod subiectum est oculis fecit admirationem animi. monstrum dicitur quod exoritur 15 contra rationem naturae; idcirco existit, ut futurum aliquid monstret. subiungit quale monstrum, ut mirabile ostendat. *candida per silvam cum fetu concolor albo procubuit viridique in litore conspicitur sus:* factum est quod futurum praedixerat Thybris: facienda erant reliqua, quoniam somnii 20 veritas iam fuerat in aliquibus conprobata. *quam pius* 85 *Aeneas tibi enim, tibi, maxima Iuno, mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram:* pius, inquit, Aeneas mactat: cum mactandi officium crudelitatem potius quam pietatem significet, non ita pium dixit quasi misericordem, sed pro 25 loco supplicem numini et religiosum sacrificantem; nam et in primo libro pium dixit, ut deorum cultorem adsereret et illum miraretur deos omnis adversos habuisse et ipsam Iunonem. denique sic posuit (1, 8): „Musa, mihi," inquit, „causas memora, quo numine laeso quidve dolens regina 30 deum tot volvere casus insignem pietate virum, tot adire labores inpulerit." quam pius Aeneas mactat: putamus eum tacuisse de fetibus, quia dixit quam mactat et non dixit quos mactat. potest constare de omnibus dictum,

---

admiserunt HOU ed. 9 *ac tela* V *et t.* ed. 17 *mirabilem* V corr. ed. 18 *cumcolor* V. 32 *inpuleret* V.

si verborum conponatur ordinatio, eorum scilicet quae metrorum causa permixta sunt. sic potest et aliud vitium corrigi, si fiat ordinatio; prius quippe dixit mactat et sistit postea, cum primum sit sistere, secundum mactare. ordinamus ergo sic: quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Iuno, ad aras cum grege sistit et sacra ferens cum grege mactat; cum grege enim bis debemus accipere. *Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem leniit:* Thybris omnem noctem, in quantum fuerat longa, fluvium leniit, hoc est aquam verticosam fluminis sui. supra enim in septimo libro (31) ait „verticibus rapidis et multa flavus harena in mare prorumpit." qui ne talis esset Aenea navigaturo, placidum fecerat qui faciendi habuit potestatem. noctem prolixam posuit, hiemalem scilicet: probatur hoc ex eo, quia Aenean dixit sub gelidi aetheris axe procubuisse, hoc est in loco pruinoso ex hiemis causa. *et tacita refluens ita substitit unda mitis:* sic mitis fuerat factus unda refluente hoc est repressa et retenta, *ut in morem stagni placidaeque paludis sterneret aequor aquis, [remo ut luctamen abesset]:* tanta illius fluminis placiditas fuit, ut nec sonum aliquem mitteret cadentis undae et remotis tumoribus praeberet faciem stagni, in tantum ut remis luctamen non superasset. *ergo iter inceptum celerant rumore secundo:* iter dixit ipsius fluminis tractum, non quod naves tamquam in terra ambularent. rumore secundo: prospero aquarum murmure. rumore secundo potest etiam sic intellegi, ut ideo Troiani peragendo spatio fluminis operam darent, quod animati fuerant opinionibus prosperis et ad optimam spem properabant. *labitur uncta vadis abies:* naves ad usum maris effectae labebantur in vadis hoc est in flumine quod ad vicem vadorum straverat

---

2 *si potest aliud* V *et sic p. a.* ed. *sic p. et a.* nos. 6 *gregis stit* V corr. ed. 10 *verticosam* V *verticibus abundantem* ed. 12 *Aeneae* ed. 14 *divitem prolixam* V *noctem pr.* nos *divitem noctem pr.* ed. 20 *remo — abesset* deest in V, sed explicatur. 22 *in tantum* — 23 *superasset* om. *ac tranquillae paludis* substituit ed. 24 *iter* — 26 *secundo* om. ed. 31 *undis* V ed.

Thybris. *mirantur et undae, miratur nemus insuetum:* vertenda ordinatio est; nemo enim dicit „et“ nisi qui prius aliquid dixerit: ut sit mirantur undae et nemus insuetum. dicuntur ipsa miracula: *fulgentia longe scuta virum fluvio pictasque innare carinas.* undae et nemus mirabantur scuta 5 et navis natare per fluvium. pulcherrimum poeta ex occasione tenuit locum, propter Aenean factum ut contra totius antiquitatis fidem loca illa et navis viderent et armatos in navibus. *olli remigio noctemque diemque fatigant* 95 *et longos superant flexus variisque teguntur arboribus* 10 *viridisque secant placido aequore silvas:* ostendit quanto spatio temporis pervenisse viderentur. nocte una, inquit, et die remis fuerunt intenti et transierunt longos fluminis flexus. ideo curvaturas et inflexiones tetigit, quia flumina omnia recta esse non possunt. per omnem autem illius 15 navigationis cursum et placiditate undarum usi sunt et opacitate nemorum. *sol medium caeli conscenderat igneus orbem, cum muros arcemque procul ac rara domorum tecta vident:* dixit omne tempus quo navigationis peractus est cursus, nunc horam dicit qua ad locum ventum est, medium, 20 inquit, caelum sol tenuerat, ipsa est sexta hora, et, cum iam non tegerentur nimia umbra arborum, apparebant his muri civitatis, arx quoque et rara domorum tecta. illo tempore ait rara quo Aeneas accesserat, *quae nunc,* hoc est cum Vergilius haec scribebat, *Romana potentia caelo* 25 100 *aequavit, tunc res inopes Euandrus habebat.* et hoc Aeneae virtutibus adplicatur; felicitati enim Romanae ipse initium dedit, ut ex humili et parva fieret maior et perveniret culmen eius ad caelum. *ocius advertunt proras urbique propinquant.* ocius ideo, quia ad desideratum per- 30 venerant locum.

---

vadis nos. | *struerat* V corr. ed. 1 *Thybris* cum lemmate coniungens sic scripsit V: *th. miratur et undae mirantur n. i.* 2 *et* om. ed. 5 *unde* V *unda* ed. | *mirabatur* ed. 8 *viderent* V *veherent* ed. 9 *navi* ed. 16 *ex placiditate* ed. | *ubi* V *usi* nos *tuti* ed. 23 *arci* V *arx* ed. 26 *inopis* V. | *Euander* ed. 29 *avertunt* ed.

Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem Amphitryoniadae magno divisque ferebat ante urbem in luco; Pallas huic filius una, una omnes iuvenum primi pauper- 105
que senatus tura dabant: non est vitium quia dixit pauper-
5 que senatus dona dabant; non enim senatui respondit pluraliter, sed omnibus qui illic tunc erant, ut res divinas conplerent. *tepidusque cruor fumabat ad aras:* eo tempore quo Aeneas venit ad auxilia poscenda laeta omnia atque ad divinas res pertinentia gerebantur in Herculis
10 luco, qui extra urbem fuerat constitutus. nam haec eadem die soliti fuerant Arcades anniversaria vota persolvere. Amphitryoniadae dixit, ut constaret de quo Hercule loqueretur, quoniam feruntur fuisse et alii. nec tamen illi soli, sed et ceteris diis obsequebantur, ipsi tamen specialiter,
15 quoniam ipsius debita sollemnitas fuit. ecce laeti homines, sacer locus agendis religiosis, lucus arborum nemorositate gratissimus, conventus etiam novorum hominum et religiosorum pacatissimus. pauperem senatum debemus accipere et numero et opibus, quoniam et ipsum regem pauperem
20 dixit; volunt autem quidam numero tantum pauperem senatum dixisse Vergilium, quasi fieri posset ut regi pauperi divites obsequerentur. hi igitur adunati illo die fuerunt: aderat et Pallas filius regis, ut deo, cuius beneficia senserant, vota persolverent omnes et darent tura; quae cum
25 fierent, fumabat iuxta aras tepidus cruor, tepidus ideo, quia vicinae fuerant arae ardentes aut quia in continenti fuerat effusus. interea quanta dicta sunt in narratione brevissima! nam dicendo sollemnem diem et tempus designavit quod observari consueverat et causam quae
30 sollemnitatem ipsam fecerat. rex Arcas: et personam regis designavit et gentis nomen qua esset exortus. honorem Amphitryoniadae magno: et dei nomen cum omni honori-

---

5 *dona* V ed.: noli suspicari Donatum sic legisse, nam infra *darent tura* scripsit, ergo variandi causa hoc posuit cf. praef. | *senatus* V ed. -*tui* nos. 10 *loco* V corr. ed. 12 *constaret* V *intellegeretur* ed. 13 *quoniam feruntur* V *f. enim* ed. 16 *agelis* V *agendis* nos om. ed. | *religiosi* V -*sis* nos -*sus* ed.

ficentia tetigit et dicendo honorem ostendit meritum praecessisse eius cui honor anniversarius debebatur. divis quoque exhibebatur hic ipse honos, quia specialis sollemnitas replicata propter Herculem occasionem praebuerat religiosis, ut deos quoque alios iungerent. ante urbem in luco: designatus est evidenter locus et qualitas eius expressa, proximitas quoque, quod non longe esset separatus a moenibus civitatis. una autem fuerat Pallas, quia a tantis votis secerni non debuit filius regis. in hac autem descriptione ut in omnibus non vacat quicquid constare dictum nec superfluum est quod ibi fuisse etiam Pallantem dixit; hunc enim dicturus est occurrisse Troianis. una fuerunt iuvenum primi propter obsequium regis et numinis. interfuit et pauper senatus, tunc pauper cum per Euandrum regebatur. dicitur iam quid illic negotii gererent. aris, inquit, inponebant tura: sacrificia facta non dixit, sed ostendit praecessisse haec, cum effusum cruorem adsereret tepidum et fumantem. *ut celsas videre rates atque inter opacum adlabi nemus et tacitos incumbere remis, terrentur visu subito:* quem non terreret talis aspectus, venire subito, venire navibus per insueta et contra nautarum morem tacitos remis incumbere? *cunctique relictis consurgunt mensis:* omnes enim unum cunctis ingruere periculum arbitrabantur perindeque universos idemque simul excitaverat terror. *audax quos rumpere Pallas sacra vetat [raptoque volat telo obvius ipse]:* audax dictus non temerarius, sed propria virtute confidens perindeque intrepidus. Pallas, inquit, ne perturbatio illa piaculum sacris aut offensam inferret, non interrupto quod esse continuum debuit evolavit prohibitis ceteris, nec tamen inermis, sed rapto telo: festinantem in tanto metu rapuisse dixit gladium, non tulisse. *et procul e tumulo:* ecce alia cautela; nam et

6 *lucus* ed. 8 *fuerant* V. | *Euandri natus* post *Pallas* interpol. ed. | *quia ad* V *quia a* nos *nam* ed. 21 *nautarum* V *naturae* ed. 22 *more* V. 23 *unum* V *tum* ed. 25 *error* V ed. | *sacraverat* V. 26 *raptoque — ipse* deest in V, sed explicatur. 29 *quod* V *eo q.* ed. 30 *inermem* ed.

gladio munitus fuit et in tumulo constitit, ut aliquanto ab his remotus esset et illis altior quos habuit in re incerta suspectos. quid enim contra plurimos posset, si contrariam sententiam gererent? quid omnes timuerint
5 qui illis intererant sacris dubium esse non poterit, si supra dicta vel descripta tractentur. dictum est quippe (55) „hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina.“ sperasse igitur intelleguntur observare hostis Italos diem, ut extra urbem in sollemnitate sacrorum constitutos Arcades inva-
10 derent, perindeque se regem ac regis filium, senatum omnem et iuvenum primos uno tempore fuisse perdituros. ergo, ut e tumulo loqueretur, habuit considerationem sui nec totum se venientibus obtulit; fuit enim cur venirent incertum et magis suspectum quam securum. ergo ali-
15 quanto longius positus locutus est haec: *iuvenes, quae causa subegit ignotas temptare vias? quo tenditis? inquit, qui genus? unde domo? pacemne huc fertis an arma?* oratio non superfluis in tanto metu, sed necessariis interrogationibus plena. iuvenes inquit ab aetate trahens posse
20 illos inferre violentiam. quae, inquit, causa subegit? bene posuit subegit; intellexit enim magnam fuisse necessitatem ipsa parte veniendi qua nulli antea transitus extitisset, ad incerta scilicet et incognita. quo tenditis? venerant enim et ad oram fluminis deflexerant ex eo ostendentes se non
25 transituros fuisse, sed descensuros. qui genus? unde domo? honestum et exquisitum locutionis genus; non enim dixit quo estis ex genere vel ex qua civitate exorti; conpendiose enim audito nomine civitatis aut gentis poterat nosse quo animo venirent. et tamen addidit pacemne
30 huc fertis an arma? bellum, inquit, fertis an pacem? *tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta paciferaeque* 115 *manu ramum praetendit olivae:* suffecerat ad indicandam securitatem ramum ostendissae pacificae frondis, quia multa

6 *dicta* V *scripta* ed. 11 *fuissent interempturi* ed. 13 *cur* V *quum* ed. 19 *tradens* V ed. | *post se* V *posse* ed. 22 *ipsa* V *ista* ed. 24 *defluxerant* ed. | *se* om. V. 25 *descessuros* V corr. ed. 27 *dixit* V *ait* ed. 28 *augentis* V corr. ed. 31 *adalta* V.

ille quaesiverat quibus debuit ordine responderi, inter quae intellexit sollicitudinem iuvenis de conspectu armorum. idcirco praemisso signo pacis exorsus est atque ita omnibus breviter respondit, ut securum celerius faceret: *Troiugenas ac tela vides inimica Latinis.* Troia, inquit, geniti sumus ac tela portamus non vobis inimica, sed Latinis. hoc sic accipiendum est, quasi dixisset illis sumus inimici quibus et vos. ac ne intulisse bellum civibus et indigenis videretur, ait *quos illi bello profugos egere superbo:* superbum bellum dixit, quia est et iustum. secundum autem fuit hoc ipsum purgare, ne meruisse viderentur et scelus in se malis actibus provocasse. hoc genere tuitus est personam suam et deformavit inimicorum. quibus, ait, nihil fecimus bello nos superbo egerunt, ut consuetudo illis est omnis homines insontis et bonos superbis inimicitiis petere. hoc libenter audiebat Pallas inimicitiarum praecedentium causa. addidit profugos egerunt bello, ut illos ostenderet duros et iuxta peregrinos inmites et se demonstraret in profugi appellatione nihil in alienis terris audere potuisse. *Euandrum petimus:* ad Euandrum, inquit, venimus. ecce dixit adventus sui causam, quam ille quaesierat. *ferte haec et dicite lectos Dardaniae venisse duces socia arma rogantis:* ferte et dicite pluralis est numerus, cum poeta solum advolasse dixerit Pallantem, nisi quia fieri non potuit in tanto metu solum isse Pallantem filium regis. venisse lectos duces et ad meritum eius pertinet qui fuerat rogandus et ad terrorem, si contrariis votis exciperentur, et ideo lectos, ut non illi crederentur esse qui venerant. Dardaniae venisse duces: extolli debet Dardaniae, quia loco laudis est positum. socia arma rogantes: dixit adventus sui necessitatem. *obstipuit tanto perculsus nomine Pallas,* nec inmerito; quis enim non miretur ad illa loca venisse Troianos percepta omni

6 *genuit summos* V *g. nos* ed. *geniti sumus* nos. 11 *pugnare* V *probare* edF *purgare* nos. 15 *consuetudo illis sed* V. 20 *audire* V corr. ed. 32 *perculsus* V ed. *percussus* Verg. libri meliores.

securitate? *egredere, o quicumque es, ait:* quicumque es ad nomen hominis, non ad originem rettulit gentis. iam enim quod Troianus esset noverat Pallas. *coramque parentem adloquere:* et quod mihi dicis coram refer patri meo.
5 servavit summum iudicium et patri et regi, ne ipse temere aliquid promitteret aut negaret. *ac nostris succede penatibus hospes:* veni, inquit, ad domum nostram iure hospitis. ecce quod in potestate esse eius potuit obtulit, humanitatem hospitii, adserens melius esse ut quae mandanda
10 Aeneas crediderat ferret ipse per se. interea cum dicit tu loquere cum patre meo, regis se filium demonstravit. *excepitque manu,* scilicet descendentem de navi, *dextramque amplexus inhaesit:* haec enim sunt signa et pignora sociatae amicitiae, iungere dexteram, sed benignitatem meritis am-
15 plexuum religione testari. *progressi subeunt luco fluviumque relinquunt:* conversum erit rectius; nam primo relictus est fluvius, secundo ventum ad lucum: ut sit progressi relinquunt fluvium et subeunt luco. 125

Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis: Aenean non
20 fecerat humilem causa nec ex eo quia petebat auxilia inferiorem se praebuit. rex igitur cum rege familiare loquendi exordium sumpsit ea fiducia mentis ac simplicitate pectoris, ut amicum se venisse evidentius conprobaret. *optime Graiugenum, cui me fortuna precari et vitta comptos*
25 *voluit praetendere ramos:* haec oratio satis artificiosa est satisque subtilis. laudat enim eum a quo beneficium fuerat petiturus et benivolum facit dicendo optime Graiugenum, ut omnibus Graecis ipse melior videretur. nam inde optimus, quod esset fortunae melioris ex eo quod
30 Aenean supplicem videret. sed haec obliqua est querella; nam subtiliter incusat inimicum fortunae iudicium, quae Graeco homini addixerat Romanae felicitatis auctorem. simul adserit suum fatum esse deterrimum, quo in eas angustias ductum est, ut ei qui esset ex origine hostium

---

2 *ad nomine* V. 4 *et quod* V *et* om. ed. 12 *excepitque* V *accepitque* ed. 13 *sociatae* — 15 *testari* temere mut. ed. 32 *graeco homini* V *Graecum* ed. 33 *factum* V ed. 34 *duc-*

perindeque persequendus foret precem supplicem funderet. melior es, inquit, omnibus Graecis; plus est enim Aenean rogantem videre quam vicisse magnaeque felicitatis est indigentibus videri necessarium. *non equidem extimui,*
130 *Danaum quod ductor et Arcas quodque a stirpe fores geminis coniunctus Atridis:* non, inquit, timui quod natus es vel quod esses inter tuos potior. *sed mea me virtus et sancta oracula divum cognatique patres, tua terris didita fama coniunxere tibi et fatis egere volentem:* cum multa congereret, primam posuit virtutem suam secundum illam sententiam quam Terentius tenuit dicens (Phorm. 1, 2, 89) „mihi spes omnis in memet sita est"; multum enim praevalet qui non in aliena, sed in sua virtute fiduciam ponit; addidit huic deorum favorem, qui interveniens inventus ausus auxilio fortiore conduplicat. haec fuerunt quae contra fortem virum et deorum favore munitum nihil adversi sinerent concitari. addidit tertium, quo obtinere debuit, etiamsi illa non essent, virtus scilicet et deorum responsa, ante oculos, inquit, habui tutum fore adventum meum, qui, incognitus licet, tendebam ad adfinem. hoc genere ostendit se non timuisse quod esset Graecorum stirpe progenitus rex Arcas, sed magis habuisse fiduciam, quod Troianis quoque ratione sanguinis videretur adnexus. in conclusione posuit tua terris didita fama; cessantibus quippe omnibus quae supra dicta sunt maiorem se adserit ipsius habuisse fiduciam, quod religiosum vel bonum noverant omnes et cuncti per omnis terrarum partis nomen eius et benivolentiam praeferebant. coniunxere tibi et fatis egere: coniungere ad privata pertinet, hoc est ad

---

tum V *ductus* ed. nescio an recte. 1 *praecem supplicem* V *preces supplex* ed. 6 *quod natus es* V cf. 7, 805 *Graecus* add. edF. 7 *vel quod* V *vel* ed. | lemma *sed* — 9 *volentem* post *conduplicat* transpos. ed. *voluntatem* pro *volentem* V. 12 apud Terentium sic: „in me omnis spes mihi est." 13 *valet* ed. 15 *inventus ausos* V locum temere mut. ed. 18 *virtutem* V edI *virtus* edF, quod sententia postulat. 20 *ad adfinem* V *ad finem* ed. 22 *sed* V *se* ed. 27 *omnis* om. ed. 29 *coniungere* — 135, 3 *egere* om. addito *volentem* ed.

virtutem ipsius propriam, ad cognationem patrum et ad benivolentiam optimae opinionis et famae; quod autem ait et fatis egere, significat iussionis auctoritatem, cui nec ipse reniti potuit nec debuit Euander reluctari. postremo 5 adiecit voluntatem, ne id quod agebat invitus videretur suscepisse, quasi optasset etiam ipse nosse adfinem, quem summo laudis praeconio omnes populi praeferebant. tua, inquit, terris dedita fama: non famae respondit plurali numero, sed omnibus quae posuit, antequam de fama ali- 10 quid diceret. inducit post haec expositionem et narrationem talem qua Euandri se monstret adfinem, quoniam supra dixit cognatique patres. hanc igitur rationem sanguinis stemmate conlocato prosequitur sic: *Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor, Electra, ut Grai per-* 135 15 *hibent, Atlantide cretus:* necessarie posuit ut Grai perhibent, ut testimonium Graecorum esset in confirmatione veritatis et Euander homo Graecus suis potius quam Troianis testibus crederet. *advehitur Teucros:* continuus sensus est sic: Dardanus, inquit, natus ex Electra Atlantis filia, 20 ad Teucros venit et ipsum primum novimus patrem. ecce ostendit unam originis partem, venit ad alteram: *vobis Mercurius pater est, quem candida Maia Cyllenio gelido conceptum vertice fudit. at Maiam, auditis si quicquam* 140 *credimus, Atlans, idem Atlans generat caeli qui sidera* 25 *tollit:* vos, ait, patrem Mercurium numeratis, filium eiusdem Maiae, quam idem Atlans genuit. bene addidit Atlans, idem Atlans et caeli qui sidera tollit, ne similitudo nominis falso usurpari videretur, vel maxime cum adderetur et signum, quod idem esset Atlans qui Troianis originem 30 per Electram et Dardanum dederat, caeli qui sidera portaret, idem vero qui genuisset Maiam et ex ea Mercurium nepotem suscepisset. *sic genus amborum,* hoc est Dardani et Mercurii, *scindit se sanguine ab uno,* Atlantis scilicet

9 *aliquod* V corr. ed. 13 *collato* ed. 22 *cyllenio* V *Cyllenes* ed. *Cyllenae in*? 23 *in vertice* ed. 24 *siderattollit* (et infra) V. 25 *vos* — 27 *tollit* om. ed. 33 *sese sanguine* V.

qui utrisque partibus originem dederat secundum praedictam rationem. constituamus tamen inlustriorem: Electra genuit Dardanum et Maia Mercurium, Dardanus dedit Troianis originem et Mercurius Arcadibus, perinde unus avus est ambobus, Dardano scilicet et Mercurio fratribus consobrinis. probavit cognationis textum, rediit ad ea quae paulo ante dimiserat, cum rationem sanguinis redderet: *his fretus non legatos neque prima per artem temptamenta tui pepigi.* in his, inquit, fretus, illis scilicet quae superius dixit, hoc est virtute sua, deorum responsis, cognationis spe et fama optima ipsius regis, non legatos neque prima per artem temptamenta tui pepigi: neque, ut in talibus causis fieri solet, legatos misi nec sententiam tuam aliqua artis calliditate temptavi. *me, me ipse:* duplicatio eiusdem pronominis addidit dictioni pondus. *meumque obieci caput et supplex ad limina veni:* plus, ait, feci, ut ad fores tuas ipse rogaturus accederem. exponit iam deprecationis ipsius causas in uno ostendens quid et contra quos peteret, quod ipsum non tantum sibi profuturum ostendit verum etiam ipsi qui rogabatur ut daret. *gens eadem quae te crudeli Daunia bello insequitur:* quid tam pulchrum tantumque egregium et imperatori ipsi necessarium quam in deformatione personae hostium ipsius partis primas ponere qui daturus videretur auxilium, ut in ipsa donatione et dare Troianis beneficium et sumere videretur! illud quoque quam mire est positum crudeli bello, ut eum validius commoveret quod indignus unius gentis violentiam sustineret, quem omnium consensus merito praeferebat! hic quoque grande loquendi conpendium tenuit Euandri partis suasque coniungendo; nam semel dicta

1 *utriusque* ed. 2 *inlustriorem* V *intellectum* add. ed. 4 *originem* V *principium* ed. 5 *dardanus — mercurio* V *-nus -rius* ed. | *fratribus consobrinis* om. ed. 6 *contextum* ed. 9 *in his* V *his* ed. | *illis scilicet* V *hoc est illis* ed. 10 *cognationis* om. ed. 11 *neque* — 13 *legatos* om. ed. 14 *caliditatem tacui* V *calliditate elicui* edF *calliditate temptavi* nos. | *memet* V ed. corr. ed. post. 17 *iam* om. HO ed. 18 *in uso* V *in his* H ed. *in iis* O *in uno* nos. 22 *tamque* HO ed. 25 *donatione* V *oblatione* ed.

utrumque conplexa sunt. gens, inquit, eadem: dicendo unam gentem extenuavit metum qui poterat forsitan exoriri. addidit Daunia quasi abiecta, humilis et omni ignobilitate depressa. quae te: te quod posuit, te, qui sis magnus et
5 ab omni merito memorabilis, crudeli bello insequitur, duo mala coniunxit, bellum scilicet iniustum et inprobitatem hostium, quibus non suffecerat iniquitas facti, verum etiam quod persequebantur insontis. crudele bellum est quod non iusta subsistente ratione indicitur; denique et iustum
10 aliquando dicitur et iniustum perinde. adserit nec sibi nec Euandro eam gentem adversam esse debuisse, si aequitatem gens eadem natura tradente sumpsisset. *nos si pellat, nihil afore credit, quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittat et mare quod supra teneat quodque*
15 *adluit infra:* idcirco de nostra expulsione cogitat hoc est mea et tua, ut viam sibi in aliam reseret partem quae mare inferum superumque conplectitur. debuit Euander his auditis praecavere ne cum aliis etiam ipse serviret. *accipe daque fidem:* sume, inquit, auxilium et da, quoniam 150
20 contra quem auxilium peto communis est hostis. posset dici inpares sunt vires tuae et non tantum mihi poteris prodesse quantum ego tibi. occurrit prior et ait *sunt nobis fortia bello pectora, sunt animi:* labori enim bellico et animi virtus et corporis substantia necessaria est: ut,
25 inquit, vos fortes estis, ita et nos. probatio fortitudinis Troianorum robustius fuerat demonstranda, hanc protulit dicendo *et rebus spectata iuventus:* insigne est virtutis, inquit, quod factorum et rerum probavit effectus.

---

1 *conplexa sunt* V *continent* ed. 4 *significat* post *posuit* interpol. ed. | *sis* V *sic* ed. 5 *ab omnis* V corr. ed. 8 *quod* post *etiam* om. ed. | *crude* V. 9 *non iusta* V *iniusta* ed. 13 *pellat — credit* — 14 *mittat — teneat* V plurales posuit ed., sed Donatum sic legisse *cogitat* in interpretatione confirmat. | *adfore* V. 15 *demonstra expulsione cogitat* V *demonstrat expulsionem cogitatam* ed. | *hoc* — 16 *tua* om. ed. 19 *deque* V. | *quo* V lineolam superpos. man. II *quando* ed. 22 *priora* V *prior* ed. fortasse *prior Aeneas*? | *sunt et* repugnante metro V. 26 *protulit* V *inpulit* ed. 27 *expectata* V. 28 *et rerum* om. ed.

Dixerat Aeneas: ille os oculosque loquentis iamdudum et totum lustrabat lumine corpus: Aeneas cum loqueretur, intuebatur Euander nescium et vocem eius ac singula corporis membra considerabat. *tunc sic pauca refert;* pauca enim dici convenerat, ne fabulae longiores sollemnitati 5 solitae essent inpedimento. pauca debemus accipere, hoc est pauciora, quam dici potuerunt. *ut te, fortissime Teu-*
155 *crum, accipio agnoscoque libens, ut verba parentis et vocem Anchisae magni vultumque recordor:* magna mens recordantis: cum nesciret hominem, hoc est nomen eius aut patrem, 10 dicit se de vultu ac voce collegisse quod ex Anchisa genitus esset: ait ergo cum te audio loquentem et vultum tuum libenter intueor cupiens agnitionem tuam plene colligere, redeunte memoria puto me cum Anchisa loqui et ipsum etiam nunc esse praesentem. subiungit gesta veteris 15 facti ex eo ostensurus cariorem futurum susceptae societatis adfectum, cum patris eius veterem notitiam replicat et benivolentiam munerum eius repetit. poterat enim Aeneas quaerere quo casu emergente factum esset ut habuisset ille Anchisae notitiam. idcirco ait *nam memini* 20 *Hesionae visentem regna sororis Laomedontiaden Priamum Salamina petentem protinus Arcadiae gelidos invisere finis,*
160 *tum mihi prima genas vestibat flore iuventas:* ecce felix memoria recordantis; nam et personas tetigit et tempus et causam et personarum nomina et locorum; et revera 25 miraculum fuit ut loquens senior et adolescentiae suae tempus adsignans ista omnia sic tenaciter dixerit, quasi proxime gesta viderentur. *mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum Laomedontiaden, sed cunctis altior ibat Anchises:* laudaturus et praelaturus Anchisen praefert 30 omnis et dicit Anchisen fuisse meliorem, nec esset occasio praeponendi, nisi incidisset prima conparatio, sine qua

---

1 *osculosque* om. *os* V. 3 *nescium* V *prius incognitum* ed. 11 *quod ex anchisae* V cf. infra. 13 *agnitionem tuam plene collegere* V temere mut. ed. 14 *poto me cum anchisa* V *mecum anchisem* HO ed. 18 *munerum* om. ed. 21 *Hesiones* ed. 23 *iuventus* ed. 27 *temporis* ed. 31 *meliorem* V *praestantiorem* ed.

laus esse praecipua non potest; proclive quippe est bonum esse, meliorem vero arduum. altiorem dixit corporis forma, quoniam sic posuit: sed cunctis altior ibat Anchises, hoc est incedebat. *mihi mens iuvenali ardebat amore conpellare*
5 *virum et dextrae coniungere dextram. [accessi et cupidus* 165
Phenei sub moenia duxi]: quamvis, inquit, adolescentis aetas provectiori non congrueret, tamen, quoniam est ardor quidam iuvenibus noscendi potiores, ad eum accessi et eius amicitiae cupidus eum duxi sub moenia Phenei. iunxi
10 dexteram meam dexterae eius amicitiamque firmavi. at *ille [mihi],* humanitati meae officiisque respondens, *insignem pharetram Lyciasque sagittas discedens chlamydemque auro dedit intertextam frenaque bina, meus quae nunc habet aurea Pallas:* dedit mihi, inquit, pharetram, sagittas
15 et frena aurea, et chlamydem auro intertextam. quomodo ornavit ipsa munera, ne levia viderentur! pharetram dixit insignem, sunt enim pharetrae nullius meriti; sagittas dixit Lycias, ut illis regio sua tribueret ornamentum; chlamydem auro splendentem; frena, inquit, bina aurea,
20 ut numero haec laudaret et qualitate materiae. ecce addit praedicationis supplementum: horum, ait, tanta apud me propter dantis meritum fuit gratia, ut, cum his ego per senium uti non possem, traderem filio meo et in hodiernum incolumia maneant, eodem quodammodo perseverante
25 dominio, cum patris et filii una persona sit. laudari munera meruerunt propter has causas: debuit enim Aeneas probare libenter acceptam largitatem patris sui, debuit et Anchises ostendi bonus largitor in speciebus pretiosis et Euander non leve quiddam accipere meruisse. *ergo et quam petitis*
30 *iuncta est mihi foedere dextra et, lux cum primum terris* 170

---

4 *iuvenili* ed. 5 *accessi* — 6 *duxi* deest in V, sed explicatur. 7 *provectione* V corr. ed. 9 *paeni* pro *Phenei* V. 11 *ille* V *i. mihi* nos om. ed. | *que* om. ed. | *ille mihi* lemmati praefixit ed. 13 *intextam* (et infra) V. 16 *ne* V *ut ne* ed. 18 *ornamenta* ed. 21 *tanta* om. ed. 22 *ego* om. ed. 23 *hodiernum* V *h. usque diem* ed. 24 *incolumia maneant* V *perdurant* ed. 25 *sit* om. ed.

se crastina reddet, auxilio laetos dimittam opibusque iuvabo: ergo, inquit, propter praecedentem et praesentis temporis causam profiteor me societatem foederis habere vobiscum et crastina incipiente luce vos instructos opibus cum auxiliis dimissurum. respondit postulatis et promissa non 5
distulit in prolixum tempus pollicens proxima luce se facturum quod petitum fuerat, addens quod Aeneas non petit. ipse enim Euander more boni promissoris maius debuit efficere quod fuerat praestaturus: hinc et auxilia promisit et victui necessaria nec moram lucis alterius fecisset, nisi 10
interesset sacra sollemnitas et eiusdem dici pars lucis sole currente transacta. *interea sacra haec, quando huc venistis amici, annua, quae differre nefas, celebrate faventes nobiscum et iam nunc sociorum adsuescite mensis:* reddidit causas dilati in alteram diem promissi, sacra, inquit, quae cele- 15
brari conspicitis, nefas est differri vel aliqua ratione perrumpi; sunt enim annua, hoc est quae per singulos annos noventur et hunc habeant diem quo numini reddantur. haec, quoniam amici venistis, celebremus pariter; erit enim quaedam novae amicitiae consecratio. mensarum auspicia 20
sub testificatione dei praesentis exordium sumant et ipsae nos primitus iungant quae tanto dicatae sunt numini. novamus inquit: novare est replicatione annua novam ex veteri facere eam rem quae per omissionem frequentioris cultus posset abscondi. 25

175 *Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi pocula gramineoque viros locat ipse sedili:* iubet et reponi non semel accipienda sunt: iubet dapes reponi, iubet reponi pocula sublata. sublata aut metus causa, quoniam subito

---

1 *reddit* V. 4 *operibus* V corr. ed. 5 *aux* V *auxiliis* ed. | *demissurum* V *dimittam* ed. | *postulatis* V *quaesitis* ed. 6 *se* om. ed. 8 *debebat* ed. 9 *praestiturus* ed. | *hinc et* V *et* om. ed. 11 *sol* V corr. ed. 12 *transacta* V *tr. esset* ed. 14 *causam* ed. 15 *dilationis* ed. | *promissi* om. ed. 16 *praerumpi* ed. 18 *novantur* ed. | *habent* ed. 19 *caelebramus* V corr. ed. 21 *dei* V *diei* ed. 23 *novamus* V ed. post. (praecepit hoc Don. ex v. 189 cf. 4, 357) *novemus* ed. 24 *promissionem* V *promissione* ed. *per omissionem* propter v. 189 nos.

venerant Troiani, aut sublata satietate interveniente. deinde ipse officio boni hospitis functus conlocavit omnis in sedili gramineo. ecce non fieri praecepit ut longaevus et rex, sed ipse per se humanitatis plenissima iura conplevit. sedili, 5 inquit, gramineo, quoniam in nemore convivium fuit et ratio ritus ipsius sedendi quam accumbendi consuetudinem fecerat. testatur hoc ipsum etiam alio loco Vergilius, denique in septimo libro (174) hanc tetigit partem, cum diceret „hoc illis curia templum, hae sacris sedes epulis, 10 hic ariete caeso perpetuis soliti patres considere mensis". ecce illis nobilibus quoque non licebat accumbere. propter hospites igitur iussit reponi epulas et pocula, ipse vero conlocavit omnis Troianos sedilibus structis ex gramine. *praecipuumque toro et villosi pelle leonis accipit Aenean* 15 *solioque invitat acerno:* ut sedendi merito discerneretur Aeneas qui ceteris fuerat potior, et sublimem locum ei dedit et cultiorem atque ornatum leonis tergo, quod conveniebat Herculis sacris, egregiam quoque sellam et materia pretiosa perfectam, quae eius dignitati congrueret. prae- 20 cipuum dixit singularem et solum. *tum lecti iuvenes certatim araeque sacerdos viscera tosta ferunt taurorum one-* 180 *rantque canistris dona laboratae Cereris Bacchumque ministrant:* fuit quidem ciborum copiosa substantia, sed bubula caro, panis et vinum. haec portabant iuvenes, 25 qui plurimum plurimis adponerent. aderat etiam sacerdos ipse propter epulas sacras, ipse quoque aliquantum cum iuvenibus gestans. nulla interea ut apud regem ambitio: sedebatur nullo vestium adhibito cultu, caro portabatur manibus, copiosa, sed bubula, assa id est non aliquibus 30 inpensis excocta, panis non argento vehebatur, sed canistris, vinum similiter ministrabatur ministris nullo cultu adornatis. haec non simpliciter accipienda sunt (nam, sicut

---

2 *iunctus* V corr. ed. 5 *quó* V *quomodo* ed. 6 *quam* V *potius q.* ed. 8 *in* om. ed. 14 *accepit* V. 17 *atque* om. ed. | *ergo* V *tergo* nos *ergo pellem* ed. 27 *gestans* V *gestiens* ed. | *ambitio* V *ambitione* ed. 28 *nullus* V corr. ed.

infra monstratum est, ritui sacrorum inputanda noscantur, ubi aliud atque alio modo exhiberi non licuit) nec paupertati Euandri adplicanda res quae inter praecipua fuit. *vescitur Aeneas simul et Troiana iuventus perpetui tergo bovis et lustralibus extis:* etiamsi Aeneae vel Teucris epulae 5 illae displicebant, edebant tamen adposita, vel quia aliud non fuit vel quia sacris intererant quae omnia praeter bubulam recusabant; ut autem fuit integrum latus tauri, sic cum extis adpositum. vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus perpetui tergo bovis et lustralibus extis: cum hoc 10 pronuntiamus, Aeneae nomen et Troianorum debemus extollere, quibus indigne adposita est bubula assa nec saltem aliquo iure condita, et revera iniuria fuit, si tollamus e medio sacrorum morem qui alia respuebat.

Postquam exempta fames et amor conpressus edendi, 15
185 *rex Euandrus ait:* caro illa si edendi delicias non habuit, habuit tamen famis excludendae substantiam. postquam igitur hoc factum est et edendi fastidium de satietate successit, rex illis sic coepit loqui. moraliter positum postquam exempta fames; nullus enim in convivio libenter 20 fabulas conserit aut audit alienas, nisi venter fuerit plenus. longam quippe narraturus fuerat Euander fabulam et ipsam non superfluam, sed natam ex eo quod ipso tempore gerebatur: debuit habere auditores animis liberis et nulla ex causa suspensis, quod procuratum est auxiliorum 25 promisso et inedia exclusa. *non haec sollemnia nobis, has ex more dapes, hanc tanti numinis aram vana superstitio veterumve ignara deorum inposuit, saevis, hospes Troiane, periclis servati facimus meritosque novamus honores:* dum vult originem praesentium referre sacrorum, simul et 30

---

1 *ritus agrorum* V. | *nuscantur* V *inputanda* — 2 *licuit* temere mut. ed. 3 *ex qua inter praecipuo fuit* V *e. q. i. praecipuos f.* ed. *res quae inter praecipua f.* nos. 4 *perpetuo* Don. legisse susp. Hoppius, fortasse recte propter *integrum.* 12 *indignae* V *indigna* H *indigne* ed. 19 *rex* V *ex* ed. 21 *fuisset* V *fuerit* corr. ed. 26 *promissis* ed. 28 *deorum* V ed. *parentum* Donatum legisse ex interpretatione suspicatus est Heynius, sed illud quod est *patrum* ex solo *veterum* elicere potuit.

epularum genus excusat. sciebat enim quibus apparatibus tantus hospes excipi debuisset, si non obsisteret lex instituta sacrorum. et sacra ista, inquit, et epularum morem et aram quam cernis non inanis vel rationis expers per-
5 indeque superfluus ritus aut error inposuit patrum nec falsis aut dubiis adsertionibus ducimur ut colamus incognita aut minus probata persequamur. vidimus beneficia huius dei et per ipsum non levibus, sed saevis periculis sumus liberati. proinde haec pro nostra conser-
10 vatione condidimus tantaque huic numini pro praestitis debetur veneratio, ut quotannis noventur ista sollemnia, ne ullis obscurari temporibus possint. incipit iam respondere propositis suis et apertius referre quid esset saevis, hospes Troiane, periclis servati facimus, perindeque
15 cognoscat non inaniter dictum meritos. meritosque novamus honores: novare est, ut supra diximus, replicando vetera quandam facere novitatem et hoc modo excludere vetustatis invidiam, quae multa per desuetudinem obscurat ac tollit. *iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem,* 190
20 *disiectae procul ut moles desertaque montis stat domus et scopuli ingentem traxere ruinam:* antequam factum diceret quod aevo currente transierat et sola poterat relatione cognosci, primum coepit a teste, ut ex eo quod oculis subiacebat fides accedere posset auditis. primum, inquit,
25 hoc est antequam audias cursum rerum gestarum, rupem hanc aspice quam saxis fecit natura pendentem: vide scopulos ruinarum eversione disiectos, solitudo illic horrenda est memorabilis facti sola durante memoria. *hic spelunca fuit vasto summota recessu semihominis Caci:*
30 qualis enim semiferi praedonis habitatio esse debuit nisi occulta, grandis, munita naturali opere ac tenebrosa?

---

5 *terror* V ed. *error* nos. 14 *hospes Troiane* om. ed. | ante *perindeque cognoscat* V ed. nescio an lacuna notanda fuerit: „ut edoceatur Aeneas“ vel simile aliquid desidero. 15 *meritos* om. ed. 19 *iam pridem* V, sed *iam primum* explicatur. 24 *possit* ed. 26 *facit* ed. | *vidi scupulos* V corr. ed.

195 *facies quam dira tegebat [solis inaccessam radiis]:* haec etiam extrinsecus dira et horribilis, usque adeo ut sine tremore videri non posset, tanta autem inmanitate fuit, ut hanc solis radii nec tangerent nec viderent. *semperque recenti caede tepebat humus:* hoc potuit leve aestimari; 5 nondum enim speciem caedis edixerat nec significaverat quorum illic sanguis videretur effusus: necessario igitur addidit *foribusque adfixa superbis ora virum tristi pendebant pallida tabo:* tanta illius monstri feritas fuit, ut semper recenti caede gauderet, semper humani sanguinis 10 vaporibus aleretur; nec ita faciebat occulte, sed ad ostentationem propriorum scelerum caesorum capita figebat in foribus. adfixa vero tabe corrupta pendebant: fixum durabat quod solidum in ossibus fuit, corruptio vero carnis pendula remanebat. *huic monstro Vulcanus erat pater,* 15 *illius atros ore vomens ignis magna se mole ferebat:* hoc, inquit, monstrum Vulcanus genuerat, Vulcani incendia in pectus fili migraverant, exiebant de eius faucibus fumus et flammae et, cum ipse contra naturam rerum non arderet, ardebat tamen quod flatibus attigisset; nec defuit sub- 20 stantia corporis animae ferali conveniens: magnus fuit et ad incutiendum terrorem altissimis gressibus ferebatur. quis possit tolerare magnum corpore et ratione feritatis tutum ac vomentem Vulcani patris incendia? haec idcirco sunt posita, ne inertiae vitium teneret incolas qui 25 qualecumque monstrum unum omnes non valuerunt superare; accessus enim ad eum quis esse posset cuius anhelatus flamma fuerat et incendium vomitus? hoc genere Herculi crescebat praedicationis augmentum, quod solus perfecit eius insperatam necem, quam universi illius re- 30
200 gionis homines temptare non ausi sunt. *attulit et nobis aliquando optantibus aetas auxilium adventumque dei:* ad-

---

1 *solis — radiis* deest in V, sed explicatur. 3 *autem manitate* V corr. ed. 6 *dixerat* ed. 8 *addit* ed. 11 *ita* V *id* ed. 13 *tabo* ed. 16 *atro* V, sed Donatum quoque *atros* legisse *fumus* in interpretatione docet. 18 *exiebant* V cf. 12, 164. 20 *ardebat* V *urebat* ed. 27 *anhelitus* ed. 30 *perficit* ed.

versus monstrum intolerabile cum optaremus auxilium conpetens provenire, oportunum aliquando tempus adventum dei istius advexit, ut nobis quoque prodesset ut ceteris. suscipimus igitur hospitem et optatum diu probamus vin-
5 dicem. *nam maximus ultor tergemini nece Geryonis spoliisque superbus Alcides aderat taurosque hac victor agebat ingentis vallemque boves amnemque tenebant:* occiso triformi monstro et vindicatis regionibus quas perniciose possederat tanti mali calamitas per nos victor Alcides
10 habuit transitum laetus secundis rebus et spoliorum pompa gloriosus; ducebat quippe ingentem numerum boum, in quibus fuit emolumentum et signum perfectae victoriae. hi boves pastus et fotus causa herbosam tenuerant vallem et fluminis ripam. loci et istorum armentorum idcirco
15 inserta descriptio est et significata innumera boum multitudo, quoniam Caco ipsa dederant occasionem furandi, ut occultus inlicita gereret et de multis perisse aliquos non posset intellegi. *at furiis Caci mens effera, ne quid in-* 205 *ausum aut intractatum scelerisve dolive fuisset, quattuor a*
20 *stabulis praestanti corpore tauros avertit, totidem forma superante iuvencas:* quoniam tanta temeritas fuerat Caci, ut dolo vel fraude averteret aliena, morem proprii furoris adripiens octo boves electos ex omnibus furto subtraxit. *atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis, cauda in* 210
25 *speluncam tractos versisque viarum indiciis raptos saxo occultabat opaco:* arte Cacus scelerata contenderat ut furtum ingeniosa inventione contegeret; nam retenta animalium cauda retrorsum nitens traxit in speluncam, ut in perversum ducta vestigia explorantis intentionem plene con-
30 funderent. *quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant:* proinde, si quaereret quisquam, deficientibus signis ad illam speluncam pervenire non poterat. *interea, cum iam*

---

3 *advexit* V *concessit* ed. | *ut ceteris* V *in c.* ed. 5 *tergemini* om. V. | *rygiones* V *Geryonis* ed. *Geryonae* optimi Verg. libri. 6 *ac* pro *hac* V. 7 *triformem* V corr. ed. 13 *foetus* ed. 15 *incerta* ed. 16 *ipsa* V *ipso* ed. *ipsi* ed. post. 19 *intentatum* ed. 26 *sceleratae* V *-te* ed.

stabulis saturata moveret Amphitryoniades armenta abitum-
215 *que pararet, discessu mugire boves atque omne querellis inpleri nemus et colles clamore relinqui:* quid intellegimus boves doluisse? se a locis utilibus recessuros? et ideo dictum discessu mugire boves? an amissionem illorum qui 5 surrepti erant? melius est ut amissos quaerere viderentur; habent enim quendam inter se etiam muta animalia quasi familiaritatis adfectum et separationis iniuriam patienter ferre non possunt. denique quid ex ea oneris portent querula voce testantur; usque adeo hoc verum est, ut ipse 10 Vergilius dixerit *reddidit una boum vocem,* ut etiam hoc intellegi possit, lingua sua inter se muta animalia loqui; nam bos quaesita respondit. hoc quod dicimus firmat locus ille ubi in libro tertio (359) idem poeta dixit „Troiugena, qui volucrum linguas sentis". quod enim 15 apud nos abstrusum est et putamus sonum esse, non verba, intellegunt vates. unde, si possunt enuntiare quid aves dicant, potest verum videri quod secum atque inter se muta animalia loquantur; licet inproprie dicantur muta, si secum ipsa loquuntur secundum naturam suam et 20 possunt eorum dicta voce vaticinantis exponi. reddidit una boum vocem. reddidit vocem dixit, ut probaret, sicuti dictum est, quia quaesita respondit una boum, hoc est una ex his quae tenebantur inclusae cum tauris. *vastoque sub antro mugiit et Caci spem custodita fefellit:* nihil 25 Caco profuit custodia sua, nihil fraus et ingeniosa inventio doli, quibus indicia omnia quaerentibus pernegaverat, clausa prodidit factum et spem Caci mugiendo frustrata est. ecce fortuna regionis illius et eventus omni prosperitate plenissimus: iam recedebat Hercules nec boum 30 intellexerat damna, evasurus fuerat Cacus, si boves pau-

1 *habitumque* V. 2 *quaerellis* V. 4 *recessuros* V *discessisse* ed.: distinctionem loci corrupit ed. 5 *an* V *aut* ed. | *amissione* ed. 6 *quaerere viderentur* V *quaeri videretur* ed. 10 *quaerula* V. 12 *loqui* V *intelligi* ed. 15 *Troiugena* om. ed. 17 *possent* ed. 19 *muta* post *dicantur* om. HO ed. 20 *si* V *qui* ed. 24 *his* V *iis* ed. 29 *eventus* — 30 *plenissimus* V *cunctis* — *plenissima* ed.

lulum tacuissent. *hic vero Alcidae furiis exarserat atro felle dolor, rapit arma manu nodisque gravatum robur et* 220 *aerii cursu petit ardua montis:* cum hoc, inquit, Hercules cognovisset, iniuriam magis quam detrimenta considerans
5 exarsit iracundia; hoc enim praestabat fellis inmoderata commotio. denique non tulit arma, sed rapuit nec passibus, sed veloci cursu aerium tetendit ad montem. virtus Herculis in utroque signatur; nam rapere gravatum nodis robur, quo utebatur pro armis, et tanti montis ardua cursu
10 transmittere plena virtutis et constantiae demonstratio est. *tum primum nostri Cacum videre timentem turbatumque oculis:* timebatur ante adventum Herculis Cacus nec ipse quemquam metuebat armatus magnitudine corporis, feritate naturae et flammarum incendio, sed ubi ad Herculem
15 ventum est et eius virtutem ausis talibus adprobavit, didicit timere, quod ante nescierat. incipit dicere rationem timoris ipsius signis magis quam alia ex causa conpertam. turbatus, inquit, oculis fuit nec inmerito, cum videret tantam potentiam dei. *fugit ilicet ocior euro:* et cum fuisset
20 extrema desperatione possessus, fugit ut ventus et ipsam venti celeritatem mobilitate praeveniens. *speluncamque petit, pedibus timor addidit alas:* tria fuerunt signa timoris ipsius: oculorum perturbatio, qui quicquid animo gereret indicabant; fuga artioris cursus: neque enim illud fugere
25 fuerat, sed volare, nam metus insueti pedibus alas addiderat; tertium quod non se credidit campo aut patentibus locis, sed in speluncam fugit, quam putabat invictam. *ut sese inclusit ruptisque inmane catenis deiecit saxum,* 225 *ferro quod et arte paterna pendebat, fultosque emuniit obice*
30 *postis, ecce furens animis aderat Tirynthius omnemque accessum lustrans huc ora ferebat et illuc dentibus in-* 230 *frendens:* inter Herculem et Cacum non plurimum supererat spatii, denique ille, cum se videret velocitate fortioris

---

1 *alchyde* V. 2 *pelle* V. | *nudisque gr. rubor* V. 3 *aetherii* V, sed in interpr. *aerium*. 5 *prae iracundia* ed. 6 *arma* om. ed. 11 *videri* V. 25 *insueti* (genet.) V *insuetus* ed. 27 *invictam* V *inexpugnabilem* ed.

artari, ingressus speluncam non solvit catenas ut securus, sed rupit ut timens. celeriter enim claudendae fuerant fores quae speluncae interiora venienti negare potuissent. rupit catenas ergo, non solvit, et deiecit saxum quod ferro et paterna arte pendebat. duabus rebus pendebat 5 saxum quibus speluncae illius aditus claudebatur, ferro scilicet et arte: ferro hoc est materia ipsa, arte vero fabrica catenarum. quantus autem in illo fuerat metus, ut securitati suae non putaret posse sufficere speluncam continuis lateribus montis et vertice satis tutam, nisi saxi 10 tanti ponderis firmitate additis obicibus eam roborasset, ne quo casu aut inpelli posset aut foribus evictis excludi! ut igitur haec omnia facta sunt et propter tuitionem suam metuens praedicta firmavit, ecce furens animis aderat Tirynthius. posset sic carmen poeta conponere, ut celeritate 15 Hercules Cacum videretur praevenisse, sed reservanda fuerat difficultas factis, ut talem haberet gratiam quae merito suo et novari quotannis deberet et ad posteros quoque magna cum veneratione transire. omnemque accessum lustrans huc ora ferebat et illuc dentibus infrendens: 20 considerabat oculis omnis accessus et spatia montis illius et, cum visibus eius nihil quod tenere posset occurrit, magis magisque agitabatur ira et dentibus infrendebat. bene transtulit frendere: frendere quippe aprorum est, cum adrepto furore irascuntur ac saeviunt et acuunt dentes. 25 *ter totum fervidus ira lustrat Aventini montem, ter saxea temptat limina nequicquam, ter fessus valle resedit:* ipse mons Aventinus dicitur, sed ornatius dictum est, ut non ipse, sed ille nominaretur cuius sumpserat nomen. quantus labor fuit tantae altitudinis montem cursu transcendere 30 et huius latitudinem inmensam non semel sed tertio circumire! ter, inquit, frustra temptavit fores Caci, ter fessus valle resedit: fatigatus adsidua circumitione montis adsidua sibi sedendi refectione consuluit. sedit igitur trac-

3 *fuerunt* ed. 4 *catena* V *catenas* ed. 17 *factis* V *facti* ed. 20 *frendens* (supra *infr.*) V. 27 *limine quicquam* V. 31 *altitudinem* ed. | *circuire* ed. 33 *circuitione* ed.

tans et maximum pudorem sustinens, quod iniuriam suam latente auctore vindicare non poterat. *stabat acuta silex praecisis undique saxis speluncae dorso insurgens, altissima visu, dirarum nidis domus opportuna volucrum:* tractantis 235
5 oculis animoque satis astuto grandis et inmensum diducta occurrerat silex, sic laterum abscisione munita, ut in ea diris avibus et commanendi facultas et securitas fida fetibus educandis non deesset. diras avis possumus sentire eas quae cadaveribus alantur, ut sunt vultures et aliorum
10 generum quae carne pascantur. *hanc, ut prona iugo laevum incumbebat ad amnem, dexter in adversum nitens concussit et imis avulsam solvit radicibus, inde repente inpulit, inpulsu quo maximus intonat aether, dissultant ripae* 240 *refluitque exterritus amnis:* in hoc facto non tantum Her-
15 culis virtutem verum etiam prudentiam laudat. suspicione enim ex animi vigore collecta potuit existimare illam silicem postrema speluncae contegere atque hac remota posse quod clausum fuerat reserari. fuit igitur a dorso speluncae devexa silex in sinistram fluminis partem, quae
20 montis radicibus inhaerebat et, quia tot saeculis, cum esset prona, non cecidit, inpellenda non fuit, ut alii putant, sed revocanda, ut laxatis nexibus solvi posset a consortio montis et inde inpulsa praecipitari. itaque cum in sinistram partem incumberet, reducta est in adversum hoc est
25 dexterum; adversum enim est incumbenti quod stat, adversum quoque sinistro est dexterum et laevum dextero, ut albo nigrum et lucidum tenebroso. ergo Hercules virtute et prudentia pollens a sinistro in dextrum nisus silicem adduxit, adductae radices hoc consilio solvit et
30 hanc in partem qua iacebat inpellendo revocavit. ita factum est ut casus eius strepitu et terrore universa conpleret, in tantum ut contremuerint fluminis ripae, ipsum

---

4 *oportuna* V. 5 *inmensum* V *in i.* ed. | *deducta* ed. 6 *ascisione* V. 9 *aluntur* — 10 *pascuntur* ed. 13 *insonat* ed. 16 *exaestimare* V. 18 *reserare* V ed. 19 *qui* V ed. *quae* nos. 21 *occidit* ed. 23 *impulsu* ed. 24 *incumberet* V *i. et* ed. 29 *adductae* V *eiusque* ed. 30 *quia* V ed. *qua* ed. post.

vero flumen pigrefactis cursibus steterit et ad originem suam sit remeare conpulsum. *at specus et Caci detecta apparuit ingens regia et umbrosae penitus patuere cavernae:* specus, inquit, regia, cavernae Caci patuerunt, non quo paria sint iuncta, si quidem singula habent rationem suam; 5 aliam quippe vim habet spelunca, aliam regia, aliam cavernae. spelunca significat longitudinem et interiores recessus, regia latitudinem, cavernae vero coartatas angustias monstrant. fieri ergo non potuit ut qui magnum dixerat faceret minimum. tollamus hunc conflictum e 10 medio adserentes revera speluncam fuisse et pro qualitate personae dictam regiam, scilicet ubi Cacus inpune faciendo scelera habitaret regis animum gerens, cavernas quoque sic debemus accipere patuisse, ut non solae latiores speluncae partes verum etiam angusta eius patuisse videantur; natu- 15 ralis enim spelunca aequalis esse non potuit et tanta vis luminis eam prodiderat, ut quicquid in ea fuisset abstrusum videri potuisset. et mittitur conparatio inferorum ipsi speluncae conveniens, quae ut inferi necibus hominum redundabat et tenebris densioribus fuerat caeca: *non secus,* 20 inquit, *ac si qua penitus vi terra dehiscens infernas reseret* 245 *sedes et regna recludat pallida, diis invisa superque inmane barathrum cernatur, trepident inmisso lumine manes:* vi terra dehiscens, quia speluncam maior vis fecerat. infernas reseret sedes, quia in spelunca solae fuerant tenebrae. 25 et regna recludat pallida, diis invisa, quia supra dixit „solis inaccessam radiis“. barathrum posuit propter altitudinem demersam speluncae patefactae. trepident inmisso lumine manes: sic fuit Cacus qui remotis in spelunca tenebris insolitum et inimicum viderat lumen ut sunt inferi 30

---

1 *sirsibus* V *cursibus* ed. 4 *regia* V *r. et* ed. 7 *interiorem recessum* ed. 9 *pertergo* V *poeta ergo* ed. *fieri ergo* nos. 10 *dixerit* ed. | *faceret* V edI *facere* edF. 12 *inpune* — 13 *scelera* temere mut. ed. 17 *prodiderat* V corrupit ed. 18 *videre* V ed. corr. ed. post. | *et mittitur* om. ed. 21 *inquit* om. ed. | *reserat* V (et infra). 27 *accessam* V. 30 *insolitam et inimicam* V ed. | *lucem* ed.

qui aliqua violentia patefiunt. *ergo insperata deprensum in luce repente inclusumque cavo saxo atque insueta rudentem desuper Alcides telis premit.* ergo quem prodiderat lux et cavum concluserat saxum premebat Alcides omni
5 genere telorum loco et virtute superior. ille tamen rudebat insueta, insueta ideo, quia numquam ad tantam necessitatem venerat. rudere dicuntur ferae: convenienter etiam hic rudere dictus est, quia semifer fuit. *et ramis* 250 *vastisque molaribus instat:* quia rami arborum minores ad
10 inplendam Caci necem proficere soli non poterant, instabat et molaribus magnis, scilicet roboribus arborum fragmentisque saxorum. *ille autem (neque enim fuga iam super ulla pericli) faucibus ingentem fumum (mirabile dictu) evomit involvitque domum caligine caeca prospectum eripiens oculis*
15 *glomeratque sub antro fumiferam noctem commixtis igne* 255 *tenebris:* ille cum adverteret discrimen praesens vivendi vel fugiendi spem nullam, vertit se ad ea quibus putabat Herculem terreri potuisse fumo atque flammis universa confundens, ut erepto hosti prospectu vitaret quod videbat
20 instare. *non tulit Alcides animis:* his Alcides magnanimus terreri non potuit. *seque ipse per ignem praecipiti iecit saltu:* tanto ad ultionem fervore properans Caci contempsit incendia perque ipsum ignem sese intrepidus iecit nec ipsam loci altitudinem metuens. *qua plurimus undam*
25 *fumus agit nebulaque ingens specus aestuat atra:* prudentis suspicio illo tendebat ubi caligo maior, densior fumus et incendia fortiora crescebant. dubitari enim non poterat illic latere desperantem ubi fortiores insidiae superabant. *hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem corripit in* 260
30 *nodum conplexus [et angit inhaerens elisos oculos et siccum sanguine guttur]:* cum non videretur in tenebris, per eas insidias captus est quibus se speraverat evasurum. cum

6 *ideo* V *quidem* ed. 7 *faerae* V. 10 *perficere* ed. 11 *praementisque saxorum* V *fragmentisque s.* nos *praeruptisque s. molibus* ed. 13 *pericli est* ed. 17 *vel* V *et* ed. 18 *teneri* ed. 23 *perque ipsum ignem* V temere mut. ed. 30 *et* — 31 *guttur* deest in V, sed explicatur.

igitur inefficacibus flammis frustra contenderet, hunc Hercules in nodum conplexus extinxit pressis simul oculis et gutture. magnum viri fortis ingenium! quoniam viderat eum fumo et flammis fidere, inventum in tenebris ea parte corporis pressit qua se crediderat tutum, cum totum 5 iuxta Herculem inritum esset quod adversus alios praevalebat. hunc corripit, ut dictum est, in nodum conplexus. haec species in imitationem venit in agone certantibus; nam frequenter occurrit pars ista certaminis, ut exempto brachio cervicem cum capite alter alteri conprehendat et 10 occurrente alia manu conligatis digitis fauces gulamque concludat. hoc igitur Hercules fecit, ut fumiferas fauces et ipsa quibus fidebat incendia brachiorum virtute premeret, quo facto oculi, fumus et flamma cum ipsa simul Caci anima defecerunt. *panditur extemplo foribus domus* 15 *atra revulsis:* extemplo cum dicit, celeriter patefactam significat foribus revulsis, avulsione etiam saxi, quod ruptis catenis praeceps fuerat datum. quo facto omnis illa scelerum patuit domus atque ita, ut omnibus exim securus daretur accessus et invenientes cernerent quod incognitum fuerat 20 universis. *abstractaeque boves abiurataeque rapinae caelo ostenduntur:* abstractas mortuas vel occisas significat. abiuratae rapinae aut in ipsis bubus fuerant aut in speciebus aliis. caelo ostenduntur: aut in lucem proferuntur aut sideribus cum invidia offerebantur, quod inulta dimiserant 25 quae inlicita commiserat Cacus. *pedibusque informe cadaver* 265 *protrahitur:* vel quia hoc meruit, trahebatur, vel quia propter membrorum magnitudinem ferri non potuit. protrahitur est porro trahitur hoc est extra speluncam. informem inquit: in non ad minuendam corporis formam 30

---

4 *fumum et flammas fundere* ed. | *et inventum* V ed. *et* delevi. 5 *nam* V ed. *cum* nos. 6 *interitum* V *irritum* ed. 7 *corripitur* V *corripit ut* edF. 8 *imitatione* V corr. ed. | *certantium* ed. 9 *exemto* V ed. *extento*? 11 *pauces cylamque* V. 16 *patefactam* V *p. domum* ed. 19 *exinde* ed. 20 *invenientes* V *euntes* ed. 23 *ut in ipsis* V ed. *aut i. i.* nos. | *bobus* ed. 25 *offeruntur* ed. 28 *ferri* V *fieri aliter* edF.

positum est; informe enim una pars est orationis et significat ultra solitam formam, ut iste qualitate ceteras formas videretur excedere. exponit iam quid sit informe: *nequeunt expleri corda tuendo terribilis oculos, vultum villo-* 5 *saque saetis pectora semiferi atque extinctos faucibus ignis.* ecce unde informe: quia etiam mortuus oculorum terrifico omnis formidabat obtutu, vultus ipse plenus sceleribus apparebat et illud gerens quod vivus habuerat, villosa fuerunt pectora eius utpote semiferi, cunctis autem cum 10 omnia eius miraculo essent, tum magis quod cum anima eius incendia quoque considerabantur extincta. *ex illo celebratus honos [laetique minores servavere diem]:* ex illo tempore quo his terris securitas facta est honores ei decreti sunt et celebratum dignis laudibus factum, servatum quo- 15 que per minores, quod non frustra fuerat institutum. *primusque Potitius auctor et domus Herculei custos Pinaria* 270 *sacri hanc aram luco statuit, quae maxima semper dicetur nobis et erit quae maxima semper:* primus hunc ritum Potitius dedit et Pinariorum domus hanc aram condidit, 20 qua nullam habemus potiorem nec erit alia praeter ipsam. *quare agite, o iuvenes, tantarum in munere laudum cingite fronde comas et pocula porgite dextris communemque vocate* 275 *deum et date vina volentes:* munus dicitur cura uniuscuiusque rei perficiendae inposita cum necessitate faciendi. 25 ait ergo quoniam huic interestis muneri et amicitiam nostram sacra ipsa iunxerunt, nobiscum vocate communem deum. communem bene positum, ut ostenderet se per coniunctionem foederum mixtum esse Troianis, vel ideo communem, quia supra ex persona Aeneae ostendit poeta 30 Troiae et Arcadiae populos iisdem parentibus genitos. et date vina volentes, id est arae vinum infundite, cum deum vocare coeperitis. addidit autem volentes, quia obsequia

---

2 *ista* ed. 7 *omnis formidabat* V ed. cf. v. 13. 9 *cum omnia* — 11 *incendia* mut. ed. 12 *laetique* — *diem* deest in V, sed explicatur. 16 *Herculei* om. V. 17 *dicetur* — 18 *semper* post lemma repetit V om. ed. nos. 22 *porregite* V. 30 *populosi hisdem* V corr. ed.

non accipiuntur, nisi plena voluntate fuerint persoluta, aut ideo volentes, quia aliquando, sicut infra positum est, inimicitias Troiae Hercules fovit, ut videatur hoc dixisse: qui inimicus vester fuit erit iam amicus vobis, quoniam nostri estis effecti. ecce Euandri etiam in hoc beni- 5 volentia, ut iamdudum offensum deum velit illis esse propitium. *dixerat, Herculea bicolor cum populus umbra velavitque comas foliisque innexa pependit:* mox Troiani, vel quia occasio fuit offenso iamdudum satisfacere vel quia non debuit respui quod Arcades magno cultu venerabantur, 10 ne ex hoc laesi postulata non facerent, Herculeis se hoc est populeis frondibus coronaverunt. *et sacer inplevit dextram scyphus:* magnitudinem scyphi voluit ostendere dicendo inplevit dextram, sacrum vero idcirco posuit, quia quibus sacrorum cura est habent dicata numinibus vasa 15 quibus obsequia divina perficiunt. *ocius omnes in mensam laeti libant divosque precantur:* hoc est laeti libant quod est et volentes; qui enim sacra numinibus solvit nec invitus debet esse nec tristis. omnes ergo infundebant vinum mensis et id faciebant quod Aeneas. 20

280 *Devexo interea propior fit vesper Olympo:* poeta memor est sui; hora enim sexta hoc est mediatis cursibus solis supra dixit Aenean pervenisse, nunc diem dicit peractis prope spatiis omnibus claudi. *iamque sacerdotes primusque Potitius ibant pellibus in morem cincti flammamque fere-* 25 *bant:* sacerdotes, quorum primus Potitius fuit, secuti institutum morem ibant accincti pellibus, retinentes in manibus faces. *instaurant epulas et mensae grata secundae dona ferunt:* secunda mensa dicitur non post primam secunda, sed prospera. numquam enim missus ipse adponitur, nisi 30

---

3 *inimicitias* V *inimicus* ed. | *fuit* V ed. *fovit* nos. 4 *quoniam* V *qui* ed. 9 *offensio* V *offensis* ed. *offenso* nos. 10 *venerabatur* V corr. ed. 13 *magnitudinem* — 14 *vero* om. *sacer* interpol. ed. 21 *memorem* V *memor est* ed. 27 *retinentibus* V ed. corr. ed. post. 28 *aepulas* V. 29 *secunda mensa* V *hanc secundam mensam* ed. | *dicitur* — 155, 2 *igitur* om. ed. HO = V.

cum laeta sunt omnia, † ut res secunda . . . .
. . . . . sed prospera sunt et . . . . . . hanc igitur laetitiae nuntiam in speciebus plurimis ferebant sacrorum. *cumulantque oneratis lancibus aras:* debuit enim repetito convivio
5 hominum etiam numini secundum officium repraesentari honorificentiae sollemnis. *tum salii ad cantus:* saliorum 285 nomen genus ministrorum significat. *populeis adsunt evincti tempora ramis:* dixit qui dicerentur, dicit etiam quemadmodum coronati venissent: tecta, inquit, habebant
10 tempora populeis ramis. *hic iuvenum chorus, ille senum: qui carmine laudes Herculeas et facta ferunt:* partis ad cantus quaerunt non turpis aut ab ipsis sacrorum sollemnitatibus alienos nec humili aut inperito sermone conpositos, sed digestos cum doctissimi carminis disciplina,
15 honestatem quoque cum dei veneratione testantis. hic, ait, iuvenum chorus, ille senum: usque adeo religiose separabantur, ut senes consisterent ex una parte, quos non deceret nisi sacra cantare, et iuvenes ex alia, qui suos maiores imitarentur. qui carmine laudes Herculeas et
20 facta ferunt: iam dictum est ipsius dei fuisse quod senes iuvenesque cantabant. quod generaliter posuit laudes, incipit specialiter dicere: *ut prima novercae monstra manu geminosque premens eliserit anguis.* hoc, inquit, fuit primum in puero virtutis indicium, quod serpentes duos
25 singulos singulis manibus constrictis faucibus necavit. hic multiformis est laus; magnum enim miraculum est in puero nullum pavorem fuisse, non timuisse in duobus anguibus maiorem violentiam, rudem scilicet et insuetum

---

1 verba *ut* — 2 *et* corrupta et mutila esse patet: fortasse *ut res secundae non post alias secundae sed prosperae sunt et laetae.* 6 *honorificentiae sollemnis* V *ut h. causa s.* ed. 10 *huic* pro *hic* V. 11 *parti* V *partis* nos *patres* ed. 13 *humilia ut* V *humiles aut* ed. *humili aut* nos. 16 *religiosas parabatur* V *religiosa parabantur* ed. *religiose separabantur* nos. 20 *facta fuerant* V *f. ferant* ed. | *defuisse* V *dei fuisse* nos *dei laudes f.* ed. 21 *posuit laudes* V *hoc est* interpos. ed. 24 *duos* om. ed. 25 *negavit* V *contrivit* ed. 26 *magnum — est* V temere mut. ed.

et inermem, tantam vero extitisse in ipso facto industriam tantamque virtutem, ut ea parte tenerentur qua hostem suum venenatis morsibus adpetere potuerunt et occidere. eliserit inde tractum est, quia venae maiores gutturis lisae dicuntur, unde elisum dicimus quicquid ipsa ex causa 5
290 fuerit mortuum. *ut bello egregias idem disiecerit urbis:* nondum dixit quas et quantas, ut innumerae intellegantur et magnae. *Troiamque Oechaliamque*: hae non fuerunt solae, sed sumptae ex generalitate, ut ex his apparere posset quales vel quantae fuerint aliae. multi hoc loco 10 Vergilium reprehendunt, quod praesentibus Troianis triumphum actum de Troia non debuerit ponere, quasi demum in hominum gratiam divina deberet veneratio mutilari. hoc genere minueretur sollemnis illa laudatio eius dei cuius apud eos meritum in maximo atque aeterno 15 honore fuerat constitutum. *ut duros mille labores:* a qualitate duros, a quantitate mille. *rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquae pertulerit:* numquam enim noverca expectat iustas commotionis causas, sed nomen suum existimat causam esse saeviendi. senserat igitur Hercules duo 20 mala, novercam inplentem partis suas et Eurystheum regem aptum iniquis iussionibus. *tu nubigenas, invicte, bimembris, Hylaeumque Pholumque, manu, tu Cresia mactas*
295 *prodigia et vastum Nemeae sub rupe leonem:* quod semel dixit manu et mactas, saepius accipiendum est, ut sit tu 25 nubigenas, hoc est Centauros, qui ex dimidio homines, ex altero equi sunt atque alter dicitur Hylaeus, alter Pholus, mactas manu utpote invictus, tu Minotaurum mactas manu, tu leonem vastum mactas manu. vastum dixit et crudelem et magnitudine sublimem. *te Stygii tremuere lacus, te* 30 *ianitor Orci,* id est lacus per quem ad inferorum interiora transiit et ianitor Cerberus, quem ad superos duxit. *ossa super recubans antro semesa cruenta:* in retrahendo Cerbero

5 *ipse* V *ipsa* ed. 6 *urbem* pro *urbis* V. 7 *quas* V *quales* ed. 13 *divinae deberet* V *divorum debeat* ed. 19 *commonitionis* ed. 21 *partis suis* V. 24 *moeneae* pro *Nemeae* V. 25 *et* om. ed. 33 *cruenta* V confirmatur interpretatione, nisi

illam dicit Herculis mirabilem extitisse virtutem, ut hunc tremuerit custos foribus adpositus Ditis saevus semper semperque super ossa recubans. ossium significatio ex parte crudelitatem Cerberi ostendit qui tantum saeviebat,
5 ut consumpta carne ad ossa erodenda remearet. cruentorum autem ille est intellectus qui est descriptus in Caci spelunca his verbis: „semperque recenti caede tepebat humus", ut etiam Cerberus semper recenti praeda pasci videatur. *nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus*
10 *arduus, arma tenens:* non te terruerunt diversae monstrorum formae nec tibi formidinem Typhoeus incussit ingenti corporis mole confidens atque armis instructus. *Non te rationis egentem Lernaeus turba capitum circum-* 300 *stetit anguis:* cumque tibi Lernaeus anguis quasi nociturus
15 occurrerit innumeris capitibus fidens, in illo extinguendo malo nec virtus tua nec ingenii vivacitas defuit; qui enim habuisti naturalem industriam cur quaereres alienam? *salve, vera Iovis proles:* pars est ista laudativae materiae ut praeferatur unde ortus sit qui laudatur. apparet, inquit,
20 esse te verum filium Iovis, dum paternae potentiae et factorum nobilitate respondes. *decus addite divis:* nec ideo factus es deus, ut ornareris ex aliis diis, sed ut illos accessione tuae societatis ornares. *et nos et tua dexter adi pede sacra secundo:* summa nostrae deprecationis est
25 ut adsis nobis prospere et sacris tuis propitius interesse digneris. *talia carminibus celebrant:* talia, inquit, hoc est quorum ipsi non senserant commodum, venerationis causa laudabant. *super omnia,* scilicet quae supra dicta sunt, *Caci speluncam adiciunt spirantemque ignibus ipsum:* ab
30 his quae Hercules in alienis regionibus gesserat ad Caci speluncam recte perventum est: debuerunt quippe etiam sui commodi meminisse qui tanto malo per ipsius virtutem

---

forte pro *cruentorum* 157, 5 emendaveris *cruenti antri.* 1 *hunc* om. ed. 9 *tyfoaeus* (et infra) V. 10 *te* om. ed. 12 *ingentis* ed. 16 *enim* V *cum* ed. 18 *vere* V. | *par* V *pars* ed. 20 *te* om. edF. | *et* om. ed. 23 *ornaris* V *ornares* ed. 31 *debuerant* ed.

305 fuerant liberati. *consonat omne nemus strepitu collesque resultant:* ubi ventum est ad ea quae sibi fuerant praestita crevit omnium vox et laudationis adfectus in tantum cumulatus est, ut exultantium clamor emissus in nemore perveniret ad montis et resultaret. exultat quod magno 5 ictu inliditur et tremit quasi remissum.

Exin se cuncti divinis rebus ad urbem perfectis referunt: ubi vota perfecta sunt, recesserunt omnes ex luco et ad urbem coeperunt remeare, quoniam et hora propinquantis vesperi ad sedem propriam revocabat universos. *ibat rex* 10 *obsitus aevo et comitem Aenean iuxta natumque tenebat ingrediens:* ibat, inquit, rex contra meritum potestatis, ac ne esset obscurum quid sit ibat, non vehebatur, inquit, sed ambulabat suis pedibus senex, qui et itineris laborem quem longaevus ferre non poterat remedio toleraret. 15 comitem Aenean iuxta natumque tenebat ingrediens id est ambulans, duorum adminiculo innitens, ipse medius; nam ex una parte Aenean, ex altera filium retinebat. *varioque viam sermone levabat:* unum fuit adiumentum, quod itineris labor duorum auxilio iuvabatur, accesserat aliud quod 20 veniebat ex varietate fabularum, et vere nulla alia res sic animum levat aut animi taedium reficit quam sermonis alterna conlatio aut diversitas visus. sermonis varietas Euandro datur, facilitas visus Aeneae partibus adplicatur, 310 denique sequitur *miratur facilisque oculos fert omnia circum* 25 *Aeneas:* illo fabulante hoc est Euandro Aeneas circumferebat oculos admirans ea quae forte conspexisset. unde descenderit intuenti facilitas ipse Vergilius docet; nam facilitas oculorum et confabulatio provenit ex securitate et laetitia animi; iam enim auxiliorum promissum retinebat. denique 30 adnexum est *[capiturque locis] et singula laetus exquiritque auditque virum monumenta priorum:* inde laetus, quia secu-

---

5 *et resultaret* V corrupit ed. 9 *coeperant* V corr. ed. | *quoniam* V *quin* ed. 10 *vesperi* V *noctis* ed. 22 *refecit* V corr. ed. | *quam* V *ut* ed. 27 *eaque* V *ea quae* ed. | *descenderet intuenti* V *descenderit i.* nos corrupit ed. 31 *adnixum* V corr. ed. post. | *capiturque locis* deest in V, sed explicatur.

rus de auxiliis fuerat redditus. ceterum si hoc non esset, culparetur Aeneas qui in tanta cura positus locis capiebatur et veterum fabulas cupiebat audire. *tum rex Euandrus, Romanae conditor arcis:* Euander cum eum advertisset
5 hominum origine veterum delectari, ne interrogando aut respondendo tarditas oreretur die iam in occasu constituto, ipse ultro quasi super omnibus interrogatus plene exorsus est ostensurus singula et eorum originem narraturus. coepit igitur sic: *haec nemora indigenae fauni nymphaeque tene-*
10 *bant gensque virum truncis et duro robore nata:* ista, inquit, 315 nemora primitus fauni tenebant et nymphae et aliud virorum genus natum ex arborum truncis aut robore. robore quod ait, aut genus ligni significavit aut arboris crassitudinem. indigenae, inde geniti, hoc est in ipsis locis,
15 quod potest et ad faunos et ad nymphas pertinere, ut omnes sint indigenae. dicta est origo, necessario subnectitur quomodo se inter initia gesserint: *quis neque mos neque cultus erat:* omnes populi aut legibus tenentur aut moribus, leges inponuntur, mos vero ex voluntate nascitur
20 incolarum et est per regiones diversus et perinde observatur ut lex. isti tam rudes fuerunt, tam asperi, ut nec lege ulla nec aliquo more tenerentur, cultum quoque nesciebant. qui sit cultus ipse poeta ponit: *nec iungere tauros aut componere opes norant,* hoc est terras invertere et, si
25 esset opum magna substantia, nesciebant ea uti eamque elegantius ordinare. *aut parcere parto* vel in futurum servare propter necessitatum varietatem. ordinationem more suo executus est, primo dixit nec et in medio posuit norant, ut esset nec norant tauros iungere nec norant opes
30 conponere nec norant parcere parto. ac per hoc usum hominum qui postea successit nesciebant, scilicet nec procurare

---

4 *romani* V. | *cum cum* V *c. eum* nos alterum *cum* om. ed. 5 *hominem originem* V *h. origine* ed. *hominum origine* nos. 6 *oriretur* ed. 9 *igitur* om. ed. 16 *dictae storico necessario* V corrupit ed. 19 *legis* V corr. ed. 23 *quid sit* ed. 24 *norunt* (in interpr. semel *norunt* ter *norant*) V. | *in vetere* V *invertere* ed. 25 *fuisset* V *si esset* nos *si f. eis* ed. 31 *nesciebant* V *nec esse* ed.

ut esset et, si esse posset, servare non noverant. conponere opes quid esset ignorabant: conponere opes est uti bona veste, panem conficere vel cibum accurate praeparare, habere supellectilem cultam. posset dici: si omnia genus hoc hominum nesciebat, quomodo alebatur? ait ipse *sed* 5 *rami atque asper victu venatus alebat:* pascebantur his quae silvestres rami naturaliter procreabant et quae illis laboriosa venatio dabat. *primus ab aetherio venit Saturnus*
320 *Olympo arma Iovis fugiens et regnis exul ademptis:* primus, inquit, Saturnus violentia Iovis exclusus (non dixit fili, 10 ut et historiam tangeret et inpietatem in patres non doceret) perditis caelestibus regnis ad has delatus est terras atque in his delituit, quo ex facto Latium appellavit, scilicet quod hic tutus latuisset. *is,* id est Saturnus, *genus indocile,* indoctum et quod doceri non posset, *ac dispersum montibus* 15 *altis,* dispersum et per montis vagum, ut sunt ferae, *conposuit,* formavit humanis persuasionibus et institutis, *legesque dedit,* usque adeo ad humanitatem produxit, ut etiam leges timere et legibus servire didicissent. quanta Saturni industria, qui tale hominum genus, durum, indocile, 20 asperum, inhumanum institutis melioribus ad humanum cultum egregia magisterii arte convertit et teneri legibus fecit qui sub legibus non fuerunt! *aurea quae perhibent*
325 *illo sub rege fuere saecula:* saecula, inquit, quae aureo nomine appellari consueverunt, fuerunt ipso regnante. 25 *sic placida populos in pace regebat:* additur ad Saturni laudem potuisse talis homines hoc est incultos et feros

---

3 *accurpatae* V *accurate* ed. 4 *subpellectile cultum* V *suppellectilem et cultum* ed. 8 *veneratio* V corr. ed. | *aethereo* ed. 14 *his* V *is* nos om. ed. | *genus* V *is g.* ed. 16 *altis* V *composuit* interpol. ed. | *et* om. ed. | *ut sunt facere* V *u. s. ferae* nos (*faerae* in archetypo fuisse videtur ut 248) om. ed. 18 *perduxit* ed. 19 *dedicissent* V. 23 post *fuerunt* haec interpol. ed.: „Latiumque vocari maluit, his quoniam latuisset tutus in oris: et Saturnus hic potius Latium dici voluit quam alibi, quoniam ibi tutus fugiens Iovem latuerat" desunt haec in VHOU. | *aurea quae* V *aureaque ut* ed. 27 *potuisset aliis* V *potuisse talis* nos *potuisse — bello* temere mut. ed.

non bello, sed lenitate superare ac pace potius frenare quam potestatis imperio, redigere in unum dispersos et vagos et contra insitam feritatem placidae societatis amore coniungere. populorum significationem non inaniter tetigit;
5 populorum quippe appellatione multa naturae ac morum diversitas demonstratur, quam regere sine metu inminentium poenarum et legum felicitatis est plenae. *deterior donec paulatim ac decolor aetas et belli rabies et amor successit habendi:* deterior aetas et decolor, illorum scilicet qui
10 fuerunt post Saturnum. deterior dicitur qui ex bono in contrarium mutatur et fit malus, decolor vero qui ex optimo colore et splendido in sordidum aspectum convertitur. aetatem dixit aut succedentium hominum aut sequentis temporis. bene autem addidit paulatim; longa enim bene
15 vivendi consuetudo non potuit semel abrumpi. recedente igitur imperio Saturni felicitas saeculorum eius insueto statu manere non potuit: successerat enim aetas deterior, hoc est pessima hominum ac temporis ratio, quae homines a bene vivendi usu in malam vivendi consuetudinem ver-
20 teret. hic Vergilius bene vel male vivendi rationem non rectorum vult esse, sed temporum; nam supra dixit aurea saecula extitisse, nunc dicit deterior aetas successit. felix tamen est cuius imperio naturae cursus adridet, infelix vero cuius administrationi temporum iniquitas deputatur.
25 et belli rabies et amor successit habendi, quorum alterum sine altero esse non potest, sicuti multis locis plene tractatum est. habendi enim cupiditas sine crudelitate et scelere non potest procurari; nam ubi quis animo hauserit aliena, haec crudelitatis et sceleris adiumento consequitur;
30 crudelitas quoque et perpetratio sceleris sine avaritia esse non potest, quia nullus sine lucro malus est. *tum manus Ausoniae et gentes venere Sicanae saepius et nomen posuit Saturnia tellus:* emergentibus, inquit, malis crudelitatis et avaritiae, cum diversarum gentium populi in haec loca

---

1 *frenare* V *fr. voluit* ed. 4 *significationem — tetigit* temere mut. ed. | *retigit* V. 27 *enim* om. ed. 31 *nullus* V *raro aliquis* ed. 32 *potuit* V.

venissent, felicitas morum simul cum nomine praecipui rectoris oppressa est et Ausonia vocitari coepit quae Sa-
330 turnia dicebatur. *tum reges asperque inmani corpore Thybris, a quo post Itali fluvium cognomine Thybrim diximus:* deinde coeperunt, inquit, reges succedere, successit 5
et Thybris grandis corpore atque animo ferus, ex cuius nomine fluvius dictus est Thybris. *amisit verum vetus Albula nomen:* et amisso Albulae nomine Thybris coepit vocitari. *me pulsum patria pelagique extrema sequentem*
335 *fortuna omnipotens et ineluctabile fatum his posuere locis:* 10
etiam se memorat esse peregrinum, vim pertulisse non hominum, sed fati atque fortunae, ut genitalem patriam perdidisset, ac, ne esset vitium in eo quod dixit me pulsum patria (nemo enim patriis terris bonus excluditur) vel ne quaereretur praecedens causa, mox subiecit fortunam fecisse 15
omnia, ut mutaret terras et in Arcadiae partibus locaretur. addidit omnipotentem fortunam et fatum ineluctabile, ut ostenderet se nec fortunam virtute nec fatum luctando superare potuisse perindeque consensisse potioribus. *matrisque egere tremenda Carmentis nymphae monita et deus* 20
auctor Apollo: ex occasione alia commendat originem suam, quod dea sit matre progenitus, et hanc exaequat Apollini. ad haec, inquit, loca perductus sum post expulsionis factum, cum fortuna inpelleret, truderet fatum, Apollo praeciperet, mater urgeret. in vocabulo matris quantum 25
pondus est! iubebat mater, et dea mater, quae filium contra pietatis meritum monere non posset: mater habens numen et pronuntiandi substantiam accessit, ait, omnibus et dubitationem quae existere potuit horrendum iudicium matris abrupit. *vix ea dicta, dehinc progressus monstrat* 30
et aram et Carmentalem Romani nomine portam quam

---

9 *vocitari* V *nominari* ed. 11 *etiamsi* V corr. ed. | *vim* — 12 *fortunae* temere mut. ed. 16 *arcadiae* V (lapsus Donati?) *Italiae* ed. 18 *virtutem* V corr. ed. 24 *factum fortuna* V *cum* interpos. ed. 27 *mater habens nomen* V *numen* nos *matris h. nomen* ed. 28 *cessit* V ed. *accessit* nos. 31 *romani* V: quae lectio quia interpretatione confirmari videtur, *quam me-*

memorant: quasi quodam transitu novavit narrationem, ne continua pareret foeditatem; pulchre enim ambulantis senis interposuit moram propter audiendi taedium. progressus ergo monstravit et portam, materni meriti testem, aram
5 quoque, ut ex hac probaret deam. *nymphae priscum Carmentis honorem:* hanc aram vel hanc portam idcirco constituerunt et ideo hoc nomine appellari voluerunt, quod in his honor nymphae videatur esse constitutus. interea etiam hoc pertinuit ad supra dictam moram, ut ambulans
10 sparsa per omnem viam monstret, non uno in loco congesta, ut omne iter haberet fabularum diversarum recreationem, cum Euander multa gereret animo quae monstraret aut diceret. *vatis fatidicae:* et deam dixit et matrem et fati- 340 dicam fuisse confirmat haec addendo: *cecinit quae prima*
15 *futuros Aeneadas magnos et nobile Pallanteum:* ipsa, inquit, prima magnos futuros in his terris Aeneadas et nobile Pallanteum cecinit. ecce apertum documentum quod deam et nympham et fatidicam Euander habuit matrem, quod ipsum potuit Aeneas libenter audire, deam quae prima
20 pronuntiasset futuros magnos Aeneadas. quod autem prima hoc ipsum dicta est cecinisse, hanc habet gratiam et fidem, ne praecedentia responsa secuta videatur. *hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum rettulit et gelida monstrat sub rupe Lupercal:* monstravit et lucum,
25 qui postea a Romulo Asyli nomen accepit, monstravit et Lupercal sub rupe gelida. rupes dicuntur saxa inconposita et praerupta et erecta naturaliter in altitudinem inmensam; Lupercal vero illud ostendit unde Luperci et Lupercalia sumpserunt nomen. *Parrhasio dictum Panos*
30 *de more Lycaei:* Parrhasium montem esse memorant et ab eo incolas Parrhasios dictos, Lycaeum adaeque montem,

---

morant, quod cum sequenti lemmate coniunxit V, huc transposui *Romano* ed. 2 *senis* V *Euandri poeta* ed. 5 *deum* ed. 12 *animoque* V ed. 13 *fatis* V. | *et* ante *matrem* om. ed. 19 *audire dea* V *quod* interpos. ed. *a. deam* nos. 22 *videantur* ed. 23 *rumulus sacer* V. 26 *composita* ed. 31 *ab eo* V *eius* ed. | *Lycaeum adaeque montem* om. ed.

unde Lycaeum ferunt extitisse, cuius ex more cultores sacra reddebant Panos, unde singulari numero Pan dicitur;
345 hos enim Arcades plurimum venerantur. *nec non et sacri monstrat nemus Argileti testaturque locum et letum docet hospitis Argi:* monstravit lucum in quo occisus est Argus. 5 sacer, hoc est crudelis et pessimus, unde et „ignis sacer“ (ge. 3, 566) dicitur morbus qui hominem perniciose persequitur, unde et „auri sacra fames“ (3, 57) hoc est detestanda. letum autem ipsius Argi et leti causam referebat Euander, quomodo Argus ex hospite professus sit inimicum, 10 nec eundem Euandrum pudebat hospitis auribus intimare alterius hospitis necem, quoniam reddebatur facti ratio, quod mortis suae ipse extiterat causa et vim pertulisset iustae ultionis qui iniustam paraverat violentiam. testatur locum dixit testimonium adhibens loci, ut probaret 15 scelerati hominis mentem qui hospitalis inmemor religionis non amorem reciprocum, sed hostilem animum scelerate suscepit. *hinc ad Tarpeiam sedem,* ad Tarpeium scilicet montem, *et Capitolia ducit, aurea nunc,* id est cum haec scribebantur, *olim silvestribus horrida dumis:* erant tunc, 20 inquit, in illo loco Capitolia, non aurea, non culta, ut nunc, non magnifica, sed silvestribus dumis obsessa. quod dixit duxit eum ad Tarpeium montem et Capitolia dumis obsessa, fieri non potuit ut senex et qui alieno adminiculo niteretur, maxime inminente iam vespere, iret ad 25 montem et ad loca quae sentes occupassent. ergo intellegendum est possibile aliquid quod possit ex subiectis conprobari, ut monstrando duxisse eum videatur, non ambulando, scilicet ut videret oculis procul quo iri non
350 poterat. *iam tum religio pavidos terrebat agrestis dira* 30 *loci, iam tum silvam saxumque tremebant:* dixit iam tum,

---

1 *parunt* V *ferunt* ed. 2 *numero* V ed. *nominativo*? 3 *hos* V i. e. Parrh. et Lyc. *hunc* ed. 5 *occisus* V *interemptus* ed. 10 *quomodo* V *cum* ed. 12 *quoniam* V *propter quam* ed. 14 *testatur locum dixit* V temere mut. ed. 19 *cum haec scribebantur* V *quum hoc scribebatur a poeta* ed. 25 *ire* V corr. ed. 27 *aliquid* V *aliud* ed. 31 *silvae* V *silvam* ed. *silvas*?

hoc est cum esset locus ille humilis atque desertus, iam habuit numen eratque illic quod terreret accedentis et his incuteret horrorem, maxime rusticanis qui pavore naturali omnia metuunt et universa formidant. hoc genere 5 ostendit numen quod in aureis Capitoliis temporibus Caesaris habitat fuisse etiam tunc cum locus ipse videretur abiectus et conditorem melioris fabricae numini iam illic habitanti detulisse quod fecit, quam numen secutum ambitionis insignia. *hoc nemus, hunc, inquit, frondoso* 10 *vertice collem (quis deus incertum est) habitat deus:* hic manifestius fit non illum circumisse loca singula, sed demonstrasse, cum dicit hoc nemus constitutum in frondoso collis vertice; non enim illo ascenderat. quis deus, inquit, inhabitet incertum est, est illic tamen deus. *Ar-* 15 *cades ipsum credunt se vidisse,* deum, *Iovem:* Arcadibus illic apparuit quod ostenderet deum, interea coniectura currente crediderunt Iovem se vidisse praesentem. dicit unde hoc suspicari potuerint vel certe conicere, tunc, inquit, se vidisse arbitrati sunt, *cum aegida concuteret dex-* 20 *tra nimbosque cieret:* proinde quia Iovis pluviam facit, Iovis tonat, Iovis fulmina emittit et tunc cum hoc fieret visus est, visi sunt sibi deum vidisse in loco, inde crediderunt Iovem illic gratissime commorari. *haec duo praeterea* 355 *disiectis oppida muris reliquias veterumque vides monu-* 25 *menta virorum:* haec duo oppida quae ruinarum labem murorum dissipatione testantur reliquiae sunt veterum conditorum. *hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem:* hanc arcem Ianus, hanc condidit Saturnus. *Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen:* cum dicit fuerat,

---

5 *capitoleis* V. 6 *habitat fuisse* V *habitabat*? temere mut. ed. 8 *habitante* V corr. ed. | *quam* V (pro potius quam more Don.) *quum* ed. | *secutum* V *esset* add. ed. 15 *se vidisse deum iovem* V edI *Iovem* del. edF: *deum* explicat *ipsum, Iovem* lemma est. 16 *interea* V *in terra et* ed. 19 *saepe nigrantem* in lemmate add. ed., sed non explicatur. 20 *iovis* V *Iuppiter* ed. 21 *Iovis tonat* om. edF. | *flumina* V corr. ed. 22 *visus est* V edI *usus est* edF. 28 *arcem* V *urbem* ed. | *hanc — Saturnus* om. ed. 29 *huic illi* V edI corrupit edF.

ostendit etiam nomina cum oppidorum moenibus abolita.
360 *talibus inter se dictis ad tecta subibant pauperis Euandri passimque armenta videbant Romanoque foro et lautis mugire Carinis:* cum haec inter se essent locuti (non enim solus Euander locutus est, sed Aeneas etiam; nam supra dixit 5 (311) „et singula laetus exquiritque auditque virum monumenta priorum“), ad tecta subibant, inquit, non subibant tecta, ut non ingredi, sed iam ut propiores fieri viderentur. pauperis Euandri: hinc Euandri memoria praedicabilis, quod pauper, et inde merito praeferendus, quia magna 10 eius gloria extitit in paupertate regnasse atque in regni potestate positum nec quaesisse nec auxisse divitias; sic tamen pauperem debemus accipere: non egestate oppressum, sed congruentem regi non habuisse substantiam. describit quid sit quod dixit passim vel qualis fuerit ipsa paupertas: 15 passim, inquit, boves errare videbantur in foro, ut per locorum penuriam non esset discretio inter homines et boves et ubi hominum strepitus esse debuerat illic armenta lautis Carinis mugirent. Carinarum fecit commemorationem, ut significaret loci nomen, non ut veras navis in foro 20 fuisse monstraret. *ut ventum ad sedes:* ecce aperitur quod supra dictum est ad tecta subibant, ut non ad ipsa tecta, sed prope ipsa ostenderentur venisse. nunc ergo perventum est ad ipsas sedes, quo facto *haec, inquit, limina victor Alcides subiit, [haec illum regia cepit]:* quoniam non tanti 25 meriti fuerant Euandri, ut per se laudari potuissent, ut factum est cum Latini regia praeferuntur, quaesivit Euander suis laudem ex persona Herculis dicens non tibi sordeat regia mea. hinc debemus nosse qualemcumque domum regis regiam dici posse; regiam enim illam usus hominum 30

---

1 *abolita* V *abdita* ed. 8 *ut non* V *non* om. ed. 10 *praeferendus* V *praeficiendus* ed. 15 *fuerat* V ed. *fuerit* nos. 17 *omnes* V *homines* ed. 25 *haec — cepit* deest in V, sed explicatur. | *tanti meriti* V (scil. *limina*) *tanta merita* ed. 27 *regia praeferuntur* V edI (scil. *limina*) corrupit edF. 28 *dicens* — 29 *hinc* om. ed. 30 *usus hominum oratius* V *usu hominum Vergilius* edF *oratius* H edI *horatius* O.

ornatius vocat, non quae dignitate aut magnitudine operis cetera praecedat, sed in qua commaneat rex. ait ergo haec limina victor Alcides subiit, personam Herculis posuit meritumque victoris, utraque humilibus tectis incongrua, 5 et tamen, cum aliud non esset, illum fuisse contentum ac mentem potius hospitis quam ipsius hospitis angustias tractavisse. haec illum regia cepit: non ideo regiam dixit, quod parietum eius aut cultus aliqua fuisset ambitio, sed tantam illius dei voluit ostendere benivolentiam, ut mag- 10 num putaret quo fuisset ingressus. *aude, hospes, contemnere opes et te quoque dignum finge deo rebusque veni non* 365 *asper egenis:* quantum Aeneae laudibus Euander dedit, quale circa ipsum votum suae mentis ostendit aequando eum Herculi, ostendendo domum suam his vigere auspiciis, 15 ut laetos semper victores excipiat! quod vero ait aude hospes contemnere opes, ostendit contemptum opum esse difficilem, debere tamen tolerari pauperiem ubi de temporali hospitio, non de diuturna habitatione tractatus est. et te quoque dignum finge deo, et sic posito fastu fac 20 quod deus fecit. rebusque veni non asper egenis sic putatur positum, ut ad res egenas non asper veniret, sed non ita est; non enim Euander de egestate, sed de paupertate fatebatur: pauper est enim cui deest maior copia familiaris rei et tamen aliquantae substantiae est, egenarum autem 25 rerum significatio miserias exprimit et mendicitatem plenam. quid ergo adserimus Euandrum dixisse, ut hoc non sit quod ita diximus intellegendum? ne asper venias, inquit, aut offensus ex eo, quod ingrederis pauperis domum; ego enim si copiosus non sum nec abundans pro merito tuo, 30 non sum tamen mendicus aut miser. quapropter cum dicimus rebusque veni non asper egenis, non bis debemus accipere, ut sit non asper veni usurus rebus non egenis. *dixit et augusti supter fastigia tecti ingentem Aenean duxit*

---

13 *aequando* V *quando* ed. 14 *herculi* V *H. compararet* edF. 15 *excipiat* V *aspiciat* ed. 17 *tollerari* V *eum tolerare* ed. 18 *tractatum* ed. 19 *et si* V *et sic* ed. 21 *aspere* ed. 24 *aliquantum sibi* ed. 33 *sup* pro *supter* V.

stratisque locavit: ingentem dixit corpore et dignitate, locavit eum stratis, quo posset vespere iam vergente dormire. dicitur iam quale stratum habuit pauper: *effultum,* inquit, *foliis et pelle.* iacebat vir tantus foliis fultus et pelle, hoc enim solum paupertas potuit exhibere; ne tamen 5 in totum deprimeret quod tanto viro praebuerat pauper, addidit *Libystidis ursae,* ut ex pretio bestiae aliquid stratis ipsis gratiae potuisset accedere.

Nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis: describitur non iam noctis initium, sed nox ipsa plena et tenebris 10 370 densior. *at Venus haut animo nequicquam exterrita mater Laurentumque minis et duro mota tumultu:* in ordinatione verborum huius loci est intellectus; hac enim cessante fiet ut in periculo fili nec animo mota sit Venus et tanto existente tumultu coniurationis Italiae nequicquam vide- 15 atur exterrita. sic igitur currit ordinatio: at Venus mater haut nequicquam animo exterrita minis Laurentum, item haut nequicquam mota tumultu duro. dedit ergo tantum sollicitudini maternae quantum debuit, quae etiam ex levibus causis sunt suspectae pro natis. huius autem men- 20 tem nimius turbaverat terror, cum adversus Aenean tanta ac tam dura pararentur. haec poeta specialiter commemorare non debuit, quoniam superius dicta sunt omnia, scilicet coniurasse omnem Italiam, auxilia multarum gentium catervatim congregata esse cum Turno, venisse etiam 25 Camillam acrem in dimicatione bellorum et venisse cum multitudine instructa, missum quoque ad Diomeden veterem Troianorum hostem. *Vulcanum adloquitur,* fili quidem vitricum, sed tamen maritum suum, tantum habens spei quantum uxor postulans mereri de coniuge debuisset, tan- 30 tum ponens in desperatione quantum ostendebat odium quod inter privignos esse convenit et vitricos. haec igitur

4 *inquit* om. ed. 16 *at* — 17 *nequicquam* corrupit ed. 17 *item aut* V corr. ed. 20 *probatis* V *pro natis* ed. 22 *parentur* V corr. ed. 25 *congregatae* V *-ta* ed. *-ta esse* nos. | *venisse* transpos. ed. 28 *hostem* V edI *h. Venulum* edF. | *volcanum,* sed plerumque *vul-* V.

Venus tractans, se apud vitricum pro privigno inefficaciter locuturam, consulto occasionem temporis rapuit, ut extorqueret fraude quodquod alia ratione non poterat. tempori interea sociavit et locum perindeque personae uxoris loci 5 et temporis suffragabatur occasio. idcirco dixit *thalamoque haec coniugis aureo incipit,* ut inter blandimenta et amplexus ac secreta lectuli ab eo qui poterat nolle alienus extorqueretur adfectus fieretque alio modo possibile quod † odio condicio personarum repugnantium poterat perne- 10 gare. *et dictis divinum inspirat amorem:* persuasione dictorum inspirabat quod se humanis pectoribus divino quodam dono consueverat inserere. divinus amor est quem dat natura cum nascimur, quo fit ut amemus parentes aut liberos, fratres, coniuges et ceteros qui nobis 15 aliqua sanguinis ratione iunguntur. divinus amor non est in amicis et ceteris quos voluntate diligimus aut commodi alicuius aut benivolentiae causa. haec igitur loquendi arte laborat ut talem vitricum redderet quales esse debent patres in periculo filiorum. incipit ergo ductis ex alto 20 principiis loqui ex eo ostendens quam sit difficile privignum iuvari auxilio vitrici, ceterum si hoc non obstaret, debuit uti fiducia coniugis et ab ipsis rebus incipere. *dum bello Argolici vastabant Pergama reges debita casurasque inimicis* 375 *ignibus arces:* dum Pergama, inquit, reges Graeci bello 25 vastabant et arces incendio. vastabant dixit vasta faciebant, quod alio loco (3, 11) dictum est „et campos ubi Troia fuit", ut sic vastata nosceretur in ea nullum fuisse aedificium. debita: hoc dicto adstruit causam non petiti tunc auxilii ipsam fuisse quia ducibus Graecis fatorum 30 ratione Troiae debebatur excidium. *non ullum auxilium*

---

3 *quodquod* ut 9, 89 V *quod quidem* ed. 6 *inter* V *mater* ed. 8 *fieretque* V *que* om. ed. 9 *odio conditio* V *odio* per dittogr. ex *od co* ortum puto *odio condito* ed. 10 *aspirat* ed. 12 *amorem* V *amor est* nos *amor* ed. 15 *non est* V *non* ed. 19 *ducto* ed. 20 *principes* V *-io* ed. 24 *etarci* V *Graeci* nos *Argivi* ed. 26 *campo sui* V. 27 *noscerentur* V corr. ed.

miseris, non arma rogavi artis opisve tuae nec te, carissime coniunx, in cassumve tuos volui exercere labores: nolui, inquit, tunc aliquid petere, quoniam fatis adversantibus perituros iuvare non poteras. *quamvis et Priami deberem*
380 *plurima natis et durum Aeneae flevissem saepe laborem:* 5
licet me, inquit, artaret adfectus quem debebam filiis Priami (hoc propter Creusam potest videre dixisse, quae filia Priami fuit et ipsius Veneris nurus), dolerem quoque vehementer labores Aeneae, nolui tuos labores effundi. ecce ostendit se marito obsequentem ac se hoc genere 10
commendat, quod in petendis beneficiis nec adsidua fuit nec perinde odiosa; neque hoc inpetrandi diffidentia factum, sed ne Troiani cum Vulcani beneficiis interirent. hoc idem illius quoque profecit partibus ideoque adseritur tunc tacitum, ut consilium fuerit siluisse, non desperatio in- 15
petrandi. sic enim provocari ad largiendum praesens beneficium Vulcanus potuit, si verecundiam in eo probasset uxoris, ut mariti operam non inaniter quaereret. non ullum auxilium miseris, non arma rogavi artis opisve tuae: duo proposuit, arma et auxilium, his cito respondit 20
dicens artis opisve tuae: arma voluit pertinere ad artem, auxilium vero ad opem ipsius dei. interea fatis adstruit perisse imperium Troiae, quod ipsius vitio Veneris constabat erasum, ut invidiam fatis tegeret et vitaret. causam fili sui secundam fecit, in qua maximum sustinebat 25
dolorem, quoniam quae potiora sunt melius conlocantur in fine. *nunc Iovis imperiis Rutulorum constitit oris:* ecce necessaria inventio et utilis ad persuadendum; qui enim Iovis imperio ad Italiam venire conpulsus est non iuvabatur in cassum, perindeque constabat et illam oportuno tempore 30
postulare et illum non inefficaciter praestaturum. *ergo*

---

3 *petere* V *a te p.* ed. 6 *quem debebam* V temere mut. ed. 8 *dolorem* V. 9 *laboribus Aen.* ed. 12 *fidentia* V corr. ed. 13 *sed nec* V corr. ed. 14 *illi* V *illius* ed. 18 *uxoris* V *uxori* ed. *uxor* ed. post. 20 *duo* — 21 *tuae* om. ed. 24 *factis* V *fatis* ed. 25 *in quam* V corr. ed. 29 *ad italiam* V *ad* om. ed. 30 *incasum* V.

eadem supplex venio: eadem hoc est quae tunc tacui nunc necessario et oportunius rogo. *[arma rogo] genetrix nato:* dicendo non hominum, sed necessitudinum nomina maiorem miserationem movit ac subtiliter visa est dicere si uxor
5 tua non essem, tamen, quia mater pro filio peto, etiamsi extrario rogarem, mereri debueram. certe quantum fuit subtile removere odiosa nomina vitrici atque privigni! quasi et illud dixisse videretur: ego uxor a te inpetrem pro filio meo quod privigno tuo non fueras praestaturus.
10 arma, inquit, rogo, quibus et ille tutus esse possit et quae tibi sit proclive praestare. *te filia Nerei, te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx:* extranearum personarum datur exemplum, ut quod illis facile praestitum est facilius praestetur uxori. *aspice qui coeant populi, quae moenia* 385
15 *clausis ferrum acuant portis in me excidiumque meorum:* epilogica dictio, quam idcirco ad finem distulit, ut melius partis miserationis inpleret. dicendo autem qui populi et quae urbes multitudinem et feritatem gentium et urbium magnitudinem in pronominibus duobus voluit significare.
20 quod vero inperfecta specie dixit coeant, illud expressit, quod adhuc colligerentur, quae res creabat maximum metum, cum per dies singulos metuenda crescebant. hoc idem significat et acuant; quicquid enim inperfectum est plus habet timoris, dum malorum speratur augmentum.
25 addidit aspice propter fidem dictis suis faciendam, ut probarent oculi eius quae dolentis animum mentemque feriebant. haec omnia clausis portis fieri maiore metu firmabat, insistentibus qui gladios inclusi acuebant, ut nullus sciret quid gererent. in perniciem meam meorumque, inquit, parari
30 universa manifestum est: haec magna arte sunt addita, in me excidiumque meorum; iunxit enim negotio etiam per-

---

1 *venio* V *et sanctum—nato* add. ed. 2 *genetrix nato* pro lemmate scriptum in V *arma rogo* praefixi, quia explicatur. 5 *tua* om. ed. 6 *extranio* V *extrario* nos cf. 1, 359 *extraneum* ed. 7 *nominum* ed. 9 *praestaturos* V. 10 *posset* V corr. ed. 20 *imperfectam speciem* ed. 21 *quares* V corr. ed. 23 *significant* V corr. ed. 24 *sperat* ed. 27 *affirmabat* ed.

sonam suam, ut magis magisque mariti mentem in suas partis adduceret. noverat quippe ipse Vulcanus apud Ilium vulneratam Diomedis ausu, quod cavere debuerat ne iam in Italia fieret. *dixerat et niveis hinc atque hinc diva lacertis cunctantem amplexu molli fovet, ille repente* 5
390 *accepit solitam flammam notusque medullas intravit calor et labefacta per ossa cucurrit:* ecce quantum Veneri profuit observasse loci, temporis et personae rationem; non enim tantum commoverunt Vulcanum Veneris verba quantum necessitas ipsa poscebat. denique posuit cunctantem, sed 10 hoc non fuerat parum; si enim non plene, tamen utcumque commotus est. in huiusmodi cunctationibus quid sperandum sit Terentius docuit qui ait (Andr. 1, 5, 31) „dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc inpellitur". necessarium igitur aliquod fuit inventum, ut 15 dubitantem Venus ab incerta sententia celerius revocaret. ruit, inquit, in amplexus eius uxor et inde magis obtentura, quod pulchra hominem circumdedit brachiis niveis, delicatis scilicet, mollibus. fecit artifex quod alio tempore atque alio loco non poterat. ille vero totis medullis 20 ac membris sic amoris calores accepit, ut nulla pars corporis eius non dissoluta mansisset. tantum potuit fraudis inventio, ut vis flammae per omne corpus perque corporis venas et medullas excurrens totum extorqueret marito cunctanti quod vitricus negare potuerat, accedente etiam 25 notitia veteris adfectus quae in concitandis animis plurimum valet. *non secus atque olim tonitru cum rupta corusco ignea rima micans percurrit lumine nimbos:* poetarum more inseruit conparationem, ut ostenderet qua vi per venas et medullas Vulcani amoris incendia per- 30 volaverint. quemadmodum, inquit, solent missa fulmina ruptis nubibus ire tota celeritate per nimbos. *sensit laeta dolis,* tristis antea de incerto, ubi maritum advertit esse

---

1 *magnis magnisque* V. 3 *vulneratam* V *v. Venerem* ed. | *debuerat* V ed. *deberet?* 4 *nec iam* V corr. ed. 7 *venire* V *Veneri* ed. 11 *utcumque* V *uterque* ed. 17 *fuit* V *ruit* ed. | *obsentura* V corr. ed. 19 *scilicet* om. ed. | *artifex* V *arte* ed.

superatum, *et formae conscia coniunx,* et illum victum esse forma potius quam verbis uxoris, laetata non inmerito est dolos suos plenis effectibus profecisse. *tum pater aeterno fatur devinctus amore:* patrem dixit qui loco
5 patris Aeneae fuerat profuturus, licet illum Venus alia ratione vinxisset. *quid causas petis ex alto? fiducia cessit* 395 *quo tibi, diva, mei?* quae circumitione, ait, uti voluisti verborum dubitasse te de mariti voluntate firmasti. sic exorsus est; quasi non ipse esset qui paulo ante cunctabatur:
10 ita se facilem praebet et tamquam Veneris non intellectus ingenio bonum se satis et benivolum praestat quem fecit libido subiectum! si considerares, inquit, esse te coniugem meam et quid uxor de marito mereatur adverteres, non duceres ex alto principia nec petitionem tuam circumitione
15 munires. diffidentis hoc signum est; numquam enim inter coniunctas religione personas petitionem futuram sermo laboratus antevenit, nisi cum honestatis ratio non suppetit aut destituitur meritis persona poscentis. velim igitur istius diffidentiae nosse rationem cuius erroribus ducta
20 verborum superfluis anfractibus inpetrare contendis quod submota posses loquacitate praesumere. *similis si cura fuisset, tunc quoque fas nobis Teucros armare fuisset:* reprehendendo superioris et praesentis temporis diffidentiam proclivem se monstrat effectum; ait quippe et tunc, si
25 suggessisses aliquid tuis fuisse necessarium, hos possemus conpetenter armare; non enim futurum exitum rerum aliquis poterat nosse. dicendo et tunc ostendit se nihil in praesenti negaturum. *nec pater omnipotens Troiam nec fata negabant stare decemque alios Priamum superesse per*
30 *annos:* hic tractat poeta fatorum vim quidem non posse subverti, posse tamen inminens malum aliqua ratione

---

7 *quae* V cf. 299 *qua* ed. 8 *firmasti* V *ostendisti* ed. 11 *quem* V *quantum illum* ed. 12 *consideraris* — 13 *adverteris* V corr. ed. 19 *istius* V *eius* ed. 21 *loquacitatem* V corr. ed. 22 *repraehendendo* V *-e-* ed. *reprehendendo* nos. 24 *se* V *de se* ed. 25 *possemus* V *potuissem* ed. 29 *negabant* V *vetabant* ed. et Verg. libri: interpretatio utrumque patitur.

differri. etsi peritura, inquit, fuerat Troia, posset tamen aliquanto adhuc tempore perdurare; hoc Iuppiter et fata poterant sinere, si etiam tunc diligentiam habuisses et curam, ut in eo constitueretur beneficii commodum, si
400 quod celerius periit tardius interiret. *et nunc, si bellare* 5 *paras atque haec tibi mens est:* respondit ad praeterita et ad praesentia benignior venit. ita enim et Iliensi bello conprobat utilem se Troianis exhiberi potuisse, si praesenti necessitati spondeat profuturum. si vero, inquit, bellare disponis et huius gerendae rei tua fixa sententia est, *quic-* 10 *quid in arte mea possum promittere curae, quod fieri ferro liquidove potest electro,* ut alterum pertineret ad firmitatem, alterum ad pulchritudinem; plurimum enim terrorem hostibus incutit etiam splendor armorum. ecce plus promisit quam petitus est; debebat quippe postulanti sola 15 arma ex ferro promittere, hic addidit dicens faciam ex ferro et, quod ultra necessitatem est, electro ornabo quod fecero. *quantum ignes animaeque valent:* dabunt, inquit, mecum operam ignes et venti; animas quippe dixit ventos quibus ignis animatur, ut fortius calefaciat ferrum. *absiste* 20 *precando viribus indubitare tuis:* absiste diffidentiam tuam monstrare, dum rogas: proinde, cum quicquid possum tuum sit, remotis precibus utere viribus tuis. *ea verba*
405 *locutus optatos dedit amplexus:* ubi verbis talibus plenos promisit effectus, ivit in amplexus uxoris; per amplexus 25 cetera quoque consecuta intellegenda sunt. *placidumque petivit coniugis infusus gremio per membra soporem:* significatio gremii diversitatem tenet; gremium enim intellegitur non solum sedentis sinus verum etiam quicquid homini ad requiem praestiterit locum. denique hoc ipsum 30 etiam alio loco (1, 691) tetigit poeta, cum de eadem Venere et de Ascanio loqueretur „at Venus“, inquit, „Ascanio placidam per membra quietem inrigat et fotum gremio dea

8 *exhibere posse* V ed. 12 *ut alterum pertinet* V *ut* om. ed. *pertineret* nos. 15 *petitus est* V *petierat Venus* ed. possis conicere *petitum est,* sed cf. 3, 42 *petitur.* 18 *ignis* in lemmate V. 33 *inrigat* V *ingerit* HO ed.

tollit in altos Idaliae lucos": gremium dixit stratum quod paraverat dormituro; item (1, 717) „haec oculis, haec pectore toto haeret et interdum gremio fovet", hoc est reficit sinu quasi eum qui pedibus suis pervenisset ad
5 patrem; et (ge. 2, 326) „coniugis in gremium laetae descendit", quia, cum pluit, excipit terra quicquid de summo descenderit. ecce et hic coniugis in gremium memorat infusum Vulcanum, hoc est totum proiectum in corpus uxoris. bene posuit infusum in uxoris sinum, quia supra
10 dixit (388) „ille repente accepit solitam flammam notusque medullas intravit calor et labefacta per ossa cucurrit". infusus est ergo quem amoris liquefecerat calor.

Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae curriculo expulerat somnum: ubi, inquit, medium noctis ex-
15 actum est et satiatus somno vigilavit. nondum conpleto sensu quo ostenderet poeta Vulcanum surrexisse ad conficiendam armorum fabricam induxit in medio conparationem et fecit saltum peractaque eius descriptione rediit ad eundem: *cum femina primum, cui tolerare colo vitam*
20 *tenuique Minerva, inpositum cinerem et sopitos suscitat* 410 *ignis noctem addens operi famulasque ad lumina longo exercet penso, castum ut servare cubile coniugis et possit parvos educere natos, haut secus ignipotens nec tempore segnior illo mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.* 415
25 quemadmodum solet femina labore et honestate lanificii necessitatibus domesticis subvenire, non turpibus lucris, castum servatura mariti coniugium et pastura liberos suos, non gravatur vigilare per noctem, conficere ad lumen stamina et exercere famulas suas, sic et Vulcanus placi-
30 turus uxori mollia strata deseruit laborem praeferens vo-

---

1 *tulit* V. | *italiae* V. | *spytum quod* V *sinum quem* ed. *stratum quod* nos. 3 *haberet* pro *haeret* V. 5 *laete* V *late* ed. 6 *conpluit* pro *cum pluit* V. 7 *discenderet* V. 11 *calor inlabefacta* V (supra recte). 12 *infus ē ergo quem* V corrupit ed. 20 *positos* pro *sopitos* V. 21 *et lumina* V (in interpr. *ad*). 22 *posset* V. 24 *e* om. V. 25 *lanificiis* ed. 26 *turpibus lucris* V *temporibus lucis* ed.

luptati. ut instantiam Vulcani in armorum praeparatione poeta describeret, conparavit ei feminam pauperem, quae non tantum alimoniae suae verum etiam natorum sollicitudine tangeretur et castitatem maritali toro debitam cuperet custodire. huic famulas dedit, quas nos manus 5 debemus accipere quae ancillarum vice laborabant: ceterum unde illi ancillarum substantia fuit, cum ipsam describat inpositum cinerem et sopitos ignis suscitare neque ad lucernam, sed ad lumen suscitati ignis operari? adicit facti ipsius causam, in qua vera pauperies demonstratur, 10 castum ut servare cubile coniugis et possit parvos educere natos: melius existimans lanificio et labore victum, qui non erat liberis parvulis, quam corrupta et violata matrimonii fide conquirere. ecce quantum animus amoris, quantum proficit artificium Veneris: excitatur Vulcanus 15 noctis medio, relinquitur pulchra uxor et blanda, talis feminae deseruntur amplexus, praeponitur quieti labor, caelo spelunca et strato molli contempto fabrilis artis difficultas eligitur. hoc enim desiderabant ratio temporis et graves aestus uxoris, ut submota omni segnitia per- 20 fectis oportune armis gratior rediret ad coniugem. describitur locus in quo Vulcani fuerat officina: *insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque erigitur Lipare fumantibus ardua saxis, quam supter specus et Cyclopum exesa caminis* 420 *antra Aetnaea tonant validique incudibus ictus auditi re-* 25 *ferunt gemitum striduntque cavernis stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat, Vulcani domus et Vulcania nomine tellus.* quid de tali loco exire potuit vel sonare nisi fumus, ignis et gemitus strepitusque tundentium ferrum? Lipare, inquit, insula fuit iuxta finis Siciliae, hoc est 30

---

1 *in* om. ed. 5 *nocte vigilantes quae* pro *quas* — 6 *vice* substituit ed. 6 *ceterum* — 9 *operari* om. ed.: ad *inpositum cinerem* cf. Serv. et Serv. Dan. 11 *posset* ut in lemmate V corr. ed. 16 *blanda* V *blandi* ed. 18 *speluncam* V corr. ed. 19 *elicitur* V corr. ed. 20 *segnitie* ed. 23 *lipare* V firmatur interpretatione *Liparen* ed. 25 *incutibus* V. 26 *gemitum* et infra V *gemitus* optimi Verg. libri.

oportune proxima. deinde adludit ex his quae in eadem vertebantur: Aeoliae illa adhaeret, inquit, scilicet propter ventorum necessarium flatum, et ipsa in sublime tollitur saxis fumantibus et in altitudinem suapte natura per-
5 ductis. quid illic mature non fieret ubi cum artificis nisu in effectus celeris etiam natura certabat? quam supter specus et Cyclopum exesa caminis antra Aetnaea tonant; in locis enim vacuis et inanibus atque conclusis nata vox aut emergens strepitus duplicatur, denique non sonant
10 dixit, sed tonant. validique incudibus ictus, validi ictus, utpote Cyclopei, auditi referunt gemitum, incussi ictus audiebantur cum inliderentur, inlisi tamen non sonitum, sed gemitum revocabant. magnitudo speluncae descripta est propter multorum operum molem et operantum Cy-
15 clopum vastitatem. striduntque cavernis stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat; ferrum quippe cum calidum igni exarserit, stridit, ignis autem adsiduis ventorum flatibus verberatus anhelitum quendam spirat ac mittit. Vulcani domus ac Vulcania nomine tellus: aptus locus in
20 quo Vulcanus commorari debuisset et regio ipsa conveniens quae non inmerito Vulcania diceretur. *hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto:* augmentum illorum est quae superius dicta sunt, relictam coniugem formosam et blandam, stratum molle medio noctis desertum, laborem deliciis
25 praepositum. Vulcanus enim in tali negotio et urgente tempore, in ea causa quae vehementer urgebat, uxore in periculo fili suspensa non misit aliquem, sed ipse caelo relicto perrexit. hoc cum pronuntiamus producenda est o, non ut adverbium loci sit et fiat vitium, sed sit hoc caelo

---

2 *aeolia illic adherit* V *Aeoliae illa adhaeret* nos *Aeolia illic erat* ed. 5 *quid — fieret* om. ed. | *ubi* V *ibi* ed. 6 *supter* V *subtus* ed. 11 *audit ire referunt* V. 16 *validum* V ed. *cal.* nos an *valido*? 17 *autem* V *a. quum* ed. 18 *verberatus* V *-tur* ed. 22 *est* om. ed. 28 *cum pronuntiamus* V *est pronuntiandum* ed. | *producenda est o ut* V ed. *non* post *o* inserui, quoniam a Donato *hoc* cum *caelo* coniungi sequentia docent, sed dubito an potius *producendum est non ut* scribendum sit. 29 *et fiat* V ed. *ne fiat* ed. post. | *ut sit* V ed. *sed sit* scripsi.

id est eodem in quo gesta sunt quae superius dixit: ceterum, si speluncae locum significare voluisset, diceret huc descendit. *ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,*
425 *Brontesque Steropesque et nudus membra Pyragmon:* cum venisset ad speluncam, invenit Cyclopes in aliis operibus 5
occupatos, quae res futuris rebus addidit gratiam; inventum est quippe quod propter Aeneae meritum postponi debuisset. verum quia supra dixit antra Aetnea tonant, dat Cyclopibus nomina, quae tonitruis et motibus caelestibus convenirent: Brontes a rugitu qui existit cum 10
fabricae opus exercetur et velut tonitrua meditatur, Steropes propter scintillas quae in modum stellarum mittuntur cum ardens massa contunditur et Pyragmon nudus propter ignem sine quo duci in formas ferri species non potest. quod ait nudus, ad tris Cyclopes intellegendum est per- 15
tinere. (non enim unus operam fabricis dabat nudus vestitis aliis) ac per hoc nudus Brontes, nudus Steropes, nudus Pyragmon ferrum exercebant simul omnes. *his informatum manibus iam parte polita fulmen erat, toto genitor quae plurima caelo deicit in terras, pars inperfecta manebat.* 20
430 *tris imbris torti radios, tris nubis aquosae addiderant, rutili tris ignis et alitis austri, fulgores nunc terrificos sonitumque metumque miscebant operi flammisque sequacibus iras. parte alia Marti currumque rotasque volucris*
435 *instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbis, aegidaque* 25
horriferam, turbatae Palladis arma, certatim squamis serpentum auroque polibant conexosque anguis ipsamque in pectore divae Gorgona desecto vertentem lumina collo: omnium istarum specierum descriptio non inaniter posita est; inde enim crescit Aeneae meritum, cum ipsi necessaria 30
divinis praeponuntur operibus, et inde maior eius gloria est, cum ipsius primo perficienda mandantur tantorum deorum speciebus sine aliqua perfectione reiectis. idcirco

---

7 *quod* V *ut* ed. 21 *nubes* V. 22 *fulgore* V. 26 *horrificam* ed. 28 *gorgonam* V. 29 *starum* V. | *non inaniter* V *ad laudem* ed. 31 *p[illegible]ponuntur* V corr. ed.

sic Vulcanus exorsus est dicens: *tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores, Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem.* cuncta, hoc est universa quae speciatim superius enumeravit fuisse in manibus Cyclopum. ecce 5 quantus ardor perficiendi quae uxor postulaverat filio suo. iubentur omnia removeri nec saltem persona Iovis excipitur qui deorum omnium retentat imperium. cumque adloqueretur Cyclopes et removenda universa praeciperet et remotionis ipsius causas mutare cogeretur et dicere, non 10 prius aliquid protulit quam commendaret attentius audienda quae fuerat narraturus. Aetnaeos Cyclopes laudis causa posuit; hoc enim illi honore gloriabantur. debuit quippe hoc genere etiam benivolos facere, ut lenitas laudis auctoritatem iubentis attolleret. *arma acri facienda viro:* 15 quam cito et quid fieri oporteret dixit et tetigit licet sub generalitate personam adserens acrem, ut in eo exprimeret qualia arma fieri conveniret! interea cum haec loqueretur et removenda universa mandaret et remotionis ipsius causas ecferret, quod secretum inter se et uxorem suam fuit 20 brevitatis ratione ductus simul et pudoris sui causa contexit. turpe enim fuit dicere et satis prolixum: uxor mea petiit ut filio eius arma faciam, idcirco veni, ne animum ipsius laedam, si non fecero aut tardius fecero. omnia igitur pressit nec Venerem in eo nec Aenean nominavit, 25 ne in causa privigni, qui ei per naturalem malitiam carus esse non potuit, uxorium se magis ostenderet et probaret. ait igitur: est vir acer cui volo arma fieri. virum dixit, qualem in themate posuit dicens „arma virumque cano“; viro enim etiam hoc loco dixit, non ut sexum significaret, 30 sed meritum laborum eius et corporis. denique acri addidit, ut ostenderet dignum quem ipse Vulcanus armaret, ut merito videretur dixisse cuncta et omnis de medio

5 *pro filio* ed. 7 *retinet* ed. 9 *mutare cogeretur edicere* V *m. c. et dicere* nos *mutaret et c. edicere* ed. 10 *commendaret* V *moneret* ed. 17 *haec* om. ed. 20 *brevitate rationis* V corr. ed. 24 *praessit* V *expressit* ed. 29 *viro enim* V *virum e.* ed. 30 *laborum* om. ed. 32 *cuncta* V ed. desideratur *tollite.*

coeptorum operum labores auferte. *nunc viribus usus, nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra:* tria posuit, viris, manus et artem; his enim ferrarium opus potest explicari. *praecipitate moras:* in beneficiis quippe vel maxime belli praestandis non solum factum sed et facti 5 ipsius maturitas grata est. praecipitate moras ad omnia pertinet, hoc est et ad remotionem specierum et ad fabricam et ad pulchritudinem armorum. solet enim diligentiam mora comitari; ubi enim volumus aliquid rectius fieri, necesse est interveniat mora, quae ne fieret, prae- 10 venit dicens non tantum bene fiant quae iubeo verum etiam cito. *nec plura effatus:* tanta quippe necessitas fuit, ut necessaria potius strictim quam superflua plurimis dici debuissent, vel maxime cum brevitas ipsa nihil subtraxerit causae, cum dictum sit fiant arma magistra arte, hoc est 15 fortia et decora, et omni maturitate conpleantur. *at illi ocius incubuere omnes:* hic ostensa est mandatorum memoria et iubentis auctoritas. omnes simul laborem adgressi sunt, hoc est nullus ipsorum remansit in mora et cum omni celeritate incubuerunt; hoc enim maxime inter 20 mandata Vulcanus dixerat curandum. quod ait incubuere, ostendit Cyclopes opus iussum totis viribus adgressos.
445 *paritcrque laborem sortiti:* in hac enim arte ut in aliis diversa sunt officia faciendi, quae in unum dehinc collecta unam speciem reddunt. necessarium igitur laborem sortiti 25 sunt, hoc est sortis iudicio diviserunt. *fluit aes rivis aurique metallum vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit:* inter fluit et liquescit plurimum differt; fluit enim quod sic solvitur, ut currat effusum, denique fluit, inquit, rivis, scilicet ut aqua, hoc pertinet ad aes atque aurum; 30 ferrum vero, quoniam est naturae durioris, liquescit dixit, hoc est tantum mollitur, ut perdita duritia qua est in incipientem liquorem vi caloris artetur, ut neque constric-

---

5 *maximi* V corr. ed. 7 *speciem* V corr. ed. 12 *fuit* V *demonstrata est* ed. 16 *maturitate* V *perfectione* ed. 27 *vastat omace* V. 31 *naturae* V *materiae* ed. 32 *duritia qua est in insipientem* V *incipientem* nos temere mut. ed.

tum sit neque fluere possit ut solutum. ecce dixit quomodo laborem operis divisissent. alii, inquit, conflabant aes, alii aurum, alii ferrum molliebant; non enim fieri poterat ut diversi generis metalla in unam fornacem con-
5 gererentur, sed ut omnia uno tempore futuris speciebus parata praevenirent. alii igitur aliis operam dabant. unam interea fornacem, quam dixit vastam, sic debemus accipere, ut una singulis, non omnibus pariter videatur fuisse deputata perindeque ut una auri fuerit, alia aeris,
10 alia ferri: vulnificus chalybs: tunc vulnificus, quia propter fabricandos gladios parabatur, ceterum, si eat in navale opus aut rusticum aut simile aliud, non erit vulnificus. *ingentem clipeum informant:* hic simul sunt omnes, ut informetur una species maior. *unum omnia contra*
15 *tela Latinorum:* exposuit quod dixit, ingentem clipeum quo posset gestator occurrere, etiamsi Latinis omnibus simul iacere tela placuisset. sed hoc ex persona poetae debemus accipere, ceterum nesciebant Cyclopes cui vel contra quem arma illa pararentur. post scuti igitur
20 formam textura eius consequenter ostenditur: *septenosque orbibus orbis inpediunt.* quattuordecim circulis sic clipei textura currebat ordinatis orbibus, ut se invicem nectere et inpedire viderentur. incipit rursum exponi quid sit pariterque laborem sortiti: *alii ventosis follibus auras ac-* 450
25 *cipiunt redduntque.* non quod ventum habeant, folles ventosi dicti sunt, sed quod ventum emittant, ubi auras acceperint, ceterum, si non moveantur, nullus ex ipsis ventus existit. *alii stridentia tingunt aera lacu:* emittit quippe stridorem ferrum accensum, cum in aquam fuerit
30 missum. *gemit inpositis incudibus antrum:* gemebat omne antrum crebro verberatis incudibus. *illi inter sese multa*

---

3 *molebant* V corr. ed. 6 *pervenirent* ed. 10 *vulnificus chalibs* V *que* inseruit ed. 11 *eat* V *erit* ed. 14 *informaretur* ed. 16 *quo* V *ut* ed. 17 *placuisset* V *contigisset* ed. | *hoc* V *haec* ed. 20 *textura* V *contextus* ed. 22 *currebatur* V corr. ed. 23 *videretur* V corr. ed. | *exponere* ed. 26 *admittant* ed. 30 *incibub* pro *incudibus* V.

vi bracchia tollunt in numerum versantque tenaci forcipe massam: in numerum tundebant, in numerum massam versabant, ordinatis scilicet vicibus feriendi atque versandi, ne ictus inliderent ictibus aut massam tempore inportuno converterent. quia incudibus dixit pluralem 5 numerum tangens et hic singulari numero posuit forcipe et massam, responsum omnibus incudibus debet intellegi. non enim unam massam plurimi tenebant aut versabant, sed qui singulis incudibus praeerant aut tundebant malleis aut unusquisque massam quam in opere habuit 10 forcipe versabat.

Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris: ex Aeneae vitrico patrem fecerat dolus uxoris; denique patris ad plenum dum fungeretur officio, et perficiendis armis 455 instantem operam dabat. *Euandrum ex humili tecto lux* 15 *suscitat alma et matutini volucrum [sub culmine cantus]:*

Deest interpretatio usque ad versum 729.

730 . . . . scientia futurorum. attollens famamque et fata nepotum: laetabatur, futurorum nescius, portans posterorum suorum fata et multorum curricula saeculorum, 20 atque haec uno umero atque uno scuto. quantum ad clipei rationem pertinet, quod sub Aenea factum adseritur, futura continebat, sed omnia temporibus Caesaris praeterita et iam facta numerabantur. quae futurorum praescius Vulcanus in clipeo expresserat, poeta vero de rebus 25 iam gestis et ipsis triumphis Caesaris doctus praecipua inventione textum ipsum descriptionemque conplexus est, ut Caesaris praesentis gesta laudaret.

---

2 *tendebant* ed. | *massam* V *maxima* ed. 6 *forcipem* ed. 7 post *massam* quinque versus et dimidium in fine folii 90 Bb nulla causa vacuos reliquit V, nam quae sequuntur in principio folii 91 Aa *responsum* etc. nec sensus nec structurae hiatum produnt. | *incudibus* om. ed. 10 *malleis* V *in alveis* ed. 15 *instanter* ed. 16 *volucrum* lemmatis finis in V. 17 deficientis usque ad v. 729 interpretationis nulla significatio in V. 18 *scientia futurorum* ad v. 730 pertinere ratus distinxi. | *famam* ed. 24 *etiam* V ed. 26 *doctus* V *docta et* ed. 28 post *laudaret* sequitur quae solet subscriptio: *Tiberi Claudi Donati* etc. *Aeneidos liber VIII explicit incipit liber nonus feliciter.*

AENEIDOS LIBER IX.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur: cum haec, inquit, in interiore et longiore parte agerentur, hoc est cum armis caelestibus et auxiliis instrueretur Aeneas, quos actus habuerit Turnus poeta describit. vult enim ostendere con-
5 paratione facta qualis Aeneas in cogitationibus belli, qualis fuerit Turnus. in prima quippe parte octavi libri (26) conpetentem viro Dardanio sollicitudinem dedit describens eum sic tota mente fuisse suspensum, ut, cum esset nox et omnia silentio et somni requie tenerentur, solus ipse vigilaret
10 sub caelo et loco gelido constitutus, procumbens in ripa fluminis, non iacens, ubi ex vicinitate frigidarum aquarum acerrimum frigus et durissimum fuit, tardiusque dormisse, non voluptatis, ut apparuit, causa, sed ut cum eo deus ex occasione loqui eumque securum reddere et firmare
15 consilio potuisset. ecce et hic laborem maximum suscepit, perrexit ad remotas penitus partis, scilicet venturus instructior. interea propter eos qui ab intellectu manifesto diversi sunt et putant diversam partem quasi adversariorum dixisse Vergilium addamus exemplum, ut ostendamus
20 diversa parte longius separata significare. quippe in quinto libro (166) ait „quo diversus abis? iterum pete saxa, Menoete“, hoc est plurimum a meta et cursu necessario separatus. item in hoc libro (691) sic positum est: „ductori Turno diversa in parte furenti“, hoc est a Troia-

---

1 *utque* ed. 2 *in interiore* V *diversa* ed. | *longiora* V *-ri* ed. | *egerentur* V *agerentur* ed. *gererentur*? 5 *belli* V *b. et* ed. 10 *in ripam* V, sed in VIII *in ripa.* 14 *formare* V corr. ed. 24 *ductori Turno* om. ed. | *diversa parte* V, at v. 691 *d. in p.* | *a* om. ed.

norum castris longe discreta, „turbantique viros perfertur nuntius hostem fervere caede nova et portas praebere patentis“. non enim mitteretur nuntius nisi ad eum qui longius ageret et cum suis talia geri nesciret. et in praesenti probat poeta ipse quid sit diversa parte; nam sic induxit Irim loquentem, ut ipsa exponat quid sit hoc ipsum, ut omnis ambiguitates excludat. *Irim de caelo misit Saturnia Iuno audacem ad Turnum; luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat:* ecce cum ea quae diximus Aeneas gereret, cum cautiorem Turnum facere debuisset inimici vicinitas tanta, sedet nullaque bellici certaminis tangitur cura. sedere autem, vel maxime hoc loco, non tantum corpore verum etiam otiosum animo esse significat. volunt tamen aliqui quasi tractatibus necessariis vacantem dictum, sed non ita esse multis documentis apparet; nam et illius quoque inertia vult poeta per conparationem Aeneae laudes attollere. denique ut Aenean ipsum praetulit a loco et frigore fluminis, sic huic a loco obtrectationem conflat: sedebat, inquit, et sedebat in luco, ut amoenitas eum et opacitas nemoris delectaret, et tunc sedebat cum pro ratione suspecti temporis discursibus necessariis vacare debuisset. sedebat in luco parentis Pilumni, quasi demum illum aut Pilumnus mortuus aut vallis consecratio iuvare potuisset. hunc igitur usque adeo poeta desidem notat et in periculo suo satis incautum, ut ipsi quoque Iunoni displicuisset; nam haec fuit causa ut ad eum Irim mitteret, quae torpentem ad aliqua facienda conpelleret. cumque hoc esset satis notabile, addit ei et crimen audaciae; non enim hoc faceret Iuno, si ille in periculo positus partis suas recte tractaret. audacem ergo inconsultum et temerarium accipiendum est; nam qui tales sunt, ut incerta pro certis teneant, non possunt videri probatae sententiae. ipsa quoque Iris reprehensionem eius loquendo prosequitur et incusat ignavum.

2 *hostes* V, at v. 692 *hostem.* 11 *vici tanta* V *propinquitas* ed. | *sedet* om. ed. | *nulla* ed. 15 *dictum* V *dici* ed. 17 *extollere* ed. 34 *ignaviae* ed.

Turne, inquit, *quod optanti divum promittere nemo auderet,* 6
volvenda dies en attulit ultro: Turne, ait, qui saluti tuae
profutura tractare non nosti, ultro occurrisse non sentis
quod optatum multiplicibus votis, etiamsi faverent nu-
5 mina, praestare non possent? non arripis quod sponte
detulit dies oportuna, dum volvitur? *Aeneas urbe et*
sociis et classe relicta sceptra Palatini sedemque petit
Euandri; nec satis, extremas Corythi penetravit ab urbis 10
Lydorumque manum, collectos armat agrestis. quid dubitas?
10 *nunc tempus equos, nunc poscere currus. rumpe moras*
omnis et turbata arripe castra: haec dictio intellectum
multiplicem tenet; habet enim ex una parte exhortationem,
terrorem vero et obiurgationem ex aliis. nam quod dicit
Aenean longinqua petivisse tanto labore, ut usque ad
15 Euandrum Tyrrhenosque pervenire potuisset, obiurgatio
eius est qui nesciebat inimici tractatus et gesta. ille
enim inpiger vigilabat providens partibus suis, Turnus
sedebat periculum suum non cogitans, trahens otium quasi
quietis omnibus. quod vero armari populos, cogi dixit
20 agrestis ad bellum, iniciendi terroris causa est. exhorta-
tionis partes sunt hae, quod relictis urbe, navibus, sociis
longinqua penetravit Aeneas, tempus esse ut, antequam
instructus veniat, invadantur praesentes, quorum rector
abscessit. quod ipsum confirmat consilio profuturorum,
25 ut qui securus cum auxiliis venit suorum stragem fune-
raque reperiat eoque fiat ut qui novorum accessu dupli-
caturum se credebat exercitum solos inveniat superesse
quos ducit. rursum ex eo inicit metum; nam si bene-
ficium est quod Aeneas videbatur abesse, apparet eum
30 ferri non posse, cum instructior venerit. ecce quanta

---

2 *ait* V *inquit* ed. 6 *volvitur* V *se volverit* ed. 13 *alia* ed. 14 *longinquum* ed. 16 *gesta* V *res gestas* ed. 17 *impigre* ed. 19 *cogi* V *et c.* ed. 21 *quod* V *et* ed. | *sociis* V *ac s.* ed. 22 *monet igitur Iris* ante *tempus* interpol. ed. | *esse* V ed. fortasse *est ait?* 25 *venit* V *venerit* ed. 26 *qui norum* V *qui novorum* nos *sicut* ed. 27 *solus* V corr. ed. 29 *eum ferri* V *id fieri* ed.

Aeneae praedicatio: solus abest et omnium Troianorum spondetur interitus, quasi demum ipse omnis et defensare possit et tegere, solius rursum timetur adventus, ne rebus integris redeuntis impetum Turnus sustinere non possit. haec ut apertius exponantur, ipsa singillatim Iris 5 verba tractemus. Turne: coepit a nomine, quasi excitaret dormientem. quod optanti divum promittere nemo auderet, volvenda dies en attulit ultro: nihil interim specialiter indicando fecit attentum simulque commendat quod erat dictura, magnum esse, utile, necessarium et omni celeritate 10 rapiendum. attulit tibi, inquit, volubilitas dierum quod, si a numinibus multis precibus posceres, nec consequi posses nec illi praestare valuissent. Aeneas: est magnum pondus in nomine; qui enim metui, qui tueri socios, qui armis obtegere propria, qui obsistere audentibus posset 15 urbe et sociis et classe relicta discessit atque ita, ut ad longinqua et procul remota tetenderit. unde magnum beneficium tuis quaesitum est commodis, quod abest et omnia sub tua ditione deseruit. urbe inquit, ipsa scilicet prima in qua fuit virgo, quae patre ac Troianis oppressis 20 potuit tolli; nam quid profuit facta urbis commemoratio, nisi quia fuit in ea quod specialiter Aenean ferire potuisset? sociis et classe relicta: quam plena victoria quaeri possit ostendit, si interciperentur naves et omnis interiret exercitus. diximus quae dimisit Aeneas, dicamus ad quae 25 perrexit. in his quippe et maior metus potest ostendi et obtinendi Turno maior occasio. sceptra Palatini sedemque petit Euandri; nec satis, hoc est non eius intentioni sufficit usque eo tetendisse: extremas Corythi penetravit ad urbis Lydorumque manum, collectos armat agrestis: 30 armat Lydorum manum, armat collectos agrestis metus est ingens, quia adducturus est tantos, occasio autem faciendi, quia longe est. sceptra Palatini sedemque petit

---

2 *spondetur* V *timetur* ed. 3 *solius* V *s. Aeneae* ed. 16 *ad* om. V ed., sed cf. v. 150. 22 *aenean ferre* V *Ae. ferire* nos *Aeneas ferre* ed. 23 *quam* V *quod* ed. | *quaeri* V *potiri* ed. 24 *nisi* V ed. *si* nos. 32 *ingens* — 33 *longe est* om. ed.

Euandri potuit leve esse et minus formidolosum, quia sciebat Turnus Euandrum non magnis opibus fultum. addit extremas Corythi penetravit ad urbis: nec dixit quas nec dixit quantas; in hac enim infinita generalitate
5 metus esse potuit maior. Lydorumque manum, collectos armat agrestis: Lydorumque manum armat, collectos agrestis armat, ut non idem sint Lydi et idem agrestes; quanto enim fuerint divisi per partis, tanto crescit formido terrentis. separandi urbani sunt populi et separandi
10 agrestes. denique et ipsa verba hoc monstrant; nam Tyrrhenam manum dixit feminino genere et collectos agrestis masculino et manum dixit singulari numero et collectos agrestis plurali: proinde separanda sunt haec, ne collecta atque coniuncta vitium per genera et per numeros
15 faciant. quid dubitas? dubitare timentis est signum: tanta, inquit, personae et temporis occasio non est deliberationibus differenda; non enim tractandum est faciendumne sit aliquid an non faciendum. iam dicit quid faciendum sit, ne ille in capiendo consilium perderet
20 tempus. nunc tempus equos, nunc poscere currus, rumpe moras omnis et turbata arripe castra: iam, inquit, debes equos et currus petere et arripere castra turbata. turbata dixit indisposita et sine rectore. *dixit et in caelum paribus se sustulit alis ingentemque fuga secuit sub nubibus* 15
25 *arcum:* ubi inplevit partis suas, obiurgavit Turnum, terruit, instruxit, hortata est et quid facere deberet ostendit, alis paribus remeavit ad caelum. bene addidit paribus, nisi enim pari nisu volatum praestare non possunt; nam si una est debilis, incolumis vero alia, perinde sunt ac si ambae
30 vexatae sint. *agnovit iuvenis duplicisque ad sidera palmas sustulit:* duplicis dixit, non duas; neque enim ultra duas

---

1 *esse* om. ed. | *formidolosum* V *f. videri* ed. 4 *infinita* V *infima* ed. 6 *Lydorumque* — 12 *masculino et* om. ed. 13 *ne* post *coniuncta* transpos. ed. 16 *non enim* V *non est* ed. 17 *deferenda* V corr. ed. 19 *in* om. ed. 24 *substulit* V. | *saevit* pro *secuit* V. 26 *alis paribus* V *aliis partibus* ed. 27 *addidit paribus* V *a. p. alis* ed.

habuit aut habere potuit; sed ambas simul erexit, quod fuit signum plene agentis gratias. *et tali fugientem est voce secutus:* eo istud pertinet, ut ostendat repentinam precem, non meditatione collectam. denique tanta fuit celeritas subsecutae vocis, ut fugientis abscessum, hoc est 5 celeriter recedentis, vox supplicis fuisset subsecuta. quam iucunda autem gratiarum actio est, quando Iris ante invenit qui gratias ageret quam ipsa ad sedem propriam revenire potuisset! *Iri, decus caeli:* in brevitate ista putamus exiguum quid de Iris laudibus dictum, cum sint 10 plenae et novo genere praedicationis expressae; voluit enim definire in laude ipsa Iris quid sit et in ipsa definitione totam conplexus est laudem, Iris, inquit, decus caeli. ornare caelum quanti est meriti, pulchritudinis quantae, ubi tot sidera suo quaeque splendore radiantia 15 parent soli! et tamen, cum Iris extiterit, omnia illa cum ipso sole vincuntur. neque enim obscuratur radiis solis, sed coloribus diversis pingit caelum et ipsum solem gratia fulgoris exuperat. haec pro voluntate dicta sint eius qui agebat gratias, non quo revera ipsa sit potior sole. 20 *quis te mihi nubibus actam detulit in terras?* intellego, inquit, multum me meruisse de superis, quod dimissis regionibus caeli quorum es ornamentum ad terras mei causa venire potuisti ac mei causa viduare tuis ornatibus quod decorare consuesti: quis iste est deus quo auctore 25 20 in haec loca venisti? *unde haec tam clara repente tempestas?* hoc iam ad Irim non pertinet; conpleto enim eo quod ad ipsam loquebatur disputare coepit de diversis motibus caeli. unde, inquit, haec repentina tempestas? et cur clara, hoc est sine caligine aut nubis alicuius 30 obtentu? *medium video discedere caelum palantisque polo*

---

1 *aut* V *neque* ed. 2 *et tali* V *ac t.* ed. 3 *pertinet* V *tendit* ed. 6 *supplicis* V *Turni* ed. 10 *quid* — 11 *expressae* temere mut. ed. 13 *iris* V *Iri* ed. 15 *qu//eque* cum rasura V *quoque* ed. 17 *enim* om. ed. 19 *sint* V ed. *sunt*? cf. v. 743. 23 *aterras* V. 25 *quod* V edI *caelum quod* edF. | *consuevisti* ed. | *quis* — 26 *venisti* om. ed. 31 *discendere* V.

stellas: cur rescinditur sine nubibus caelum? cur reductis hiatibus aperitur? cur stellae radiis solis ex more non cedunt et rupta lege naturae alienis temporibus in lucem venire non dubitant? cum haec tractaret, collecto eo quod
5 tot signa monstrabant incipit iudicare de omnibus. *sequor,* inquit, *omina tanta, quisquis in arma vocas:* in illis signis facile fuit sententiam dicere, quia bellum iam in manibus fuit. et tamen iste non tam futurum bellum dixit ostendi, sed eventus eius prosperos demonstrari. itaque ait in
10 campum vocor, sequor provocantem, quoniam laeta nuntiantur et prospera. fecit haec vel potius dixit hominum more, ut pro se intellegeret quod rerum exitus probavit adversum; signa quippe illa constabat esse contraria, sed Turnum gratiosa coniectura fallebat qua putabat interitum
15 hostibus, non sibi portendi et provocanti inminere perniciem, quia dixit sequor omina tanta, quisquis in arma vocas, cum ipsum constaret priorem arma sumpsisse. *et sic effatus ad undam processit summoque hausit de gurgite lymphas multa deos orans oneravitque aethera votis:* fecit
20 Turnus quae solent facere qui dubia subituri sunt; tunc enim uberius rogant, tunc numinibus potiora persolvunt et maiorem sibi favorem superum promerendo conciliant.

Iamque omnis campis exercitus ibat apertis, dives 25 *equum, dives pictai vestis et auri:* iamque celeritatem
25 significat executionis, quia dicturus fuerat exercitum omnem semel effusum; maiorem quippe multitudinem camporum maior potuit capacitas ferre. campis apertis dixit in magnam latitudinem iacentibus, nullo inpedimento lignorum aut speciei alterius. dives equum, dives pictai
30 vestis et auri; pretium enim et multitudo cultus in bello

---

3 *natura* V corr. ed. 4 *tractarent* V ed. corr. ed. post. 7 *iam* om. edF. 8 *futurorum* V ed. corr. ed. post. 11 *haec* V *hoc* ed. | *qui* V ed. *quia* ed. post. *vel* nos (an *quin potius* cf. v. 73? sed nullum est augmentum sententiae). 13 *constabant* ed. 14 *qua* V *quia* ed. 21 *tunc numinibus* V *quum n.* ed. 24 *ventis* pro *vestis* V. | *celeritatis* ed. 25 *executio* V *-tionem* ed. | *qui* V *quia* nos *eius qui* ed. | *ducturus* ed. 28 *iacentibus* V ed. *patentibus*?

auget hosti terrorem. dixit ire exercitus, qua pergerent, qui cultus, qualis eorum esset incessus: nunc describere incipit a quibus illa multitudo ducibus regeretur. *Messapus primas acies, postrema coercent Tyrrhidae iuvenes, medio dux agmine Turnus:* dixit qui esset in prima exercitus parte, qui curarent postremam, ut constricta multitudo pergeret non ultra quam necesse esset effusa, in medio vero Turnum fuisse; potestas enim maior in medio est, quod cum fit, et primis est proxima et postremis non longe disiuncta. *ceu septem surgens sedatis amnibus altus per tacitum Ganges aut pingui flumine Nilus, cum refluit campis et iam se condidit alveo:* post dispositionem instructi exercitus dicit quale iter habuerit, ut militarem artem evidentissime demonstraret; silentio quippe fuerat veniendum, ut insperati effusos et incautos invaderent. idcirco igitur, quia tacito agmine incedebat Turnus, conparationem dat poeta duorum fluminum Gangis et Nili, quorum Ganges cum sit copiosus et septem divisus in flumina, semper lenis est, Nilus vero tunc magis mitis cum ex magna camporum latitudine in alveum redit et undae actu mollioris inpellitur. descripta est pars Turni et ars ducendi exercitus demonstrata: videamus qualis Aeneas recessurus praefecerit suis. *hic subitam nigro glomerari pulvere nubem prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis:* ibat quidem tacitis gressibus exercitus Turni, sed nihil procuratum silentium profuit; prodidit quippe quamvis tacitos pulvis et Troianis semper absente rege diligenti cura sollicitis quasi quidam nuntius adventum insidiosi hostis indicavit: videbant igitur atri pulveris nubem accedente multitudine glomerari et ante lucis ex-

2 *et qualis* ed. 3 *e quibus* V *a qu.* nos *ea qu.* ed. 5 post *Turnus* versum spurium 29 add. ed. deest in VHO neque explicatur. 6 *curaret* ed. | *et constricta* V *ut c.* ed. 9 *proxima* V *posita* ed. *opposita* ed. post. | *et a postremis* ed. 11 *grandes* pro *Ganges* V. 13 *quale iter habuerit* V *quam leniter se h.* ed. 15 *incautos* V *i. hostes* ed. 20 *magna* V *maxima* ed. 21 *unde* V *undae* nos *inde* ed. | *molliori* ed. 23 *recessurus* V *secessurus* forsitan suspiceris, sed cf. v. 80 et 88. 30 *tantae* V ed.

cessum tenebras campis incumbere. in inperfectis maior semper est terror; illud enim quod iam accepit statum de perfectione potest habere dispositum animum, illud vero quod adhuc in augmentis est et habetur incertum in quem 5 modum evasurum sit plus terret quam necesse est. denique malum illud, quod sic per momenta crescebat, ut primo in modum nubium glomeratio taetra, dehinc tenebrae non agrorum angusta, sed campos obtegere cernerentur, addebat terrorem intuentibus. *primus ab adversa* 35 10 *conclamat mole Caicus:* adversa dixit unde videre poterant qui contra veniebant. primus Caicus, quod esset loco superiore, et vidit et nuntiavit dicens haec: *quis globus, o cives, caligine volvitur atra? ferte citi ferrum, date tela et scandite muros, hostis adest, heia!* in una eademque 15 persona diversi extitere tractatus; videntibus quippe Troianis nihilque suspicantibus mali solum profuit Caicum vidisse, qui primus hostium intellexit adventum, et tamen etiam ipse sic exorsus est, ut fateretur se primo dubitare, hoc est quod quasi interrogans locutus est quis globus, o 20 cives, caligine volvitur atra? ubi nullus intellexit nullusque respondit, ipse rursum confirmato animo ait ferte citi ferrum, date tela et scandite muros. subnectitur causa faciendi, hostis adest, atque ut mature fieret, accessit hortatio et dictum est heia. hunc locum more suo poeta 25 executus est; in his enim quae habent aliquam perturbationem primo dicit facienda, dehinc adicit rationem propter quam debent fieri, ut in quarto libro (573) „praecipites vigilate, viri, et considite transtris, solvite vela citi“: ecce dixit quod pro rerum necessitate fieri debuisset; 30 dehinc ostendit iussionis suae rationem, „deus“, inquit, „aethere missus ab alto festinare fugam tortosque incidere

---

ante nos cf. 1, 254. | *excessu* ed. 2 *statum* V *statim* ed. 4 *in quem* V *quem ad* ed. 9 *addebant* V ed. | *errorem* V corr. ed. 10 *videre poterant* V *v. poterat* ed. *videri poterant*? 11 *longo* V *longe* ed. *loco* nos cf. 5, 193. 12 *superiore* V *superior* ed. 14 *et scandite* itemque in interpr. V *et* del. edF. | *eia* ed. 24 *est* om. ed.

funis ecce iterum stimulat." hoc consilium hanc tenet substantiam commodi, ne, dum prius refert causam, medium tempus celeritate hostis et velocitate praeventum necessaria non sinat oportune disponi. ait igitur ferte citi ferrum; festinandum enim fuit hostibus in proximo constitutis. 5 proximitatem quippe istam nuntiabat magnitudo pulveris et nubes atra praebebat indicium. date tela: non hoc idem qui dandum dixerat ferrum; ferrum quippe alterius speciei potest habere significationem et tela alterius; nam sunt gladii, sunt sagittae. certe et sic accipi potest hoc 10 dictum, ut ferrum primo videatur dixisse praeparandum in hastis, sagittis et gladiis, tela vero in quibuscumque speciebus quae occidere hominem possent, ut sunt lapides, fustes et cetera quae eiusmodi, quibus repelli hostis queat aut superatus occumbere. citi semel quidem positum 15 nos omnibus dictis aptemus, quo melior intellectus appareat, ut sit citi ferte ferrum, citi date tela, citi muros ascendite; non enim in tanta perturbatione fuit ex illis aliquid quod segnius curari debuisset. ecce novissima intervenit causa, hostis, inquit, adest: non dixit adfuturum, ne daret oc- 20 casionem differendi, sed iam adesse, ut praesens videretur urgere. novissimum fuit heia, quod dictum hortantis est potius quam iubentis. *ingenti clamore per omnis condunt se Teucri portas et moenia conplent:* congesserunt se omnes intra saepta castrorum et oppleverunt portas et moenia. 25 crimen potuit duci et manifestum timoris indicium videri quod veniente hoste sese clauserint potius quam instruxerint aciem. hoc genus obtrectationis ne viris fortibus in- 40 haereret, purgat honesta excusatione Vergilius dicens *namque ita discedens praeceperat optimus armis Aeneas, siqua* 30 *interea fortuna fuisset, neu struere auderent aciem neu credere campo, castra modo et tutos servarent aggere muros:* Aeneas, inquit, afuturus, qui tractare nosset incerta bellorum,

---

2 *necdum* V *nedum* ed. *ne dum* nos. | *refert* V *referat* ed. 12 *hastis* V *hostes* ed. 14 *quae eiusmodi* V *huiusmodi* sine *quae* ed. 16 *nos* V *non* ed. om. ed. post. 17 *et citi* bis ed. 24 *se* post *condunt* om. V. 25 *opplerunt* ed.

tale suis mandatum dederat, ut, si aliqua emersisset certandi necessitas, non auderent struere aciem, non auderent eam campo committere, solum aggerem tuerentur et castra, quae securitatem illis plenam praestare potuissent, magnam 5 interea existimans esse victoriam, si suos remeans incolumis inveniret. *ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrant, obiciunt portas tamen et praecepta faces-* 45 *sunt armatique cavis expectant turribus hostem:* duas illis virtutes dedit: unam ne inbelles viderentur, alteram ne 10 iuxta regis praecepta inreverentes. nam pugnare cupiebant, sed mandatorum contemplatione revocabantur melius existimantes pudorem ferre quam contra regis praecepta reatum temeritatis incurrere. quapropter munierunt portas firmis obicibus et armati quid hostis moliretur e turribus 15 speculabantur. huius praecepti etiam Caicum memorem fuisse verba eius ostendunt; nam dixit date tela, ferte ferrum, muros ascendite, non dixit eamus ad campum, occurramus hosti et certamen pugnandi subeamus.

Turnus ut antevolans tardum praecesserat agmen viginti 20 *lectis equitum comitatus et urbi improvisus adest, maculis quem Thracius albis portat equus cristaque tegit galea aurea* 50 *rubra, ecquis erit mecum, iuvenes, qui primus in hostem? en ait:* non tardum fuit agmen aut tarde ambulabat, sed conparatione tardum putabatur. Turnus enim, ut ceteros 25 praeveniret, ductis secum equitibus viginti electis, egressus itineris modum quo congregata multitudo vel consuevit ambulare vel potest celerius venit. tanta maturitas fuit, ut ante urbem improvisus apparuisset non iam itinere, sed quasi quodam volatu pervectus. cum vero equum eius 30 describeret, dixit caput eius fuisse galeatum, quam galeam

---

3 *eam* om. ed. | *solum* V *sed s.* ed. 7 *monstrat* ed. 9 *inbellis* V. | *viderentur* transpos. edF. 10 *inreverentes* V *incumbentes ignavi* ed. 14 *molietur* V corr. ed. | *etturribus* V *accedens vigilanter* ed. 22 *et quis* V. 23 *en* V *sic* ed. 24 *conparationem* V corr. ed. 25 *egressis* ed. 26 *non consuevit* ed. 27 *non potest* ed. 29 *provectus* ed. 30 *calcatum* V *galeatum* ed.

fulgentem auro et rubram fuisse memoravit, ut longe appareret regem fuisse qui venisset. continuo autem suos hortatus ad initium belli hastam primus misit. hoc est quod ait *et iaculum attorquens emittit in auras, principium pugnae, et campo sese arduus infert:* iecit telum, lege 5 scilicet observata bellorum; nulli enim fas est movere arma vel telum iacere priusquam mittat qui ducit exercitum. iacit autem, non ut aliquem feriat, sed ut sollemnitatem conpleat et legem. denique Turnus in auras iaculum, non in hominem contorsit. hyperbaton hic debet adverti, 10 cuius causa, cum pronuntiatur, totum debet uno tractu suspendi et illic finiri ubi primo verbo respondetur ex fine. coepit enim sic atque ita ordinatur: Turnus ut antevolans venit et ait ecquis erit mecum, iuvenes, et misit telum, 55 *clamorem excipiunt socii fremituque sequuntur horrisono:* 15 ecce quo loco respondit universis quae fecerunt hyperbaton. descripti sunt actus Rutulorum: videamus quid Troiani post haec. non movebantur, denique sequitur *Teucrum mirantur inertia corda, non aequo dare se campo, non obvia ferre arma viros, sed castra fovere:* pro animo suo 20 Rutuli, cum Aeneae consulta mandataque nescirent, inertis iudicabant esse Troianos, cum illi prudentissimi regis sui praecepta servantes non se crederent campo, sed castra diligentius custodirent. *huc turbidus atque huc lustrat equo muros aditumque per avia quaerit:* fremens Turnus, quod 25 contra spem hostis copiam non haberet, circumibat muros explorans qua ad eos existere posset ingressus, quem negabat castrorum firma constructio. describit per parabolam quomodo Turnus clausos hostis et murorum firmitate munitos non valebat invadere. *ac, veluti pleno lupus in-* 30

---

3 *hortatur* ed. | *et hastam* ed. 4 *intorquens* ed. 7 *iacere* V *iactare* ed. 8 *iacet* V *iacit* nos om. ed. | *non* transpos. ed. 10 *in* om. ed. | *averti* V corr. ed. 11 *tractus* V *tractu* nos *tractatu* ed. 12 *responditur* V *responderit* ed. 14 *et ait* om. ed. | *et quis* V. 15 *clamore* ed. nescio an recte propter hyperbaton quod Don. statuit. 16 *respondet* ed. 22 *iudicabant esse troianos* V *Teucros iud.* ed. 23 *se* om. ed. 27 *qua* V *qui* ed.

sidiatus ovili cum fremit ad caulas ventos perpessus et 60
imbris nocte super media, tuti sub matribus agni balatum
exercent, ille asper et inprobus ira saevit in absentis, collecta
fatigat edendi ex longo rabies et siccae sanguine fauces:
5 *haut aliter Rutulo muros et castra tuenti ignescunt irae et* 65
duris dolor ossibus ardet, qua temptet ratione aditus et qua
via clausos excutiat Teucros vallo atque effundat in aequor:
et hic hyperbaton est; nam proposito capiti respondet in
fine, unde totum debet in pronuntiatione suspendi; media
10 enim pronuntiationis sunt. sic, inquit, Turnus circumibat
muros, quomodo lupus exagitatus fame ovilia infestare
contendit nec potest aditum reperire. ovilia sunt loca in
quibus oves manent, caulas dixit ambitum ipsum quo tutae
adversus insidias continentur. inprobus, abruptus scilicet et
15 inmodarate saeviens: plus enim irarum accedit, cum in
manus venire non potest cui irascimur: quod ne fieret
Troiani consulto praevenerant. ille tamen quaerebat quo
consilio posset eos e turribus in planum fundere; arbitra-
batur enim profuturum sibi quod hostis formidabat. *classem,*
20 *quae lateri castrorum adiuncta latebat, aggeribus saeptam* 70
circum et fluvialibus undis invadit sociosque incendia poscit
ovantis: non potuit fecisse quod fuerat primum, convertit
se ad aliud, ne in totum nihil profecisse videretur. occa-
sionem quippe laedendi atque nocendi utcumque navium
25 vicinitas fecit; namque adhaerebant castris, ex alia vero
parte tutas reddebant circumfusi aggeres et unda fluvialis:
sic tamen eas adgressus est poscens incendia, quo facilius
interirent. ovantis socios dixit, quod nescientes consilia
Troianorum pro victoria habuerunt quia nullus egredie-
30 batur e castris et nullo obsistente possent navis exurere.
atque manum pinu flagranti fervidus inplet: prior ipse

---

5 *igniscunt* V. 6 *ardet* V *haeret* ed. | *quae via* ed.
7 *valle* V. 8 *hyperbatonem* V corr. ed.: Don. *quaerit* ac *qua temptet* coniungere, parabolam et *haut — ardet* pronuntiatione suspendere videtur. 11 *fame* V *f. et furore* edF. 17 *tamen* V *autem* ed. 20 *septuam* V. 30 *exurgere* V corr. ed. 31 *manu pinum fraglanti pervidus* V. | *inplet* V *infert* ed.

rapuit facem, ut ceteris audendi praeberet exemplum. fervidum sic dixit facem ardentem manu corripuisse, quasi et ipse aliquo igni coepisset ardere, ac per hoc adlusit fervidum dicens, quia ferebat facem. *tum vero incumbunt:* hoc est tum magis coeperunt operam dare. *urget praesentia Turni:* nihil verius, nihil secundum moralitatem dici expressius potuit. hoc enim solum ad inplendos effectus sufficit, ut praesens sit qui iubere potuerat, quin potius plus valet praesentia quam iussio. si enim iubeas et recedas, potest iussio neglegi, praesentia vero etiam cum nihil iubet tacita videtur urgere. unusquisque enim praesentis necessitate magis magisque conpellitur facere quod adverterit esse faciendum. *atque omnis facibus pubes accingitur atris,* 75 *[diripuere focos]:* tantum rebus inplendis animos dabat Turni praesentia, ut omnis exercitus facibus armaretur, idcirco destituerant incendiis focos et omnis in faces flamma migraverat. *piceum fert fumida lumen taeda et commixtam Vulcanus ad astra favillam:* ipse exposuit cur atris facibus dixerit, cum dicit fumida taeda fert ad astra piceum lumen et ignis favillas emittit ad sidera.

Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris avertit? tantos ratibus quis depulit ignis? dicite, prisca fides facto, sed fama perennis: intellectus in verborum ordinatione aperitur. dicite, o Musae, quis deus a Teucris navibus tam saeva avertit incendia? tantos ignis quis depulit? quod dixit a navibus, manifestum est navis fuisse arsuras, ut fugae subsidium Troiani non haberent. huius, inquit, facti antiqua est fides et posset vitio vetustatis intercipi, nisi illud fama propter admirationem sui posteris tradendo perpetuasset. huius igitur auctorem vult poeta libris suis

---

3 *igne* ed. 5 *coeperant* V corr. ed. 6 *mortalitatem* ed F. 7 *enim* om. ed. 10 *praesenti* V *praesens* ed. *praesentia* nos. 11 *tacita* V *t. praesentia* ed. | *videatur* V corr. ed. | *praesentis* V *-tiae* ed. | *necessitatem* V corr. ed. 14 *diripuere focos* deest in V, sed explicatur. | *animorum* ed. 16 *destituerunt* ed. | *incendiis* V *igne* ed. 20 *emittet* V corr. ed. 24 *teucris* V *Teucrorum* ed. 29 *sui* V suis ed. 30 *perpetrasset* V ed.

inserere et, ut maiore fide consisteret, vult videri Musis suggerentibus posuisse veritatem. incipit iam loqui quod veluti Musae rogatae docuerunt. *tempore quo primum* 80 *Phrygia formabat in Ida Aeneas classem et pelagi petere*
5 *alta parabat ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum vocibus his adfata Iovem:* tempus et locum et personas et rem posuit, quibus maximam relationis fidem fecit; tunc enim verum ostenditur factum, cum dicitur quando extiterit et ubi et quibus adnitentibus. Itaque memoriam
10 tangit illius temporis quo regressurus Aeneas ex litoribus patriae suae navigia praeparabat, sicut in prima parte tertii libri (5) dictum est „classemque sub ipsa Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae". non posset enim nisi navibus fugere, quae ipso tempore non fuerunt. dixit
15 tempus, dixit locum et speciem facti et dixit plena auctoritate; manifeste enim constabat Aenean navigia fabricasse. ubi ad eam partem venit quae in caelo et inter deos gesta dicebatur, ait ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum vocibus his adfata Iovem: haec quis audivit? quis, cum
20 dicerentur, interfuit? quis ascendit caelum? vel quis inde, ut referret, descendit? solas Musas possumus arbitrari insinuasse Vergilio, et quoniam etiam sic poterat aestimari fabulosum, ait ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum vocibus his adfata Iovem. fertur, inquit, locuta ad Iovem,
25 incertum posuit, quia verum sciri non potuit. haec autem fuisse memorantur verba postulantis: *da, nate, petenti [quod tua cara parens domito te poscit Olympo]:* mixta dictio habens auctoritatem matris, habens et poscentis blandam vocem. da enim cum sit imperativus modus, potest
30 ostendere fiduciam parentis; dixit nate, quod nomen ad inpetrandi causam satis abundeque supererat; secutum est petenti, ut facilius mereretur postulans quae iubere debuerat. et hoc ipsum facit, quasi dicat nihil negandum

---

5 *erechinthia* V. 14 *quia* V ed. *quae* nos. 22 *etiam* V *mihi* ed. om. ed. post. 25 *virum* V *verum* ed. 27 *quod — Olympo* deest in V, sed explicatur. 29 *enim* om. ed. 31 *secutum* V *securum* ed. 33 *faciat* V ed.

esse parentibus cum aliquid iubent, quanto magis cum rogant. verum quia sunt parentes qui nihil de liberis mereantur, addidit cara: quod dictum utramque personam tangit, ut sit da parenti quam diligis et quae te amat. fecit ergo attentum necessario ex abundanti et benivolum, 5 quod non facit nisi qui expediendi necessitate constringitur. debuit procul dubio principiis subnectere desiderii summam, sed non fecit; oportuit enim ut rem arduam petitura primo causas insereret iustae petitionis, ut mereri facilius posset. quod observandum est, quotiens in materiis talis 10 locus occurrerit; si enim primo dixeris quid petas, perturbas audientem petitionis forsitan iniquitate, ut iam non admittat causas adserentem ipsius desiderii: quocirca incipit dicere cur petat et petitionis speciem servat ad finem.

85 *pinea silva mihi multos dilecta per annos, lucus in arce* 15 *fuit summa, quo sacra ferebant, nigranti picea trabibusque obscurus acernis:* dum refert lucum se habuisse, quod merita eius ostendit, ut non tantum ipse verum etiam quicquid ex eo factum est iudicaretur dignum veneratione, habui, inquit, lucum gratum ex loci positione (nam fuit 20 in summa arce) qui constabat ex arboribus diversi generis, hoc est pini, piceae, aceris, quae merito ad fabricam navium necessariae negari non possent. lucus fuit dilectis arboribus per multos annos, cuius adfectum nutrierat diuturnitas temporum et dilectus iugiter custoditus, usque adeo honore 25 praestans, ut hunc sacris incolae celebrarent. ex eo igitur, quod meus, debet habere ex mea maiestate privilegium, quod gratus ex amoenitate, quod nullius umquam manu contactus, quod servatus temporibus multis, quod incolarum iugibus honoratus obsequiis. ecce quanta praemisit, 30 ut quod desiderabat mereri potuisset. *has ego Dardanio iuveni:* grande pondus in uno nomine et pronominibus

---

6 *necessitate* om. edF, quare *expedienti* scripsit ed. post. 11 *occurrit* ed. | *quid* V *quod* ed. 12 *iam* V *quum iam* ed. *ut iam* nos. 13 *causam afferentem* ed. post. 15 *lucos* V. 17 *cernis* V. 18 *merito* ed. 22 *et aceris* ed. 29 *servatur* ed. 30 *honoratus est* ed. 31 *desiderabant* ed. | *potuissent* ed.

duobus; dixit enim has, hoc est quas sacras habui, quas violavit nullus, quas per infinitos annos incolae venerati sunt, quae amoenitate et magnitudine sua ingentem loco gratiam dabant, ego, id est cui soli licuit iubere quod 5 vellem, ego, quae reliquis saltem debeo favere Troianis, Dardanio iuveni, pio, forti, religioso. *cum classis egeret, laeta dedi:* cum recessurus de Troia subsidium navigandi non haberet; hoc enim est beneficii summi, cum urgeant necessaria, dare. quod dixit dedi, ostendit se non petenti 10 praestitisse. addidit aliam gratiam, ut cum laetitia mentis id se adserat contulisse. quod dixit laeta dedi, ad accipientis meritum pertinet, ut beneficium digno videretur praestitisse. multis enim invitis extorquetur quodquod praestatur indignis. quod ait dedi, potest etiam sic intellegi: non pe- 15 tenti libentius dedi; quando enim ille, licet in magna necessitate positus, auderet postulare quod noverat sacrum aut abscidere quod cum incolis omnibus venerari consueverat? *nunc sollicitam timor anxius angit:* nunc metu non inani sollicitior sum. *solve metus atque hoc precibus sine* 90 20 *posse parentem:* permitte, ait, securam inpetrare precibus matrem tuam quod te etiam non rogatum convenerat sine mora praestare. venit ad summam petitionis confectis omnibus quae praemitti debuerant: *ne cursu quassatae ullo neu turbine venti vincantur,* id est ne currendo quas- 25 sentur neve eas ventus suis turbinibus superet. *prosit nostris in montibus ortas:* non debent eiusdem esse meriti cuius sunt aliae quae non sacris ex lucis oriuntur.

Filius huic contra, torquet qui sidera mundi: filius, cui potestas esset in sidera et nollet datam omnibus vicem, 30 quamvis poscente matre, conrumpere, contra respondit, hoc est non est adsensus ei quae studio magis quam ratione

---

2 *finitos* V corr. ed. 3 *et* om. V. 5 *quae* V *qui* ed. 13 *quodquod* V *quod* ed. 15 *quando enim ille* V *ille enim* ed. 17 *abscidere* V *exscindere* ed. | *cum* V *ab* ed. 18 *et tu non inanis* V *metu non inani* nos *nunc* — 19 *sum* om. ed. 23 *neu cursu* V ed. correxi secundum interpr. 28 *cui* V *cuius* ed. 29 *esset* V *est* ed. | *in sidera* om. HO ed. | *lucem* V ed. *vicem* nos.

ducebatur, reddenda tamen ei ratio fuit cur non posset
inpetrare, ne laesa discederet, et mereri tamen aliquid
debuit quod legibus datis non inrogaret iniuriam. incipit
igitur sic: *o genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?*
fiducia, inquit, uteris matris atque, ut inpossibile inpetres, 5
sacrum nomen pietatis opponis, sed in hac causa, quo-
niam regendi mundi necessitate constringor nec possum
caelestia iura convellere, non solum quae aut a quo petas
verum etiam quid fieri velis debes expendere. incipit iam
tractare quale sit quod petatur et qui desiderium matris 10
nolebat inplere usus est inventione mirifica, ut non ar-
borum sacrarum, quae aeternitatem merebantur, nec originis
fabricae, sed navium faceret causam: o genetrix, quo fata
95 vocas? aut quid petis? *mortaline manu factae inmortale
carinae fas habeant? certusque incerta pericula lustret* 15
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas? vis, inquit,
mater, fatorum cursum mutari contrariis? posuisti duo,
utraque fatorum legibus nexa: unum ut navibus decernatur
aeternitas, alterum ut Aeneas certus subeat incerta: utraque
inpossibilia; nam interire necesse est quod manus hominis 20
fecerit, tantus autem est in discursibus navigationis eventus,
ut, si deus aliquis velit navigare, securitas illi sponderi
non possit. *immo ubi defunctae finem portusque tenebunt*
100 *Ausonios olim, quaecumque evaserit undis Dardaniumque
ducem Laurentia vexerit arva, mortalem eripiam formam* 25
*magnique iubebo aequoris esse deas, qualis Nereia Doto et
Galatea secant spumantem pectore pontum:* faciam tamen,
inquit, quod tuum, mater, exuperet postulatum, ut fiant
pelagi deae quae laborandi necessitate transmissa Darda-
nium in Italiam iuvenem cursu prosperiore pervexerint, et 30
sit miraculo omnibus sub alia forma navis incolumis esse

---

5 *inpossibile* V *possibile* ed. 6 *quoniam* V *qua in* ed.
13 *fabricae* V *aut f.* ed. 14 *fate* pro *factae* V. 15 *carenae*
(ut solet) V. 17 *contrariis* V inepte ad sequentia traxit ed.,
quare *contraria* scripsit ed. post. 19 *currus* V edI *cursus* edF
certus nos cum H. 20 *nam* V *non* ed. 30 *prosperiori* V ed.
-re (ut solet V) nos an *prospero olim*?

sub fluctibus, quibus perire consuessent. sic hoc loco dixit defunctae quomodo in sexto libro (83) „o tandem magnis pelagi defuncte periclis". alias enim defunctum mortuum dicimus, sed in utroque una significatio est; de-
5 fungi est enim conplere. defungitur ergo qui munus debitum conplet, defungitur quoque qui tempora sua vivendo transmiserit: perinde et naves defunctae dici potuerunt quae Aenean ad Italiam conpleta navigandi necessitate vexissent. mortalem eripiam formam magnique iubebo
10 aequoris esse deas, qualis Nereia Doto et Galatea secant spumantem pectore pontum: plus promisit quam temptaverat postulare, ut ex mortalibus fingerentur deae pelagi et deabus ceteris aequarentur. *dixerat idque ratum Stygii* 104 *per flumina fratris adnuit et totum nutu tremefecit Olym-*
15 *pum:* quoniam rem arduam promiserat, futurum effectum iurando firmavit. iuravit ergo firmum fore quod dixit et iuravit per Stygem, cuius tanta potestas est, ut etiam ipsis diis credatur esse venerationi, ut ipse Vergilius etiam in sexto libro (323) posuit „Cocyti stagna alta vides Stygi-
20 amque paludem, dii cuius iurare timent et fallere numen".
Ergo aderat promissa dies et tempora Parcae debita conplerant: rettulit quod olim gestum videretur, rediit ad causam et ad praesentis temporis necessitatem, venerat, inquit, dies promissi et dispositionem suam fata conpleve-
25 rant, hoc est et navigiorum munus expletum fuerat et Aeneas in Italia fuit: restabat ut naves deposita forma mortali verterentur in deas. *cum Turni iniuria matrem admonuit ratibus sacris depellere taedas:* in oblivionem venerant deum matri, sed intervenit iniuria, hoc est in-
30 proba cogitatio, quae illam commonefaceret ut a navibus sacris, id est quae ex sacris arboribus aedificatae fuerant, incendia et faces averteret: proinde nihil tale fieret, si non

---

11 *tenuerat* V *debuerat* ed. *temptaverat* (*tentaverat*) nos. 12 *fingerent* V *-tur* nos *fierent* ed. 13 *deas* V *deabus* nos om. ed. 14 v. 105 deest in V neque explicatur add. ed. 29 *venerat* ed. 30 *commonefaceret* V *commovere f.* ed. *commonere f.* ed. post. 31 *hoc est* ed.

110 extitisset inimici violentia. *hic primum nova lux oculis obfulsit et ingens visus ab aurora caelum transcurrere nimbus Idaeique chori:* bene posuit hic primum; debuerunt enim ante commutationem navium ostendi signa, ne casus putaretur quod deorum voluntate et arbitrio fuerat pro- 5 cessurum. primum igitur facta est lux (nova lux est quae praeter solitam nascitur) et ab orientis parte nimbi cursus ostensus est, deinde Idaei chori sonus auditus; debuit enim in ipso facto etiam beneficii auctor intellegi. *tum vox horrenda per auras excidit et Troum Rutulorumque agmina* 10 *conplet:* primo ergo signa, quibus sola coniectura colligi posset quod per id temporis gerebatur; dehinc quod signis ipsis accessisset augmentum, ut universis suspicionibus exclusis ipsa veritas veniret in medium: nam vox horrenda, id est non deformis, sed metuenda reverenter, emissa est tam 15 clara, ut et Troianorum et Rutulorum agmina conplesset.
115 *ne trepidate meas, Teucri, defendere navis, neve armate manus:* cesset, inquit, officium vestrum in defensione navium nec manus vestrae profuturis onerentur auxiliis; habent quippe defensionem meam nec possum pati perire quod 20 meum est. *maria ante exurere Turno quam sacras dabitur pinus:* pulchre ab eo loco in quo res gerebatur arripuit inpossibilitatem faciendi, ante, inquit, proveniet Turno maris incendium quam navis exurat quas tuetur origo venerabilis. *vos ite solutae, ite deae pelagi, genetrix iubet:* 25 vos, ait, solutis vinculis pergite, et ne perisse potius quam liberatae viderentur, addidit ite deae pelagi, genetrix iubet. ostendit iussionis auctorem dicendo genetrix iubet. *et sua quaeque continuo puppes abrumpunt vincula ripis:* rupta vincula vim periculi inminentis ostendunt; nam si esset 30

---

2 *effulsit* ed. | *transcurrerent* V. 5 *putaretur* V *videretur* ed. 7 *oriente* ed. 9 *etiam* V *eius* ed. 11 *signa* V *s. posuit* ed. 12 *dehinc* V *deinde* ed. 13 *argumentum* ed. 15 *tam* V *et t.* ed. 21 *est* om. ed. 22 *regebatur* V *gerebantur* edI *tenebantur* edF *res gerebatur* nos. 24 *maris incendio* V *mare incendio* ed. | *exurat* V *-ere* ed. | *tuitur* V. 28 *auctorem* V *-ritatem* ed.

otium, solverentur potius vincula eadem quam rumperentur. *delphinumque modo demersis aequora rostris ima petunt:* 120 ipse exposuit quid sit delphinumque modo, cum dicit navium rostra primum ima aequoris petiisse; delphini enim, 5 cum ima maria petunt, primam mergunt sui corporis partem hoc est caput. *hinc virgineae (mirabile monstrum) reddunt se totidem facies pontoque feruntur:* quot naves mersae sunt, totidem facies virgineas pelagus reddidit. totidem ideo, ut ostenderet revera ipsas esse quae fuerant mersae.

10 *Obstipuere animi Rutulis:* quod dixit obstipuere, ad solos Rutulos pertinet. obstipuere animi Rutulis, utpote qui talia probabant merita Troianorum. obstipuere non ad permutationem navium pertinet tantummodo, sed ad omnia quae visa fuerant vel audita. obstipuerunt igitur 15 simul universi nec remansit quisquam qui non admiratione teneretur. *conterritus ipse turbatis Messapus equis:* territus est ipse quoque Messapus atque equi eius visu ipso turbati sunt. ipse, inquit, Messapus, qui esset constans inter suos et fiducia virtutis intrepidus, in tantum perterre- 20 factus est, ut equos suos tenere non posset, quos constabat cum domino esse turbatos. qualem interea putamus terrorem fuisse cum illa fierent, quando maiestatis potentiam animalia etiam muta senserunt? *cunctatur et amnis rauca* 125 *sonans:* raucus sonus est undae tardioris et parvae. *revocat-* 25 *que pedem Tiberinus ab alto:* retardatus etiam potentissimus Tiberis ex his quae in favorem navium gesta sunt in fluctus maris non audebat exire. *at non audaci Turno fiducia cessit:* at Turno audaci non cessit fiducia. omnis, inquit, facti novitate occupaverat stupor, homines, equos 30 et flumen cum ipso deo suo, audacia tamen Turni inmobilis mansit. temerarii enim non moventur ex accidenti-

5 *prima* V corr. ed. 7 post *feruntur* versum spurium 121 add. ed., deest in V neque explicatur. 8 *totidem ideo* — 9 *mersae* huc transposui, post *pertinet* (11) V ed. 11 *animi rutulis* et infra V *animis Rutuli* ed. 19 *in* om. ed. 22 *magistatis* V corr. ed. 25 *retardatur* ed. 26 *et ex* V ed. *et* delevi cf. v. 51. 28 *cessit f. Turno* ed. 30 *tamen* V *tantum* ed. 31 *temerariis* V corr. ed. | *accedentibus* V corr. ed.

bus nec succedentibus malis aliquando franguntur, sic pereunt manifesta graviaque pericula pro levibus et dubiis aestimantes. *ultro animos tollit dictis atque increpat ultro:* ecce secundum temeritatem suam! intellexit factum et intellectum ipsum qui flere fortunam suam debuit insultanter 5 exponit: quae insultatio proficiebat suis, ut animis reficerentur quos vero iudicio inmoderatus pavor adflixerat. *Troianos haec monstra petunt:* coepit non a principiis, sed ab ipsa disputatione, ut mature reficeret suos. quod si solum fuisset, sufficeret. quid enim fuit in tempore necessarium 10 nisi ut sciret exercitus illud quod gestum est malum quidem esse, sed expectare Troianos? addidit alia quibus adstrueret expositionem suam: *his Iuppiter ipse auxilium solitum eripuit.* solitum dixit non quod solitus esset praestare Iuppiter, sed quo Troiani semper in fuga uti consuessent. 15
130 *non tela neque ignis expectant Rutulos:* ultro, inquit, Iuppiter praestitit quod nitendo cupiebamus efficere; quid enim fuit pro inbellium persona necessarium, nisi ut fugiendi subsidium non habeant quos formido turpis retentat inclusos? denique arreptas faces exponite et removete quae 20 tenetis incendia. diis iuvantibus factum est quod per nos forsitan inpleri non potuit. *ergo maria invia Teucris nec spes ulla fugae, rerum pars altera adempta, terra autem in nostris manibus:* votis nostris optata cesserunt, tenemus hostem metu desperationis oppressum, mare fugiendi sub- 25 sidium negat, armis clausimus terram. quid superest remotis incertis nisi certa victoria? hinc pergit ad ceteras materiae partis, ut ab omnibus quae obiectari potuerant ipse magis quasi obiectis occurreret. equidem primam quaestionem noluit evidenter ponere. potuit enim dici si occi- 30 derimus istos, quid faciemus illis qui cum Aenea venturi

---

7 *quos vero iudicio* V *sed quos initio* ed. | *favor* V ed. 9 *suos* om. ed. 16 *nec ignes* ed. 19 *retinet* ed. 20 *deponite* ed. 22 *potuisset* ed. 23 *adempta est* ed. et Verg. libri. 24 *manibus nostris* ed. 28 *ab omnibus* V ed. *ab* delendum puto. 29 *ipsi* V corr. ed. 30 *dici* V *d. sic* ed. | *occiderimus* — 31 *illis* temere mut. ed.

sunt? huic ex occulto respondit dicens *tot milia, gentes arma ferunt Italae:* hunc locum cum pronuntiamus, separare debemus tot milia, separare gentes, ne coniuncta vitium faciant, si dicamus tot milia gentes, separatione
5 vero facta non semel intellegamus positum tot, ut sit tot milia, tot gentes arma ferunt. quod ipsum sic intellegitur posuisse atque dixisse, ut adsereret se nec illud metuere, quod cum auxiliis Aeneas sperabatur esse venturus. hinc transit ad aliam quaestionem; potuit enim dici frustra
10 contendimus contra eos qui diis et fatis volentibus ad Italiam venerunt. ait ipse *nil me fatalia terrent, si qua Phryges prae se iactant, responsa deorum:* nec illa me, inquit, terrent deorum responsa quae cum fatorum voluntate se meruisse confingunt. Phryges pro convicio posuit:
15 non enim potuit hostis suos sine iniuria nominare. *sat fatis* 135 *Venerique datum est, tetigere quod arva fertilis Ausoniae Troes:* noluit in eo perseverare, quod de responsis et fatis Troiani mentirentur, sed haec pro veris conlocat et tamquam vera dissolvit. non hoc, inquit, solum adsero, quod
20 Troiani mentiantur, soluta iam sunt, etsi vera iactantur: tetigerunt Italiam, quid amplius quaerunt? satis Veneri factum est et illorum fata conpleta sunt. aliam partem dispositionis fatorum responsorumque divinorum, quoniam destruere non valebat, omisit, scilicet quod illis et venire
25 in Italiam et in ea regnare deberetur. idcirco dixit certe debebatur Troianis videre Italiam, factum constat, nihil iam praeter eorum exitium superest. *sunt et mea contra fata mihi:* fatis, inquit, illorum oppono etiam ipse fata mea: non enim solis licet habere. fatum fuit ipsorum ut
30 terras Italias tangerent, habeo et ipse debitam meis virtutibus partem, *ferro sceleratam excindere gentem coniuge praerepta:* effundam, inquit, sceleratorum sanguinem repetiturus

---

13 *demum* V ed. *deorum* nos. 15 *stat* pro *sat* Don. legisse temere susp. Hoppius. 20 *sed* ante *soluta* interpol. ed. 21 *satis* V *fatis* ed. | *venerari* V *Veneri* nos *Venerique dari* ed. 24 *venire* — 25 *deberetur* temere mut. ed. 30 *italias* ut 6, 764 V *Italas* ed.

armis coniugem, habiturus eam non patris voluntate, sed iure victoris. *nec solos tangit Atridas ille dolor solisve licet capere arma Mycenis:* admirandum exemplum repperit (nam personae eaedem fuerunt et similis causa) aptum autem pro tempore, ut ostenderentur facilius posse supe- 5 rari, sicut primo scelere et victos constabat et sedibus suis exclusos. plus interea fuit, quod ipsorum et in ipsos pro-
140 ferebatur exemplum. *sed periisse semel satis est, peccare fuisset ante satis:* aliud crimen adnectit, quo magis magisque Troiani deformentur. post primum quippe facinorosum 10 admissum, post ultionem facti debuit morum provenire correctio. ducuntur, inquit, peccandi consuetudine et morem sceleratae naturae pertinaci temeritate sectantur. *penitus modo nunc genus omne, perosos, femineum!* vel nunc intereant penitus quos exitium suum ad bonam vitam formare 15 non valuit. supra posuit „si qua Phryges prae se iactant" et in appellatione Phrygum occultum convicium dixit, hic autem, dum loquitur, vehementer exarsit, quod ipsum intellegitur ex eo, quod in apertam iniuriam ruit dicendo perosos et femineum genus, ut corruptionem sexus sui non 20 aliqui, sed omnes ratione nascendi viderentur habuisse. probatio ex praesentibus fuerat colligenda, ut inertes, ut soluti docerentur: *quibus haec medii fiducia valli fossarumque morae, leti discrimina parva, dant animos.* usque adeo, inquit, inertes ac stolidi, ut inde se arbitrentur superiores 25 ac fortes, quod eorum exitium differt parvulum interstitium valli et exigua mora fossarum, ac si diceret quantum inter

---

1 *et* ante *habiturus* interpol. ed. 2 *solisque* ed. et Verg. libri. 3 *repperit* V *repetit ed.* 6 *ut victos* V *et v.* nos *ut v. esse* ed. *ut* del. ed. post. 9 *quod* V *quo* ed. 13 *sceleratorum* ed. | *naturae* om. ed. 14 *non* V ed. *nunc* scripsi propter interpr. | *perosum* ed. | *nunc* V *non* ed. | *interea ut* V ed. *intereant* ed. post. nos: Don. ex antecedentibus *periisse satis est* audisse et sic interpretationem suam conflasse videtur, quam etiam in interpungendo lemmate observavi. 18 *loqueretur* ed. 20 *perosos et* V *perosum* ed.: *perosos* passive accipit Don. 23 *dicerentur* ed. 26 *differt* om. ed. 27 *fossarum* V *f. defenderet* ed.

ipsos putatis et mortem, quos tuetur interim quod potest facillime superari? definit interea quid sit vallum vel quantum praestet ambitus fossae, hoc, inquit, praestant clausis, ut paulo tardius moriantur. denique hoc est quod ait
5 vallum et fossa leti sunt parva discrimina; ipsis enim ruptis nihil superest morae quin hostes intereant. *at non viderunt moenia Troiae Neptuni fabricata manu considere* 145 *in ignis?* fiduciam gerunt, quia defenduntur fossis et vallo post paulum morituri, quasi non viderint Iliensis muros
10 mira fortitudine atque admirabili magnitudine structos et Neptuni divinis manibus fabricatos in ignis consedisse. non dixit incendio dirutos, sed vi flammarum in calcem esse conversos. conparationem induxit maioris aedificii et minoris et illorum qui haec atque illa condiderunt et
15 laudat perdita et deprimit peritura. proinde, cum pronuntiamus, moenia Troiae extollere debemus, ut fuerint magna, Neptuni etiam nomen cum laude extendere, ut muros Troiae ille fecisse videatur qui integri elementi habeat potestatem, rursum, cum dicimus considere in ignis,
20 ita intellegamus, ut nullae ipsorum reliquiae post flammam superesse valuerint. redigitur dehinc intellectus ad eum finem, quia, si magna et dei manu constructa perdiderunt, multo facilius possent praesentia perdere, quae non fulcirentur tanto firmitatis subsidio nec tali niterentur auctore.
25 *sed vos, o lecti:* ecce suorum quoque et hostium facit conparationem; non enim vacat quod dixit in exhortationis primordio vos, o lecti. Troianos enim deprimit, qui essent ex reliquiis Troiae perindeque non lecti. *ferro qui scindere vallum apparat et mecum invadit trepidantia castra:* dixit
30 suos lectos, hostis vero trepidantis, quam trepidationem non facit nisi desperatio salutis et certaminis metus. tertium addidit, ad incitanda hortamenta validissimum, quod ait

---

1 *mortem* V *mortuos interesse* ed. 3 *clausis* om. H ed. 5 *sunt* om. HO ed. | *ipsi* V corr. ed. | *enim ruptis* V *expugnatis* ed. 6 *at* V *an* ed. 12 *vi — calcem* corrupit ed. 22 *quia* V *qui* ed. 26 *vocat* V corr. ed F. 28 *lectis* V corr. ed. | *qui* V *quis* ed.

mecum. videbatur enim de victoria securus persuadere universis qui societatem faciendi fuerat subiturus. *non armis mihi Vulcani, non mille carinis est opus in Teucros:* ecce ostendit non magno labore opus esse, ut superentur. non, inquit, faciam quod Graeci, ut mille navium subsidia 5 conponam, non exercitus tantos adducam quantos illi tot navibus vexerunt in interitum Troiae. non armis mihi Vulcani: nec quaero arma Vulcani, hic exprobratio est ipsius regis, quasi diffidentia virtutis fuisset effectum ut arma illi Vulcania pararentur. *addant se protinus omnes* 10
150 *Etrusci socios, tenebras et inertia furta Palladii caesis late custodibus arcis ne timeant nec equi caeca condemur in alvo:* deprimit omnia pro qualitate materiae, ut pavorem suorum penitus tergeat. nec arbitremini, inquit, esse difficile superare Troianos: ego arma Vulcani manibus fabricata 15 nec quaero nec timeo nec mille navibus ad longinqua tendendum est mihi. veniant Etrusci, cum volent, congregentur universi, ad eorum expugnationem nulla doli temptamenta perquiram nec faciam quod inertes Graeci, Palladii praesidium non vocabo, non eius custodes occidam, 20 non fabricabo equum, non eius utero armatos abscondam, nihil insidiarum metuant, superabo hos sola virtute, superabo per lucem, non me iuvabunt illorum ebrietates aut tenebrae nec capiam vino sepultos aut somno. *luce palam certum est igni circumdare muros:* ego potius vigilantis 25 adgrediar, mactabo gnaros exitii sui, solus mihi auxilio ignis est necessarius; sic enim inbellis necari convenit, quos bellandi usus et fortitudo deseruit. *haut sibi cum*
155 *Danais rem faxo et pube Pelasga esse ferant, decimum quos distulit Hector in annum:* ecce hic quoque Graecorum 30 victoriam tenuat sumpto a tempore argumento dans crimini quod post apparatus navium mille postque innumera in-

2 *universis* V *militibus* ed. 8 *hic* V *haec* ed. | *exprobatio* V ed. corr. ed. post. 11 *late* V *summae* ed. 12 *nec timeant* ed. | *condimur* V. 14 *tergeat* V *tergat* ed. *tegat* ed. post. 17 *cum volent* om. ed. 24 *nec* V *non* ed. 26 *gnaros — sui* temere mut. ed. 29 *ferant* V *putent* ed. 31 *victoria* V corr. ed.

sidiarum genera decimo vix anno obtinere valuerunt, et hoc, quia intervenit casu mors Hectoris, qui eos unus tamdiu inpedivit et distulit. ex persona igitur Hectoris cuius vita tenuit Teucros quantum suos refecit, cum osten-
5 dit potuisse Troianos maturius tunc penitusque superari, si Hector inter initia defecisset! *nunc adeo, melior quoniam pars acta diei est:* ex eo quod quolibet genere navigia Troiani perdiderant, dixit illum diem festum, quod eius pars tantam laetitiam peperisset. *quod superest, laeti bene*
10 *gestis corpora rebus procurate, viri, et pugnam sperate parari:* unum, inquit, faciendum restat, ut, quia omnia pro voluntate provenerunt, reficiatis vestra corpora cum gaudio spei melioris et animos vestros inminenti iam certamini praeparetis.

15 *Interea vigilum excubiis obsidere portas cura datur* 160 *Messapo et moenia cingere flammis:* recedendum paulisper fuerat reficiendorum corporum causa: debuit cum necessaria dispositione discedi, ne aliquo casu evaderent qui tenebantur inclusi. data est igitur Messapo cura huius-
20 modi, ut vigilibus et vigiliis custodiret portas et omnis Troianorum observaret egressus, muros vero cingeret flammis. incipit dicere quali dispositione iussa curabantur: *bis septem Rutulo muros qui milite servent delecti, ast illos centeni quemque secuti purpurei cristis iuvenes auroque corusci:*
25 electi, inquit, fuerant quattuordecim qui centenis iuvenibus essent praepositi instructi armis et in ipso armorum habitu satis superque perspicui. ordinatur sensus sic: electi bis septem qui Rutulo milite servent muros. *discurrunt variantque vices:* sic enim vigiliis exercendis durari consuevit,
30 dum vicissim vigilando noctis transigitur tempus. *fusique per herbam indulgent vino et vertunt crateras aenos:* velut 165 de prosperitate securi non reficiendis corporibus, ut Turnus mandaverat, sed onerandis vino atque obruendis operam

---

10 *parati* ed. 11 *ut quia* V *ut* ad *reficiatis* transpos. ed. 14 *praeparatis* V corr. ed. 16 *flamma* V, sed infra *flammis,* quod Verg. libri habent. 18 *discedere* ed. 23 *Rutuli,* sed in interpr. *Rutulo* V ed., quod Don. legisse iam Hoppius vidit.

dabant, usque adeo ut vasa exhausta verterent, quae res ostendebat tantum bibitum quantum fuit, non quantum naturali refectioni sufficeret. *conlucent ignes,* utpote omnibus adhuc vigilantibus et nondum vino sepultis ac somno. *noctem custodia ducit insomnem ludo:* vigilabatur, 5 bibebatur, ludebatur, quae omnia non refectioni proderant, sed fatigationi. *haec super e vallo prospectant Troes:* haec videbant et Troiani; facilis enim fuit de summo prospectus, quia ignis plurimis locis accensus nihil patiebatur esse in occulto. *armis alta tenent:* licet, inquit, securi 10 essent munitione valli, tamen armati vigilabant, tenentes altiora, ne quid praeter eorum aspectus moliretur hostis 170 aut faceret. *nec non trepidi formidine portas explorant:* nec non significat sed et. et alta, inquit, tenebant armati et portas firmabant satis intenti, ne has aliqua vis superare 15 posset et vincere. trepidos dixit cum timore diligentis nec inmunis a sollicitiore cautela. *tela gerunt:* tanta eorum fuerat cura, ut firmatis omnibus tela etiam gererent, quasi iam hostis infestus insisteret. *instat Mnestheus acerque Serestus:* acer in medio positum et Mnestheo potest ad- 20 plicari et Seresto. *quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent, rectores iuveni et rerum dedit esse magistros:* illis fuit omnis communibus commissa respublica, ut, si aliquid temptaretur adversi, regerent iuvenem et omnia consilio meliore firmarent. iuvenem aut Ascanium dixit 25 aut appellatione unius iuvenis omnis intellegi voluit. haec ergo ut tanta cura gererent faciebat ductorum praeferenda sollertia, quibus docendi iubendique suas partis Aeneas

---

3 *refectione* V ed. corr. ed. post. 5 *vigilabant bibebant ludebant* ed. 7 *fatigationi* V *fatigationem pariebant* ed. 8 *videbantes* V *videntes* ed. *videbant et* nos. 9 *accensis* V corr. ed. | *patiebatur esse in occulto* V *occultabat* ed. 10 *armis* V *et a.* ed. 13 *explorant* finis lemmatis in V *pontesque — iungunt* add. ed., sed non explicatur. 14 *et alta* V *et* om. ed. 16 *possit* V corr. ed. 17 *sollicidiore cautela* V temere mut. ed. 19 *instant* ed. 20 *appellari* V *adplicari* ed. nos cf. 10, 161. 22 *iuveni* item 10, 70 V cf. Serv. 23 *com nibus* V *communibus* scripsi, etsi vix latinum, *communiter* ed. 27 *praeterenda* V corr. ed.

abiturus iniunxerat. *omnis per muros legio sortita periclum excubat exercetque vices, quod cuique tuendum est:* in con- 175 suetudine vel maxime bellica non est consimilis labor nec periculum aequale, proinde vicissim de sorte dividitur quod 5 fuerit pro temporis necessitate subeundum.

Nisus erat portae custos, acerrimus armis, Hyrtacides, comitem Aeneae quem miserat Ida venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis: quam cito dixit hominis nomen, locum in quo esset natus, quo genitus patre, quibus studiis, qua 10 natura et qua arte polleret! forte, inquit, Nisus curandae portae custos iudicio sortis exciderat, natus in silva perindeque qui esset in labore nutritus, Hyrtaco genitus patre. commemoratio paterni nominis ad explendam posita est laudem et, quia maiorum laus tunc proficit, si is qui 15 laudatur paternae gloriae nobilitatique respondeat, ait hunc acerrimum fuisse in exercitatione bellorum, usque adeo ut et iaculo bonus esset et sagittis iaciendis aptissimus, tanta autem industria florentissimus, ut dignus esset qui Aeneae, tanto principi, comitis officio fungeretur. ecce 20 plena instructio dicta est laudativae materiae. *et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter non fuit Aeneadum* 180 *Troiana neque induit arma:* ceteris Troianis pulchrior fuit, pulcherrimus tamen, cum arma sumpsisset. *ora puer prima signans intonsa iuventa:* definit tempus aetatis ipsius 25 et, quia incongruum fuit incogniti hominis annorum numerum dicere, signo corporis quanti esset temporis aperte signavit. primam, inquit, barbam habuit nondum plenam, nondum tonsam. *his amor unus erat pariterque in bella ruebant:* magnum familiaritatis exemplum, singulare quo- 30 que ac novum in diversis aetatibus adfectum similem existere potuisse; et, quia individuo amore fidi invicem tenebantur, quotiens usus esset pares ibant ad bellum nec expectabant veniri ad se, sed ultro ruebant in ea quae essent neces-

---

1 *abiturus iniunxerat* V *dederat* ed. 10 *forte* V *portae* ed. 11 *portae* om. ed. 14 *si* V *quum* ed. 15 *respondet* ed. 17 *ut et* V *ut* ed. 22 *neque* V *nec* ed. 31 *sibi* V *fidi* nos om. ed. 33 *veniri ad se* V *venire ad se hostes* ed.

sario subeunda. *tum quoque communi portam statione tenebant:* supra dixit de sorte singulis curanda loca provenisse, quod ipsum servat ad istorum felicitatem, ut nec ipsa sors divisisse videatur quos tanta familiaritas iunxerat.
185 *Nisus ait: diine hunc ardorem mentibus addunt, Euryale,* 5 *an sua cuique deus fit dura cupido?* animorum, inquit, motus et cogitationes maximas deus aliquis movet an ipsa sibi mens hominis deus est? *aut pugnam aut aliquid iamdudum invadere magnum mens agitat mihi nec placida contenta quiete est:* iamdudum, ait, desiderio ducor maximo 10 aut pugnam magnis nisibus adgredi aut aliquid gloriose perficere. ideoque sic animus agitatur, ut uno in loco stare non possit, et ecce occurrit occasio, quae est omni virtute rapienda. *cernis quae Rutulos habeat fiducia rerum,* hoc est quemadmodum nos hostes contemnant vides; nam 15 illorum neglegentia ex quo nascitur, nisi quod nos arbitrantur inbellis? *lumina rara micant,* quod primum signum
190 fuit soporati hostis. *somno vinoque soluti conticuere:* cum esset coniectura de raritate luminum, accessit et silentii, quod geminum diversa e parte procuraverat malum, scilicet 20 somnus et vinum quibus strati conticuerant. *silent late loca:* in tanta locorum latitudine silentium plenum est. *percipe porro quid dubitem,* hoc est quid in animo meo tractando volvatur. *et quae nunc animo sententia constet:* quid decreverim faciendum. *Aenean acciri omnes, populusque patresque, exposcunt mittique viros qui certa reportent:* 25 cogitationibus meis consentit oportunitas et necessitas temporis; nam uno omnes eodemque consensu tam patres quam etiam populus ad Aenean decreverunt esse mittendum, cui rei virtus est necessaria, quae tam egregium factum et 30 adgredi possit et inplere. *si tibi quae posco promittunt*

3 *servat* V *fuerat* ed. 6 *dura* V *dira* Verg. libri ed. interpretatio in medio relinquit. 18 *conticuere* (cf. 237) V *procubuere* Verg. libri. 20 *diversae* V *-sa* ed. 22 *silentium plenum est* V mut. ed. 24 *volverim* ed. | *sententiae constet* (cf. 5, 748) V *sententia surgat* ed. et Verg. libri. 25 *aeana cire* V.

(nam mihi facti fama sat est), tumulo videor reperire sub 195
illo posse viam ad muros et moenia Pallantea: si tibi, ait,
me petente aliquid decernitur commodi (nam mihi sufficiet
gloria quae nascetur ex facto), videtur mihi posse me
5 invenire viam sub illo tumulo, hoc est per hostis transitum qui pergendi ad Euandrum praebeat facultatem.
*obstipuit magno laudum perculsus amore Euryalus, simul
his ardentem adfatur amicum:* Euryalus etiam ipse cupidus
laudis, cum haec accepisset, dictis suis amicum est adfatus
10 ardentem. *mene igitur socium summis adiungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?* et prospera 200
simul et adversa proposuit. contra meritum, inquit, veteris
amicitiae consilium, Nise, capere potuisti et solidam facti
gloriam tuis tantum titulis usurpare, videlicet sperans nihil
15 posse in contrarium verti? quodsi tu exploratae amicitiae
virum prosperis tuis non vis adiungere, ego te non deseram
in pericla pergentem. non vis tu gloriosus remeare cum
socio: ego eam tecum, ne pereas solus. *non ita me genitor
bellis adsuetus Opheltes Argolicum terrorem inter Troiaeque
20 labores sublatum erudiit nec tecum talia gessi:* erudire est
novitatem indoctam hoc est rudem facere docendo meliorem.
tractum est hoc a vestibus, quae, cum rudes sunt, nullam
retinent gratiam et posita rudimentorum inluvie arte suscipiunt speciosissimam formam, quam inter initia non
25 habebant. *magnanimum Aenean et fata extrema secutus:*
non sic sum instructus a puero nec tale magisterium
patris accepi, patre natus sum bellis adsueto. probaverunt
virtutem nostram labores patriae et, si adverso marte pugnatum est, non nostrum, sed fortunae vitium fuit. docuit me ille
30 aut cum sociis aut pro sociis mori. rudimentis meis non defuit
causa qua viri fortis filius magisterio tanti genitoris instruerer.
ardebat infelix patria, vastabatur armis hostilibus et laboribus paternis adiunctus, cum nondum aetas umeros meos

---

1 *facti* om. ed. 3 *sufficit* ed. 4 *videor mihi posse me* V
ed. *videtur* emendavi cf. 12, 952. 7 *perculsus* V ed. *percussus*
Verg. libri cf. 8, 121. 9 *suis* V ed. ne dubites cf. 10, 466.
17 *pericula* ed. 18 *eam* V *veniam* ed. 32 *vastabantur* V.

lacertosque firmasset, aut faciendo quod poteram aut videndo discebam. o pietas consultissimi patris! adolescentem filium periculis ingentibus dabat iam tum praecipuo magisterio docens fluctuantem rempublicam universis adfectibus esse potiorem. quam putas me animi nunc constantiam ferre, 5 quando illis temporibus nec occumbere timui nec armorum fragores expavi? hinc digressi cum rege subsidium quod extremis supererat fatis pariter sumus adgressi. quid tibi umquam displicuit in moribus meis? quando non unum sensimus? quando in duobus pectoribus nostris non idem 10 fuere tractatus? voluisti aliquid: volui; si inprobatum est aliquid sententia tua, secutus istam quae recusasti 205 damnavi. *est hic, est animus lucis contemptor et istum qui vita bene credat emi quo tendis honorem:* novi ipse quoque pro laude vitam salutemque contemnere, novi facinus 15 magnum sine magno periculo conpleri non posse; quippe gloriae pretium est vitae status necisque discrimen talisque in ea parte condicio, ut adversi eventus et prosperi viri fortis in facto semper et ubique laudentur. habeo, Nise, consimile pretium, quo honorem summum conparare 20 disponis, communi cedat amicitiae quod fortuna praestiterit. *Nisus ad haec:* dicendo ad haec ostendit obiectis se esse responsurum. ille dixit Nisum male de amici voluntate sensisse, iudicasse timidum, adseruisse inbellem, idcirco solum se ire voluisse. haec ergo quae suspicione fuerant 25 collecta atque cum ingenti invidia exposita non negat Nisus, sed apertius confitetur et diluit ostendere cupiens id se merito fidelis amicitiae et animo religioso fecisse; cuius rei quoniam nullus testis extabat et dispositionem suam solum tractantis noverat pectus, addidit iusiurandum, 30 ut deorum testimonio, qui soli humanae mentis possunt nosse secreta, confessionis purae firmaretur adsertio. in-

3 *vigentibus* ed. 5 *nunc* om. ed. 12 *sententia — quae* mut. ed. 13 *est istum* V. 15 *laudem vita* V. 19 *viri — habeo* temere mut. ed. 21 *disposuisti* ed. 22 *dicendo ad haec* om. ed. 25 *ergo* V *ipsa* ed. 27 *aperte* ed. | *diluit* V *doluit* ed.

cipit igitur sic: *equidem de te nil tale verebar nec fas:* hoc est nil tale quale tu dixisti. *non, ita me referat tibi magnus ovantem Iuppiter:* non separandum est a sequentibus, cum versum ipsum pronuntiare coeperimus, tunc dicendum
5 ita me referat tibi magnus ovantem Iuppiter. nam si totum iungamus, erit maledictum potius quam iusiurandum. *aut quicumque oculis haec aspicit aequis:* aut Iuppiter aut dei alterius numen cui aequitas placet. ecce et ipso iureiurando confitetur se solum ire voluisse et in ea etiam
10 tunc voluntate persistere; cum enim dicit ita me referat tibi magnus ovantem Iuppiter, quid animo gereret ex aperto signavit, huius rei tamen causam prosequitur non ex malivolo studio, sed ex benivolentiae partibus venientem. *sed si quis, quae multa vides discrimine tali, si quis in* 210
15 *adversum rapiat casusve deusve, te superesse velim, tua vita et dignior aetas. sit qui me raptum pugna pretiove redemptum mandet humo, solita aut si qua id fortuna vetabit, absenti ferat inferias decoretque sepulchro. neu matri* 215 *miserae tanti sim causa doloris, quae te sola, puer, multis*
20 *e matribus ausa persequitur magni nec moenia curat Acestae:* sed quoniam hoc tempore et in tali causa minus spei ac plus timoris est, disceptationem meam utriusque commodum continentem paucis adverte. tractavi quippe non illa tantum sed et personam tuam, personam quoque tuae
25 matris et meam, stetit ante oculos meos periculum facti, quod aequo animo longaevus feram et, si casus aut deus me subiugaverit morti, relinquam te incolumem, cuius aetas dignior et dignior vita, te, inquam, qui amicissimus repertum terrae commendes aut funerationis causa pretio
30 redimas aut, si neutrum fortuna praestiterit, constituas honoris causa sine funere tumulum quo adportes inferias et amici memoriam cum supremo honore testeris. certe

---

1 *fas* deest in V. 13 *venientem* V *provenientem* ed. 16 *dignior* V et Verg. libri *et d.* edF assentiente interpr. 20 *prosequitur* ed. 23 *adverti* V corr. ed. 24 *illam* ed. 29 *praetio* V *praemio* ed. 31 *quo adportes inferias* V temere mut. ed. 32 *amici* V *a. tui* ed. | *tum* V *cum* nos om. ed. |

non ero matri tuae doloris causa, ne consilia mea ictu saevientis orbitatis accuset. meretur illa non decipi adversis casibus tuis. ipsa est cuius adfectum nec aetas minuit nec longaevus tot navigationum labor adflixit. tantum illa praecipua matris partis inplevit, ut remanen- 5 tibus apud Acesten tot matribus laborem praetulerit otio et humanitatem ac diligentias tanti hospitis spreverit. quam putas illis temporibus eius intentionem fuisse? laborare procul dubio contra aetatis meritum maluit quam divelli a conspectibus tuis. o praecipuum studium matris, 10 o pietas in longam propaganda memoriam, quam nec labor terruit nec cessantium traxit aut mutavit exemplum! quanta materiam istam subtilitate, quanta arte conclusit; servavit quippe ad finem personam matris et merita eius evidenter ostendit. sed ille animum gerens reipublicae 15 necessarium privatis praetulit quod publicum fuit, denique 220 *causas,* inquit, *nequicquam nectis inanis nec mea iam mutata loco sententia cedit:* quam cito adlegationes omnis Nisi dissolvit dicendo inanis esse causas quas ad excusationem sui putavit esse nectendas. si enim revera considerentur, reperien- 20 tur omnes ipsae causae a professione viri fortis alienae. superesse enim Euryalum voluit ea videlicet causa, ne in primis annis occumberet, quasi id demum optare vir fortissimus debeat, cui pulchrum est in campo potius quam in lectulo mori. dehinc sepulturae subnexuit aliam qua 25 non decuit moveri sapientem. quando enim sentiunt mortui commodum sepulturae? quando terrae beneficium? quando inferiarum superfluas dapes? tertiam posuit matris causam, quam putavit validissimam Nisus, sed ipsam quoque Euryalus videtur tetigisse et transmisisse pro levi. cur enim illa 30 gravius fili luctus exciperet, si illum in certamine perderet,

---

testes eris V *testificeris* ed. 2 *saevientis* V ed. *saeviens*? 5 *praecipuas* ed. 7 *diligentiam* ed. 10 *conspectibus eius* V *c. tuis* ed. 13 *quantam materiam* V corr. ed. 16 *denique* V *ille autem* ed. 17 *causae* V. | *inquit* om. ed. 23 *demum* V *id d.* nos *domum* ed. | *fortissimum* V corr. ed. 25 *deinde* ed. 26 *sapientem* V *praecipientem* ed. 29 *putavi* V. 30 *transmissis* V.

quam conveniebat ad omnia animum tenere conpositum, quae viri fortis conditionem nosset, quae utpote longaeva tot bellorum incerta experiendo didicisset. *acceleremus ait:* ecce iam celeritatem suadet, ut ostenderet studio suo et 5 dispositionibus reipublicae profuturis moras non esse nectendas, in quo ostendebat persuasionibus aliis sententiam suam mutari non posse. *vigiles simul excitat, illi succedunt servantque vices, statione relicta ipse comes Niso graditur regemque requirunt:* si vigiles fuerunt, quomodo excitabantur? 10 manifestum est nullam hic esse quaestionem; vicibus enim servatis, ea hora dormientibus aliis qui fuerant vigilaturi, Nisus tunc et Euryalus vigilabant, proinde recessuri excitabant alios qui essent ex vigilum numero, quo facto dimissa statione, id est dimisso officio cui fuerant deputati ierunt 15 pares, ut quaererent regem. incertum enim fuerat qua in parte castrorum inveniri potuisset Ascanius.

Cetera per terras omnis animalia somno laxabant curas 225 *et corda oblita laborum: ductores Teucrum primi, delecta iuventus, consilium summis regni de rebus habebant, quid* 20 *facerent quisve Aeneae iam nuntius esset:* dicendo cetera animalia quieta fuerant et per omnis terras somno laxabant curas vult Troianos solos pervigiles fuisse tractantis de summa regni, hoc est de statu, quia obsessi tenebantur et incerti quid agerent vel quis ad Aenean ire nuntius 25 posset cogitabant. ostendit et homines dici posse animalia consentiens Sallustio, qui ait (Cat. 1, 1) „omnis homines qui sese student praestare ceteris animalibus“. laus interea exprimitur ducum, qui absente rege tantum curae ac diligentiae dabant, ut ultra tempus vigilarent tractan- 30 tes regni commoda et quid fieri in tanta necessitate congrueret vel quis ad Aenean posset nuntius destinari. *stant longis adnixi hastis [et scuta tenentes]:* praeter vigiliarum

---

7 *mutare* V ed. corr. ed. post. 11 *servantis* V corr. ed. 14 *ierunt* V *fuerunt* ed. 16 *invenire potuisset Ascanius* V *i. potuissent Ascanium* ed. 18 *primi* V *pr. et* ed. 20 *quidve* V. 21 *per* om. V. 26 *consentiens — 27 animalibus* om. ed. 32 *et scuta tenentes* deest in V, sed explicatur.

laborem non saltem sedentes tractabant, sed stantes et tenentes scuta et longis hastis adnixi. ecce et armorum gestatio quantum laboris inponebat vigilantibus, quos solum 230 levabat hastarum auxilium quibus innixi iuvabantur. *castrorum et campi medio:* medio bis accipiendum est, ut sit medio 5 castrorum et medio campi. campum hic dixit non talem quales sunt in quibus bellicae congressiones agitantur, sed spatium intra castra constitutum, denique idcirco addidit castrorum medio, ut ostenderet spatium quod campi nomine appellavit intra castra fuisse constitutum. campum ergo debemus 10 accipere spatium intra castra tractatibus necessariis deputatum. *tum Nisus et una Euryalus confestim alacres admittier orant:* tum, inquit, hoc est eo tempore quo illi vigilabant, quo stabant, quo aestibus iactabantur, quo tractatibus publicis non occurrebat effectus, oportune vene- 15 rant simul Nisus et Euryalus, qui alacres orarent se in illud consilium admitti. alacres hoc loco non gaudentes, sed festinantes debemus accipere. non enim conveniebat gaudium illi tempori aut personis aut loco. hoc verum esse sequentia probant: *rem,* inquit, *magnam pretiumque* 20 *morae fore.* dicebant enim illi res magnas se ferre et earum inaestimabile commodum labi posse, si fieret mora. et merito fuerat properandum, dum in hostibus vinum fuit et somnus et dum paratas fraudes noctis tempus poterat adiuvare. pretium significare utilitatem et multi 25 auctores dixerunt et ex eo fit manifestius, quia operae pretium dicitur, cum ex aliquo actu quaeritur commodum. ergo celeritatem rogabant, ne mora corrumperet parata consilia. *primus Iulus accepit trepidos,* id est turbatos cogitatione necessaria et properatione, *ac Nisum dicere* 30 *iussit;* debuit quippe deferri natu maiori et ei qui per

---

1 *tractabant* om. HO ed. 4 *castrorum* — 5 *medio* hic habet V antecedenti lemmati add. ed. 8 *circo* V *idcirco* ed. 13 *orant* V *rem* — *iussit* add. ed. 14 *qui stabant* V ed I *quo stabant* ed F (iis quae supra de *stant* dicta sunt magis congruum). 22 *inexistimabile* ed. | *commodum* V *pondus* ed. | *labi* V *et l.* ed. 29 *idem* V *id est* ed.

aetatem potuit ferre matura consilia. *tum sic Hyrtacides: audite o mentibus aequis, Aeneadae:* praeclare in ipsis prin- 235
cipiis posuit mentibus aequis, ne quis, cum audisset, in-
videret audientibus. *neve haec nostris spectentur ab annis*
5 *quae ferimus:* ne arrepta aetatis nostrae occasione leviter
sumatur quod est pro omnium salute prospectum. aetatis
commemoratio facta est propter Euryalum, de quo supra
dixit „ora puer prima signans intonsa iuventa"; vult enim
ut egregius amicus omnem gratiam inventi consilii partici-
10 pare cum socio. *Rutuli somno vinoque soluti conticuere:*
bene posuit conticuere; potuit enim dici ei unde scis eos
dormire? ex eo, inquit, quod tacent, dormiunt. quod autem
vinum hoc fecisset et somnus viderant omnes. *locum in-
sidiis conspeximus ipsi qui patet in bivio portae quae*
15 *proxima ponto, interrupti ignes aterque ad sidera fumus
erigitur:* haec quoque signa constabat esse dormientium. 240
ater, inquit, fumus, non quo sit aliquando albus, sed ut
crassum copiosumque monstraret. interea more suo Ver-
gilius ante ipsius consilii cognitionem possibilitatem prae-
20 mittit effectus, tunc inventionem ipsam dicit, ne contrariis
interrogationibus relationis ipsius intentio rumperetur. si
enim in prima parte diceret Nisus ne tractetis ulterius,
nos imus ad Aenean, posset responderi quomodo ibitis
et circumfusi sunt hostes? hoc isti inter initia non negarunt,
25 sed sepultos vino esse adseruerunt ac somno: proinde pro
absentibus haberi debuerant qui ad mortuorum vicem fuerunt
stricti. *si fortuna permittitis uti quaesitum Aenean et
moenia Pallantea, mox hic cum spoliis ingenti caede peracta
adfore cernetis:* tetigit disciplinam militarem; citra potio-
30 rum quippe iussionem nulli licet abscedere. fortunam
eventum debemus accipere: si permittitis ut subeamus
eventum, possumus transire per hostis ebrios et dormientis,

---

4 *expectentur* V. 6 *sumat* V *-tur* nos *sumant* ed. 9 *ut* om. ed. | *omnem* V *omnino* ed. 11 *ei* V *et* ed. 16 *constabant* ed. 17 *quo* V *quod* ed. 20 *tunc* V *tum* ed. 23 *ibitis et* V *i. si* ed. 24 *hoc* V *haec* ed. 26 *quid* V *qui ad* ed. 27 *stricti* V ed. *strati*? | *ad moenia* ed. 30 *licere* ed.

praebebit nobis transitum locus qui patet in bivio portae quae proxima ponto. pergemus quaesitum, hoc est ad inquisitionem Aeneae et Pallanteae civitatis. erit argumentum prosperitatis istius ut videatis reduces onustos spoliis et peracta caede victores. potuit dici quomodo pergetis 5 qui viam non nostis? huic parti occurrit dicens *nec nos via fallit euntis.* ecce accessit huius rei adsertio: *vidimus* 245 *obscuris primam sub vallibus urbem venatu adsiduo et totum cognovimus amnem.* hic non quaerenda est veritas; eundi enim cupidi potuerunt in sua adsertione mentiri. 10 adsignavit dictionem poeta hominum perturbatorum; supra enim dixit primus Iulus accepit trepidos. hunc locum dicamus apertius: audite o mentibus aequis, Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis quae ferimus. principiorum cursus habet continuationem suam, sed quando 15 est ad alia ventum exorta interruptio est; ubi enim coepit dicere quid hostes agerent non coniunxit universa, sed miscuit quae ad actus Rutulorum non pertinerent et ad ea rursum revolutus est et sic conplevit interposita. sed haec confusio facta ordinatione monstrabitur et invenietur 20 intellectus instructior. Rutuli somno vinoque soluti conticuere, interrupti ignes aterque ad sidera fumus erigitur, hoc pertinet ad actus Rutulorum. dicitur quid et qua via faciundum sit: locum insidiis conspeximus ipsi qui patet in bivio portae quae proxima ponto, si fortuna permittitis 25 uti quaesitum Aenean et moenia Pallantea, mox hic cum spoliis ingenti caede peracta adfore cernetis, nec nos via fallit euntis; vidimus obscuris primam sub vallibus urbem venatu adsiduo, et totum cognovimus amnem.

Hic annis gravis atque animi maturus Aletes: maturi 30 hominis et tantam sollicitudinem gerentis qualis esse responsio debeat videamus. *dii patrii, quorum semper sub numine Troia est, non tamen omnino Teucros delere paratis, cum*

---

3 *ad Pallanteam civitatem* ed. 4 *reduces* V *redeuntes* ed. 16 *ad* om. V corr. ed. 21 *rutulus* V. 23 *aestus* V ed. *actus* nos secundum supra dicta. 26 *ad moenia* ed. 30 *aleltes* V. 32 *nomine* V.

talis animos iuvenum et tam certa tulistis pectora: profecta 250
ad deos Aletis actio gratiarum magnam Nisi et Euryali
continet laudem, nec inmerito sic exorsus est; deorum
quippe beneficium est nasci homines magnanimos, fortis,
5 utilis ac necessarios. quando, inquit, talis meruerunt habere
Troiani, quid spei sit longe monstratur. his dictis *umeros
dextramque tenebat amborum:* hoc fuit signum gratias
agentis etiam ipsis ante verba. *et vultum lacrimis atque
ora rigabat:* gratulationis fuerunt lacrimae et doloris,
10 gratulationis, quod extitissent tales voluntarii, doloris vero,
quia dixit non tamen omnino Teucros delere paratis;
recordatus est enim quantos Troiani perdidissent. *quae
vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis praemia posse
rear solvi?* bene dubitavit, ut in ipsa dubitatione metuisse
15 videretur ne minus diceret quam illi merebantur. *pulcherrima primum dii moresque dabunt vestri:* ecce post tractatum ancipitem iudicavit, quicquid, inquit, debetur meritis
vestris reddent dii, praestabitis vobis etiam ipsi recte
honesteque vivendo. *tum cetera reddet actutum pius Aeneas:* 255
20 actutum dixit cito; solutio enim reciprocae vicissitudinis
proxima debuit promitti ipsius Aeneae, pro cuius salute
tam dura incerta fuerant subituri. *atque integer aevi
Ascanius, meriti tanti non inmemor umquam:* ne illi dicerent quanto tempore nobis poterit Aeneas prodesse? ad-
25 didit aetatem pueri, ex quo plurima longo tempore sperari
potuissent. meriti tanti numquam inmemor futurus: hoc
non tantum promittentis est verum etiam optantis; hoc
enim desiderabatur, ut Aeneas mature remearet. *immo ego
vos, cui sola salus genitore reducto, excipit Ascanius:* ex-
30 cipit Ascanius primo debuerat poni; est enim ex poetae

---

2 *ad eos* V ed. | *aletis* V *Alethae* ed. 6 *his dictis* V *sic memorans* ed.: fortasse hoc lemmatis loco supplendum, ut *his dictis* explicatio sit. 12 *troiani perdidissent* V *p. magnanimos heroes Tr.* ed. 13 *laudibus istis* V *talibus ausis* ed. 16 *primum* om. V. | *di,* sed 247 et fere semper *dii* per synaloephen V. | *post* om. ed. 17 *indicavit* ed. 18 *praestantibus* ed. | *etiam ipsi* om. ed. 19 *viventibus* ed. 20 *cito* om. sequentia mut. ed. 22 *dura incerta* V *et tam* interpos. edF. 30 *poetae* V ed. *ex p.* nos.

persona; tunc immo ego vos, cui sola salus genitore reducto, quoniam haec Ascanius dicebat. ergo post Aleten excepit eos Ascanius dicens immo ego vos. quoniam Aletes duorum liberalitatem pollicitus fuit, ait Ascanius immo ego vos munerabo et adiecit causam propter quam se 5 faciebat obnoxium, cui sola salus genitore reducto: tunc scio tutam fore vitam meam cum remeaverit pater meus, proinde pro paterno reditu et pro conservatione salutis meae ego vobis meliora persolvam. addidit et iusiurandum, quo magis securiores de promissis efficeret: *per* 10 *magnos, Nise, penatis Assaracique larem et canae penetralia* 260 *Vestae obtestor;* haec enim precipua Troiani quae colerent habuerunt, penatis deos, Assaraci larem et Vestam canam hoc est antiquam et perpetuam. obtestari est ob aliquam causam deos testis adhibere cum iureiurando. *[quaecumque],* 15 si qua, *mihi fortuna fidesque est [in vestris pono gremiis]:* fortuna in eventu est factorum, fides autem in potestate. si qua, inquit, in me fuerit fortuna, hoc est si melior me fortuna prospexerit, et si qua in me fides est, hanc servabo meritis vestris, in tantum ut in vestra sit potestate quid 20 rependi vobis pro meritis debeat. *revocate parentem, reddite conspectum:* haec fuit desideriorum summa, haec promissorum causa, ut rediret pater et hunc filius reducem videret. *nihil illo triste recepto*: hoc non solum Ascanium pertinebat sed ad omnia. idcirco posuit nihil futurum 25 triste, cum ille remeaverit. *bina dabo argento perfecta atque aspera signis pocula, devicta genitor quae cepit Arisba:* bina dixit non quattuor, sed duo, ut (1, 313) „bina manu lato crispans hastilia ferro", ut singuli singula pocula

1 *tunc* V *et deinde* ed. 2 *quoniam* V *cum* ed. 3 *quoniam* om. ed. 4 *duorum* V ed I *deorum* ed F. | *ait* om. ed. 5 *se* om. ed. 9 *solvam* ed. 16 *si qua* ad lemma tractum in V: sed Don. *quaecumque* legisse interpr. ad v. 266 docet, ergo *quaecumque* inserui et *si qua* pro interpretatione scripsi. | *in vestris pono gremiis* deest in V, sed explicatur. 17 *ineventum* V. | *inpotestatem* V. 18 *si qua* V *quaecunque* ed. 22 *desiderium* V *-rii* ed. 24 *ad* ante *Ascanium* add. ed.: cf. prooem. in. 26 *perfecta* om. V.

haberent. species autem muneris cum laude sua posita est: argento, inquit, perfecta atque aspera signis et devicta genitor quae cepit Arisba; non enim tollebatur post victoriam nisi quod esset magni meriti. *et tripodas geminos,* 265
5 *auri duo magna talenta:* omnia utrisque communia obtulit. *cratera anticum,* ex ipsa vetustate mirabilem, *quem dat Sidonia Dido:* additum est istius meritum ex persona eius quae dederat. sed et hoc, quia unum fuit, commune ambobus datum est. dat Sidonia Dido sic posuit, quasi tunc
10 non ab Ascanio, sed a Didone proficisceretur posita ab eo qui dabat in praesenti. futuri quoque temporis separata singulis munera pollicetur et quae esset largiturus expressit, propter quam rem praemiserat quaecumque mihi fortuna fidesque est. hoc ipsum nunc exponit: *si vero,*
15 inquit, *capere Italiam sceptrisque potiri contigerit victori et praedae ducere sortem,* id est si ducendae sortem praedae fuerimus consecuti, *vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis aureus: ipsum illum, clipeum cristasque* 270 *rubentis excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.* ex-
20 cipiam sorti ideo: certus enim de adipiscendo esse non potest cui obstat sortis incertum. idcirco ergo dixit excipiam, ut haec iudicio potius hominis quam eventu sumeret fortis. haec erunt, Nise, praemia tua, *praeterea bis sex genitor lectissima matrum corpora,* duodecim ex captivis
25 feminas formosas. quod ait matrum, non solum mulieres intellegere possumus, quoniam sic multis locis posuit, verum etiam propter muneris laudem fecundas, ut praeter numerum et formam inde quoque earum cresceret meritum, quod ex illarum etiam partu magna possent emolumenta con-
30 quiri. usque adeo ostenditur fecunditatem tetigisse in

---

2 *et* V *pocula* ed. 6 *grater* V. 10 *postea ab eo qui* V *postea ab eis quae* ed. *posita ab eo qui* nos. 13 *promiserat* ed. 14 *fortunaque est* V corr. ed. 15 *contingerit* V. 16 *hoc est* ed. | *ducendae sortem praedae fuerimus consecuti* V temere mut. ed.: lemmati explicatio non convenit, fortasse *ducendae sorte praedae f. c. occasionem*? 19 *excipiam* — 20 *ideo* om. ed. 21 *ergo* om. ed. 23 *fortis* V *sortis* ed.

appellatione matrum, ut de isto intellectu non debeat dubitari; mater enim dici non potest nisi quam constat peperisse. *captivosque dabit suaque omnibus arma:* cum istorum non definit quantitatem, ut in mulieribus fecit, intellegitur etiam ipsos duodecim promisisse, ut in mulieri- 5 bus ac viris idem numerus teneretur. *insuper his campi quod rex habet ipse Latinus:* huius campi facere videtur commemorationem quem tuendum Latinus crediderat Tyrrho; magnum quippe futurum esse constabat possidere quod habuisset rex. in possessione regis ex aperto signi- 10 ficatur etiam latitudo terrarum. interea mos poetae ad imitationem retinendus est; ubi enim multa narranda sunt, ne continuatio fastidium pariat, haec dividit interponendo aliquid, tamen quod non sit alienum. nam in media enumeratione munerum interposuit excipiam sorti, iam nunc 15 tua praemia, Nise. quis non arbitraretur conpletam fuisse enumerationem ipsam? venit ad alia et addidit praeterea, cum posset continuare et conpletis omnibus dicere haec 275 erunt, Nise, praemia tua. *te vero, mea quem spatiis propioribus aetas insequitur, venerande puer, iam pectore toto* 20 *accipio et comitem casus conplector in omnis;* multum enim valet ad confirmandum religionis adfectum aetas aetati conveniens: inde ait te, Euryale, quoniam aetas nostra prope aequalis est, sic totis accipio sensibus meis, quoniam spes abhinc tuae virtutis apparet, sis mihi comes atque 25 ita, ut *nulla meis sine te quaeratur gloria rebus, seu pacem seu bella geram:* tempora omnia vivendi conplexus est dicendo seu pacem seu bella geram; tertium enim non est. 280 *tibi maxima rerum verborumque fides:* es enim tantus, ut tibi tuto committantur consilia pacis ac belli. *contra quem* 30

---

3 *captivosque — arma* superiori lemmati addidit, interpretationem temere mut. ed. 6 *his* V *id* ed. 8 *tyrrho* V *campum* ed. 9 *possidere* om. ed. 14 *quod tamen* ed. 15 *numerum* V ed. *munerum* nos. 17 *et addidit* V *rediit* ed. 19 *propprioribus* V. 22 *ad* om. V corr. ed. 23 *deinde* ed. 25 *atque ita ut* om. ed. 26 *quaeratur* V (propter *ut* quod praecedit) *quaeretur* Verg. libri ed.

talia fatur Euryalus: me nulla dies tam fortibus ausis dissimilem arguerit: numquam, inquit, fiet ut dies aliqua mutet sententiam meam, vel maxime in hac causa in qua tanta gloria et tantus futurus est labor, nec erit
5 quisquam qui me mutati consilii teneat reum. *tantum fortuna secunda, haut adversa cadat:* solum illud ne in contrarium vertat quod in nostra non est positum potestate, scilicet fortunae iudicium et prosper exitus facti. *sed te super omnia dona unum oro:* unum inquit, ne post tanta
10 quae promissa fuerant odio suppetitor fieret. incipit iam venire ad ipsum unum arte mirifica; commendat enim eius personam cui ipsum unum fuerat petiturus. nec in hac parte morem suum poeta deseruit; primo enim dicit cur petat, pro qua petat, tunc venit ad illud quod ex necessi-
15 tate poscendum est; multum enim desiderium iuvant praemissae causae, si ponantur primae quam postremae nectantur. ponit igitur commendationem primam, quae, si fili meritum non teneret, haberet tamen ex ratione sanguinis pondus. atque ita hanc arripit partem, ut ingratum se
20 non esse de praeteritis monstret et tamen adhuc sibi aliquid adserat necessarium, in quo ipso non avaritiae sed pietatis studium conprobaret. *genetrix,* inquit, *Priami de gente vetusta est mihi:* magna pondera verborum singulo- 285
rum! propositum quippe est maternum nomen quod reli-
25 gione transeat adfectus ceteros et maiestate pietatis exuperet. sequitur sanguinis causa, quod esset ex genere Priami nec accessione nova, sed vetustatis ratione coniuncta. ecce quot merita, mater tanti viri et ei quoque cui commendabatur adfinis atque ex gente Priami interiore descendens.
30 quid illa non mereretur ab eo pro cuius patre Euryalus

---

2 *argueret* V. 6 *haut* V *aut* ed. | *illud — contrarium* temere mut. ed. 7 *positum* — 8 *facti* item. 10 *promissa* om. ed. | *subpetitor* V *suspectior* ed. 11 *enim* V *tantum* ed. 12 *cui* V *a quo* ed. 13 *cur* V *a quo* ed. 14 *pro* V *deinde pro* ed. 15 *desideriorum* ed. 17 *si* om. ed. 21 *ipse* ed. 22 *inquit* om. ed. 24 *propositum quippe* temere mut. ed. 28 *et* om. ed.

tot incerta fuerat subiturus? quid ille largiri non debuit consorti sanguinis sui, quam non tantum generis ratio verum etiam ipsa tuebatur antiquitas, quam decorabat fili meritum, quam Priami nomen ornabat qui avus fuisset Ascani? haec pertinebant ad ordinem generis: dicit iam 5 ipsius non inmerito praeferenda; frustra quippe laus originis tangitur, nisi ipse qui laudatur moribus optimis et probitate vitae maioribus suis recte respondeat. *quam miseram tenuit non Ilia tellus mecum excedentem, non moenia regis Acestae:* haec, inquit, tantum me dilexit, ut 10 illam me recedente de Troia nec originalis terrae retentaret adfectus nec ceterarum cessantium tardaret exemplum. haec apud Acesten mei causa otium labori non praetulit, contempsit delicias adfluentissimi civis, ne desereret filium. *hanc ego nunc:* videamus quid sentiri possit: hanc, inquit, 15 quae tantum laboris mea causa suscepit, quae matribus cunctis tale monstravit exemplum, quae nostrorum taedium non sensit errorum, quae constantiam servavit usque ad ipsos effectus; ego quem convenit redhibere maternis adfectibus religiosissimam vicem, ego supra matrum nomen 20 dilectus ab ea, ego qui ingrati culpam declinare debueram; nunc, sollicito scilicet tempore, quo hostis castra nostra circumdedit, quo, etiamsi abessem, debui curare praesentiam meam. *ignaram huius quodcumque pericli inque salutatam linquo:* quod fuit maximi sceleris, ut peregrina 25 et periculosa petiturus non rettulisset id matri, huius facti inserit purgationem, ne reum laesa pietas retineret, *nox,* ait, *et tua testis dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis:* iureiurando adhibito confirmavit se non inpie facere, sed quod lacrimas eius ferre non posset, quas fusura 30 fuerat, si filium in tali causa videret abscedere. hoc exem-

---

5 *hoc pertinebat* ed. 15 *ego* V *ergo* ed. | *sentiri* V *significare* ed. 19 *ret hibere* V *reddere* ed. 20 *matrem* V corr. ed. 22 *sollicitus* V ed. *-to* nos. | *in tempore* ed. | *nostra* om. ed. 24 *hanc ego nunc* lemmati praefixit ed. 26 *et* V *ut* ed. | *retulisse in* V *rettulisset id* nos *id* om. ed. 31 *si* om. V corr. ed.

plo salutationem dicere possumus, non eam tantum qua matutinis horis uti consuevimus verum etiam illam quam abeuntes relinquimus remansuris. in causa lacrimarum matris, si etiam flentem cerneret, hoc vult ostendere, itu-
5 rum se non esse; vincere enim eam necesse esset quae cruciatus suos effusis fletibus adprobaret. hoc genere quanta factis commendatio est, cum subtiliter dicitur ut tu videas patrem tuum, ego sum matrem religiosissimam relicturus! *at tu, oro, solare inopem et succurre relictae:* inopem dixit 290
10 non substantia familiaris rei exhaustam, sed minoris animi, quoniam constabat illam absentiam fili aequo animo ferre non posse. hoc ita esse aliud quoque probat exemplum quo dictum est (4, 300) „saevit inops animi". ergo fove, inquit, mente inopem feminam, fove desertam, habeat sola-
15 cium tuum et absentiam fili non sentiat. *hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo in casus omnis:* securum me redde de partibus matris, ego omnis casus intrepidus petam. *percussa mente dederunt Dardanidae lacrimas, ante omnis pulcher Iulus, atque animum patriae strinxit pietatis imago:*
20 licet moti essent omnes loquente Euryalo, plus tamen Iulus percussus est; nam eius animum exagitavit Euryali exemplum et accedens caritas patris, quoniam similis fuerat causa et de parentibus agebatur. quippe alterum cruciabat patris absentia, alterum movebat quod talem matrem fuerat
25 relicturus. *tum sic effatur:* videamus Iuli responsum, cui 295 dictum est „at tu, oro, solare inopem et succurre relictae" et „hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo in casus omnis". *sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis; namque erit ista mihi genetrix nomenque Creusae solum defuerit nec*
30 *partum gratia talem parva manet, casus factum quicumque sequentur:* quicquid scis, ait, convenire meritis tuis, quic-

---

1 *dicere* V ed. *discere?* | *quam* V *qua* ed. 2 *ut* V *uti* ed. 3 *habentes reliquimus* V corr. ed. | *in* om. ed. 4 *etiam* V *eam* ed. 10 *exhaustam* V ed. *-ta?* 13 *quod dictum est* V *quo e. d.* ed. 14 *habeat* V *ut h.* ed. 18 *perculsa* V ed., sed *percussus* in interpr. V. 19 *atque* om. V. 28 *spondeo* ed. 31 *sequetur* ed.

quid arbitratus fueris te dignum, ante ipsam petitionem tu tibi spondere ne dubita atque ita, ut iam te accepisse confidas, nec te ulterius matris cura sollicitet; quae enim tua est merito efficietur et mea tantusque illius erit in animo meo religionis effectus, ut hoc solum differat, quod 5 Creusa non dicitur. meretur quippe magnam gratiam quae genuit talem nec illi eventus facti, sed initium debitam honorificentiam dabit et quod semel meruit erit in saecula 300 perpetuum. *per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat:* haec quae loquebatur, ut magis Euryalus crederet, iure- 10 iurando confirmat. quod ipsum non quasi incertus de salute patris dixit, solebat, sed alio illum more dehinc iurare consuesse voluit demonstrare. *quae tibi polliceor reduci rebusque secundis haec eadem matrique tuae generique manebunt:* nec solum tibi, inquit, digna promittuntur 15 verum etiam matri tuae et generi tuo. haec dicendo et, si redisset, promisit benivolentiam et, si non redisset; sed quod adversum fuit noluit evidentius, ne mala quam bona promittere videretur. *sic ait inlacrimans, umero simul* 305 *exuit ensem auratum, mira quem fecerat arte Lycaon Gnosius* 20 *atque habilem vagina aptarat eburna, dat Niso:* mox ut haec Ascanius dixit, detraxit umero suo conditum vagina gladium, quem praetulit auctoris merito et pretio eboris quo fuit vagina ipsa perfecta. dat Niso *Mnestheus pellem horrentisque leonis exuvias, [galeam fidus permutat Aletes]:* 25 Niso dat Ascanius gladium, Niso dat Mnestheus pellem. Niso et dat inter duos est et ad utrumque pertinet largien-

---

2 *dubites* ed. 4 *efficitur* ed. 5 *affectus* ed. | *differat* V *a mea matre* add. ed. 8 *in saecula* om. ed. 11 *confirmavit* ed. 12 *et dehinc* V ed. *et* delevi. 16 *genitori tuo* V ed. *generi t.* nos. 18 *sed* om. ed. | *noluit* V *reticuit ne* ed. | *evidentius* V *e. ne* nos *evidentia* ed. | *quam* V *potius q.* ed. 19 post *videretur* spatium unius versus et sex fere litterarum signis expletum in V. 22 *hac* V *haec* ed. | inter *detraxit* et *umero* dimidii versus spatium propter rugam membranae vacuum in V. | *ab humero* ed. 24 *dat niso* repetit V om. ed. 25 *galeam—Aletes* deest in V, sed explicatur. 26 *Niso dat*—27 *largientem* partim om. partim mut. ed. 26 *daudium* vel *claudium* V *gladium* H nos. 27 *ēet* (= esset) V *est et* nos.

tem. Aletes galeam permutat, hoc est dominium quod in ea habuit transfert. *protinus armati incedunt, quos omnis euntis primorum manus ad portas, iuvenumque senumque, prosequitur votis:* quos omnis euntis cum pronuntiamus, 310
5 separare debemus quos et moram facere, dehinc dicere omnis euntis primorum manus ad portas, iuvenumque senumque. si enim de duobus dixerimus quos omnis, faciemus vitium male pronuntiando, ut dicamus quos omnis euntis qui fuerunt duo. ordinari autem debet sensus sic:
10 quos euntis, id est Euryalum et Nisum, primorum, et senum et iuvenum, omnis manus, hoc est multitudo ad portas votis prosequitur, optans scilicet bona. primi eos prosequebantur, ad quos cura pertinebat et summa tractatuum publicorum, iuvenes vero, quibus adhuc fuerat laborandum
15 et excitabantur exemplo, senes vero, qui quicquid Nisus et Euryalus fuerant adgressi mirabantur omnes: ergo isti votis prosequebantur duos et ad incerta pergentis. *nec non et pulcher Iulus ante annos animumque gerens curamque virilem multa patri mandata dabat portanda:* egregium
20 inventum ut a ceteris separaretur Ascanius; esset enim magnum poetae vitium, si hunc universis aequasset qui specialiter in causa patris esse sollicitior debuit. etsi puer, inquit, Ascanius fuit, tamen ante aetatem congruam tangebatur iuvenum cura, quam necessitas ponebat. dabat multa
25 mandata quae ferrentur ad patrem, *sed aurae omnia discerpunt et nubibus inrita donant:* ille quidem praecipui fili partibus fungebatur, sed totum ibat in nubes et ventos, quoniam mox fuerant perituri.

---

1 *Aletes — permutat* interpretatio est, sed rubro colore pro lemmate scripsit V. 3 *senumque* om. V. 5 *quos et* V *omnis* interpos. ed. 6 *omnis* — 8 *omnis* om. ed. 7 *duobus* V *de d.* nos. 12 *primi* V *patriae* ed. 14 *vero* om. ed. 15 *excitabatur* V corr. ed. | *quicquid* V ed. *qui q.* nos. 19 *portanda dabat mandata* ed. | post *portanda* quattuor versus propter membranae tenuitatem vacui in V. 22 *sollitior* V *magis sollicitus* ed. 24 *iuvenum* V *virorum* ed. | *quam — ponebat* temere mut. ed. 28 *quoniam* V *etenim* ed. | *mox* V *m. hi duo* ed.

315 *Egressi superant fossas noctisque per umbram castra inimica petunt:* transierunt fossas quibus tuti antea fuerant et pervenerunt ad loca ipsa in quibus degebant inimici, quod fuit factu facillimum iuvante auxilio tenebrarum. castra dixit militari more non constructa parietibus, sed 5 locum qui tenebat exercitum. *multis tamen ante futuri exitio:* etsi perituri fuerant, erat tamen solacium gloriae, quia multos ante fuerant occisuri. inimica castra dixit, quoniam illo contenderant unde non erant redituri: non ergo quasi diversae partis castra dixit inimica, sed specia- 10 liter Niso et Euryalo. occasionem peragendae caedis dederant qui iacebant pro mortuis, utpote quos fatigaverat ludus et ebrietas presserat et possederat somnus. ecce conparatio regis et regis, ducum et ducum, exercitus et exercitus, gestorum in Troianorum parte et Rutulorum: Aeneas descri- 15 bitur vigilans et in peregrinis agens inter gentis incognitas, Turnus sedens in luco nihil cogitans, utpote qui nihil prorsus fuisset adgressus, nisi esset inpulsus ab ea quae Troianis esset inimica quaeque ageret causam suam et aliorum malo ipsa Aenean niteretur occidere; exercitus vero Troianorum 20 mandata regis sui recte custodiens, vigilans, sobrius, intentus ac diligens et ne tunc quidem aliquid concedens otio cum hostis vinum et somnus oppresserat, Rutulorum vero iners, dissolutus, temulentus, belli tempore luxuriosus pronusque in ludum tantumque ad insidias patens, ut duobus Troianis san- 25 guinem praebuisset et colla. quos licet adversa tenuissent, ausos tamen memorabile fuit et interfecisse plurimos gloriosum. describuntur iam ludibria Rutulorum: *passim somno vinoque per herbam corpora fusa vident.* passim dixit non more dormientum cum ordinatione aliqua, sed uti quisque 30 superatus ebrietate conciderat, non stratis iacere, sed per

---

9 *contenderant* V ed. *-bant?* 20 *ipsa* V *ipsum* ed. | *occidere* V *extinguere* ed. 22 *quo* V ed. *cum* nos (fortasse *quom* in archetypo fuit). 23 *iners dissolutus* V temere mut. ed. 24 *temulentus* V *ac temulenta vini vis* ed. | *luxuriosas pronasque* ed. 25 *patens* V *patentes impulerat* ed. 26 *praebuissent* ed. 27 *ausus* V ed. *ausos* nos. | *memorabilis* ed.

herbam, ut non iam dormientum, sed mortuorum funera putarentur. *arrectos litore currus:* non, ut solet belli tempore, currus paratos habentes ad signum. *inter lora rotasque viros:* ut nulla humani moris ordinatio videretur.
5 *simul arma iacere, vina simul:* nulla specierum discretio apparebat, miscuerat ebrietas quae solet sobriorum sollertia separare. *prior Hyrtacides sic ore locutus: Euryale, audendum dextra, nunc ipsa vocat res:* Euryale, inquit, audere debet manus quod oportuna monstrat occasio. 320
10 *hac iter est:* aperienda est per neces hostium via atque ista parte pergendum. *tu, ne qua manus se attollere nobis a tergo possit, custodi et consule longe, haec ego vasta dabo et lato te limite ducam:* magna cautela et sollicitudo satis superque laudabilis: constituti inter eos fuerant quos ad
15 mortuorum vicem straverat somnus et vinum, tamen providus fuit Nisus, ne quis a tergo adveniens inprudentis invaderet. ego, inquit, aperiam perfectis caedibus viam, tu provide et longius respice, ne a tergo opprimamur incauti. non metuebat Nisus ex praesentibus aliquem, sed
20 ne venirent alii, ut mox factum est, cum iam caedibus satiati et spoliis onusti discederent. interea in ipsis mandatis hominis longo usu eruditi quam doctissimum magisterium: longe, inquit, prospice, ne nos insidiae repentinae opprimant, ut medium quod interesse spatium posset
25 evadendi consilium vel copiam daret. ceterum quid adferret commodi propius procurata conspectio, cum ante hostis oppressurus esset inprovidos quam eius nuntiaretur adventus? *sic memorat vocemque premit:* silentio quippe opus fuerat, ne quo casu quisquam hostium evigilaret
30 aut surgeret. *simul ense superbum Rhamnetem adgreditur:* 325 primum adgreditur gladio Rhamnetem superbum. exponit cur istum superbum dixerit hoc est elatum ambitione divitiarum: *qui forte tapetibus altis extructus toto proflabat*

---

1 *dormientum* V ed. *-tes*? 6 *miscuerat* V *confuderat* ed. 15 *vicem et* ed. 21 *interea* V ed. *intuere* ed. post. 23 *magistrum* ed. 26 *proprius* V. | *ante* V *prius* ed. 29 *ne quo casu* V *si* ed.

pectore somnum. plena est istius Rhamnetis reprehensio, quod tali loco ac tali tempore multa veste et ultra pacis delicias constructa dormiebat toto pectore efflans somnum perindeque nescires vivus faceret an moriturus; stertebat enim, quod non facit nisi qui securus facit et in otio 5 constitutus est. ecce quales vigiliae Rutulorum, ut mactarentur et se trucidari nescirent. *rex idem et regi Turno gratissimus augur, [sed non augurio potuit depellere pestem]:* augmentum dedecoris, et rex fuit et augur, sed quomodo regere alios posset qui salutem suam tueri non potuit? 10 aut quantum in arte auguriorum valuit qui nec exitium proprium vidit nec vitare contendit? *tris iuxta famulos temere inter tela iacentis:* temere dixit passim et incaute. 330 *armigerumque Remi premit,* hoc est necat, *aurigamque sub ipsis nanctus equis:* quomodo enim reperiri debuit qui 15 deligendi loci oppressus vino arbitrium habere non potuit, ut cecidisse potius videretur quam corpus suum sponte ad requiem tradidisse? *ferroque secat pendentia colla:* premit in medio posuit, ut sit premit famulos, premit aurigam. parum autem fuit dixisse temere inter tela iacentis 20 et aurigam sub ipsis nanctus equis; ut altissimam ebrietatem et gravissimam demonstraret, addidit ferroque secat pendentia colla. secare est enim abscidere cum mora, quae mora procul dubio et securitate veniebat facientis et ex patientium ignoratione, qui colla sua secari nesciebant. 25 quod ipsum cum plurimis fieret, nullus fuit qui dolorem sentiret aut ferrum. *tunc caput ipsi aufert domino truncumque relinquit sanguine singultantem:* conatus exeuntis animae,

1 *plenas* V *plena est* ed. 4 *perindeque nesciens vivus faceret an mortuus* V *perinde nescius vivusne f. an m.* ed.: tantas ineptias Donatum scripsisse negans *nescires* et *moriturus* emendavi cf. 10, 349. 5 *non fecit* V ed. corr. ed. post. | *otio* V ed. *in o.* ed. post. 8 *sed — pestem* deest in V, sed explicatur. 9 *fuit inaugur* V corr. ed. 14 *negat* V corr. ed. 23 *colla* om. ed. | *abscindere* ed. 24 *et securitate* V *ex s.* ed., sed cf. prooem. in. 25 *patientis* V ed. *-tium* nos. | *nimia ebrietate* post *sua* interpol. edF. | *negari* V *secari* ed. nos. | *nesciebat* ed. 27 *tunc* V ed. *tum* Verg. libri.

quoniam sublato capite parere non poterant, singultibus sanguinis monstrabantur. *atro tepefacta cruore terra torique madent:* tantus ex multis cadaveribus fuerat cruor effusus, ut tepefacta et madida effecta fuerint terra simul ac tori.
5 feminino et masculino neutrali genere occurrit, quod imitandum est, cum ad huiusmodi locutiones fuerit ventum. utraque igitur maduerant sanguine, utraque eius calore tepuerant, ad omnium necem respondit dicendo atro tepefacta cruore terra torique madent; in terra enim fuerant
10 servi et auriga, ipse autem dominus in toro. *nec non Tamyrumque Lamumque et iuvenem Serranum:* cum dicit 335 nec non, etiam hos Nisus intellegitur occidisse. *illa qui plurima nocte luserat,* hoc est plurima parte noctis perindeque maiore, cuius fatigatio ebrietati coniuncta hominem
15 non somno, sed sepulturae tradiderat. *insignis facie multoque iacebat membra deo victus:* ebrium tantummodo vult istum ostendere quam somno oppressum, quod fuit peius, ut solo vino superatus sic iaceret ut illi qui ex utroque fuerant fusi. *felix, si protinus illum aequasset nocti*
20 *ludum in lucemque tulisset:* felix esset, si ludum toto tempore noctis aequasset, hoc est continuans perseverasset in lucem. *inpastus ceu plena leo per ovilia turbans,* hoc est turbas dans. inpastum dixit esurientem; feritatem quippe bestiae conduplicat fames. leoni conparavit Nisum, Rutulos vero
25 inertissimo animalium generi. *(suadet enim vesana fames)* 340 *manditque trahitque molle pecus [mutumque metu]:* duo oportuna praedae conficiendae, leonis fames et teneritudo animalis: accedebat enim timiditas pecoris natura veniens, quod nescit clamare dum petitur. ecce quanta gloria
30 Troianorum, quantum Rutulorum ludibrium. conparatur, ut dictum est, Nisus leoni et ovibus Rutuli. *nec minor Euryali caedes, incensus et ipse perfurit ac multam in*

---

4 *fuerint* V *-rit* ed. | *auctori* V corr. ed. 6 *locutionis* V ed. 11 *tammyrumque* V. 15 *sed* V *s. quasi* ed. 16 *devictus* pro *deo victus* V. 17 *quam* V *quem* ed. 19 *fuerant* V *iacebant* ed. 26 *mutumque metu* deest in V, sed explicatur.

medio sine nomine plebem Fadumque Herbesumque subit
345 *Rhoetumque Abarimque ignaros:* quia multos cum nominibus superius posuit, idcirco hoc cum diceret, sine nominibus commemoravit; hoc enim genere non paucos significare potuit caesos; vocabulorum enim enumeratio speciem evi- 5 dentem transire non posset. certe dixit et causam, quae non admisit dici nomina singulorum, plebei, inquit, fuerunt: quis potest nomina nosse multorum et eorum quorum nullum appareat meritum? Fadum tamen et Herbesum Rhoetumque Abarimque ignaros, cum his scilicet qui ex 10 plebe fuisse videbantur. subit ad omnis pertinet qui adseruntur occisi. ignaros quoque quod ait, ad cunctos similiter pertinet Rhoeto excepto, quoniam sequitur *Rhoetum vigilantem et cuncta videntem. sed magnum metuens se post cratera tegebat.* iste tantum occisus est sciens et con- 15 spiciens universa. cui obfuit timiditas sua, qui cum magnum hostem ultra modum metueret, sese post cratera nitebatur abscondere. hic dubitatur quo debeat adplicari quod dixit magnum, utrum magnum metuens an magnum post cratera. sed melius est magnum hostem accipere 20 propter nimium timorem quam magnum quo occultari non potuit, denique inde occisus, quia visus est velut latens. *pectore in adverso totum cui comminus ensem condidit adsurgenti:* et visus est iste et tulit hostem venientem et antequam adsurgens plene consisteret, in ipso pectore plenum 25 ictum mucronis suscepit. quod factum est surgentis impetu et ferventis; nam inpactis inter se duro et molli praevaluit ferrum solidum natura et in rigorem satis apteque compositum. huic intellectui ferarum, cum percutiuntur, congruit factum, quae saltu ac pondere suo venientem ad- 30

---

1 *herbessumque* (infra *s*) V. 2 *ignaros* lemmatis finis in V *Rhoetum — videntem* add. ed. 3 *hoc* V *haec* ed. 4 *non paucos s. p. non caesos* V posterius *non* del. V ed. dubito an prius delendum sit, posterius retinendum. 7 *plebei* V *ex plebe* ed. 12 *cunctos* V *omnes* ed. 16 *cui* om. ed. 19 *magnum utrum* om. ed. 21 *quo* V *quod* ed. 28 *in rigorem* V *rigore* ed.

iuvant ictum. *et multa morte recepit purpureum:* ubi vidit hominem plena morte confectum, revocavit gladium, quia propter aliorum necem diutius in unius morte retineri non debuit, quem iam constabat extinctum. potest et
5 *purpuream vomit ille animam:* quoniam sanguis eius colorem naturae servare non potuit, in purpurei coloris speciem fundebatur; purpura quippe nigra est cum rubore. sanguis igitur ex vini admixtione corruptus et colori suo respondebat et vini. hunc intellectum poeta ipse monstravit dicens
10 *et cum sanguine mixta vina refert moriens.* quantum 350 interea bibitum fuit, ut vini superfluens modus copiam superaverit sanguinis! *hic furto fervidus instat:* hic tanto magis perficiendis caedibus operam dabat quanto videbat occasionem multiplicem suffragari, tantoque proficiebat
15 furtiva victoria quanto animus viri fortis rapiebatur ad gloriam. *iamque ad Messapi socios tendebat:* ipse est de quo supra dixit (159) „interea vigilum excubiis obsidere portas cura datur Messapo". vult ergo ostendere qualem iste gesserit vigiliarum sibi commissarum curam, ut probet
20 in parte Rutulorum et ipsius regis et ducum et totius exercitus summam fuisse inertiam. *ibi ignem [deficere extremum]:* ibi, inquit, videre coepit ignem in extrema sui deficientem, hoc est ignis consumi reliquias, quod fuit dormientum et temulentorum signum; ubi enim ignis
25 fomenta non sumpserit suggerentis industria, continuo languescit et perit. *et religatos rite videbat carpere gramen equos:* et equi omnibus liberi nexibus non errarent per gramina, si praesto esset qui alimoniam ex more suggereret. *breviter cum talia Nisus (sensit enim nimia caede atque*
30 *cupidine ferri):* dixit factum et simul causam facti ipsius

---

1 *purpureum* lemmatis finis in V *purpuream vomit ille animam* ed F inepte propter sequentia. 4 *potest et* V *sic intelligi* add. ed. 5 *purpuream* non pro lemmatis parte scripsit V. 7 *purpura* V *-rea* ed. 11 *ut* V *si* ed F. 12 *superaverat* ed. 13 *perspiciendis* V *perf-* ed. 14 *perficiebat* V ed. 20 *et ducum* V *et* om. ed. 21 *deficere extremum* om. V add. ed. 22 *in* V *ut* ed.

ostendit. talia, inquit, breviter locutus est Nisus; reprehensurus enim moras non debuit plurimis loqui, ne multiloquio eas excluderet. dicit iam quae illum ratio cogebat in verba; senserat quippe non satiari Euryalum caedibus, 355 sed magis accendi. *absistamus, ait, nam lux inimica* 5 *propinquat:* recedendum est, inquit, quoniam lux proxima est quae nos posset hostibus prodere. nec inmerito dixit inimicam lucem; si enim tenebrae profuerunt, ut gloriosa coepta perficerentur, procul dubio obfutura fuerat lux quae nihil relinquit occultum. *poenarum exhaustum satis est,* 10 *via facta per hostis:* recedendum suadebat Nisus, sed dicere Euryalus potuit occasionem talem non esse perdendam qua hostes in maiore numero possent trucidari. hoc ne diceretur, prior Nisus occurrit, ad necessitatem rei satis abundare quod factum videbatur. transitus, inquit, nobis per hostis 15 fuerat necessarius, factus est, quid amplius quaerimus? nec considerandum est hoc tempore quid infligi hosti amplius debeat, sed quemadmodum usque ad ipsum Aenean susceptum inpleatur officium, ne lux ingruens prodat quos tenebrae tegunt. *multa virum solido argento perfecta* 20 *relinquunt armaque craterasque simul pulchrosque tapetas:* qui sola gloria ducebantur non capti sunt rebus pretiosis et magnis nec voluerunt onerari pondere qui expediti properare debuerant. *Euryalus phaleras Rhamnetis* 360 *et aurea bullis cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim* 25 *quae mittit dona hospitio, cum iungeret absens, Caedicus, ille suo moriens dat habere nepoti, post mortem bello Rutuli pugnaque potiti:* contemptis quae superflua pro tempore esse potuerant id abstulit quod ornaret virum fortem et

---

2 *multi loqui ea excludere* V *multiloquio eas excluderet* ed.: ut 6, 538 in eadem re *nutriret,* sic *excluderet* tamquam de pullis excludendis sive excudendis dixisse putandus est, nisi forte *extenderet* corrigere placet. 3 *iamque* ed. 6 *quoniam* V *quum* ed. 7 *est* V *sit* ed. 13 *in maiore numero* V ed. cf. 1, 600 *in numero exiguo.* 14 *ad neces statim* V *ad neces statum* ed. corr. ed. post. 17 *hosti* om. ed. 19 *inpleatur* V *ingruatur* ed. *instruatur* ed. post. 26 *coniungeret* pro *cum iungeret* V. 28 *pugnaque* V *praedaque* ed.

posset in necessitate bellica communire. rapuit igitur cingula occisi Rhamnetis ornata aureis bullis, quorum meritum ut appareret, ordo commemoratur originalium dominorum. Caedicus, inquit, haec miserat Remulo, qui
5 esset ex oppido Tiburti, absens absenti ob confirmandam amicitiam et honorandam hospitii religionem, ille autem, hoc est Remulus, moriens reliquit haec nepoti, qui et ipse bello deiectus cum fuisset, transitum fecerunt ad Rutulos, a Rutulis nunc ad Euryalum. *haec rapit atque umeris*
10 *nequicquam fortibus aptat,* hoc est apte conponit; quicquid enim portandum est, si bene feratur, levius redditur. omnia igitur inposuit umeris nequicquam fortibus, quia mox et ipse fuerat periturus. potest et sic currere ordinatio: omnia umeris fortibus inposuit nequicquam, quia haec fuerat cum
15 salutis dispendio perditurus. *tum galeam Messapi habilem* 365 *cristisque decoram induit:* deinde induit sibi galeam Messapi satis pulchram et eminentibus cristis insignem et capiti suo aptissimam. *excedunt castris et tuta capessunt:* his gestis reliquerunt loca Rutulorum quae fuerant eorum
20 vitae contraria et tuta petierunt.

Interea praemissi equites ex urbe Latina, cetera dum legio campis instructa moratur, ibant et Turno regi responsa ferebant, tercentum, scutati omnes, Vulcente magistro: quo- 370 niam primo loco dixit praemissi, hoc primum exponamus:
25 veniebant enim equites, veniebant et pedites; ex utroque cum est exercitus, non potest uno duci itinere, quia humani gressus generi equino conparari non possunt. ne igitur per armatos pedites perindeque oneratos tardarentur, equites primi praemissi sunt, illi vero instructis ordinibus seque-
30 bantur ex urbe Latina: ecce dicitur unde missi. missi non

---

7 *qui* V *quae* ed. 9 versum 365 cum interpretatione ante v. 364 et eius interpretationem habet V: transposui cum ed. 13 *sic — ordinatio* V temere mut. ed. 16 *deinde* — 17 *eminentibus* om. *hoc est* substituit ed. 18 *et tuta* V *ac t.* ed. 23 *vulcente* ut plerumque, alibi *volc-* uno loco *vulg-* V. 29 *primi — sunt* temere mut. ed. 30 *missi non* — 238, 3 *remansissent* mutilavit et corrupit ed.

ad solos equites, sed et ad pedites pertinet. cetera dum legio campis instructa moratur, ibant: ecce indicavit non solos equites fuisse et ostendit cur pedites remansissent; instructis enim ordinibus ambulabant. non ergo remanserunt, sed cum mora veniebant; iter enim peditum tardum 5 est, vel maxime armatorum. designat quantitatem praemissorum, trecenti, inquit, fuerunt; scutati omnes, non omisit quomodo essent muniti. Turno regi responsa ferebant: veniebant ad Turnum cum responsis: quae ista essent vel cuius et utrum deorum an hominis non dixit. Vulcente 10 magistro; numeri enim militares sine magistris esse non possunt. totum dixit et summa brevitate collectum. *iamque propinquabant castris, muroque subibant,* ipsi scilicet equites et Vulcens. *cum procul hos laevo flectentis limite cernunt:* viderunt Nisum et Euryalum in sinistram transitus partem 15 iter flectentis. quaeritur: quomodo per noctem videri potuerunt? *et galea Euryalum sublustri noctis in umbra prodidit inmemorem radiisque adversa refulsit:* sublustris umbra est quae sereno caelo habet aliquid luminis. talis igitur cum esset nox, galeae splendor spargens ex se radios oculis 20 exercitus venientis obfulsit. non ergo ipsi homines visi sunt, sed eorum indicium. attulit hoc Niso et Euryalo e diverso eventus exoriens, ut ea hora illi egrederentur e castris Rutulorum qua venientes hostes prope ingressum fuerunt, attulit et incuria Euryali malum, qui fulgentem 25 375 galeam non abscondit. *haut temere est visum:* cum hoc vidisset exercitus, non credidit esse temnendum; non enim vacuum esse potuit quod splendor ille nuntiabat. *conclamat ab agmine Vulcens: state, viri:* quasi ipsos revera conspexisset, sic clamare coepit state. *quae causa viae? quive* 30 *estis in armis? quove tenetis iter?* totum summa brevitate quaesivit, qui essent, quo armati tenderent et quae eos

---

14 *et Vulcens* om. ed. 21 *refulsit* ed. 22 *sed deorum* V corr. ed. | *indicium* V *arma fulgentia dederunt* add. ed. | *hoc* V *haec* ed. 23 *et diverso* V *ex adverso* ed. | *illa* V *illi* ed. 26 *aut* pro *haut* V ed. corr. ed. post. 27 *tenendum* V *temn.* nos *tacendum* ed. 30 *et sic* ed.

duceret causa, ante omnia clamabat ut starent, quo facilius instruerent ignorantem. cum vero clamaret Vulcens et ista inquireret, *nihil illi,* hoc est nullum illi dedere responsum nec voluerunt consistere, quoniam fuit illis inimica cessatio
5 et homini incertissimo non fuit sermo reddendus qui arbitratus est aut stari posse aut emitti responsum ab his qui evadendi discriminis causa quaerebant fugiendi subsidium. *tendere contra et celerare fugam in silvas et fidere noctì:* nutriebat fugientium spem qualitas loci et noctis
10 oportunum tempus, quae ipsa in contrarium versa sunt. inde quippe decepti sunt unde se fore speraverant tutos; nam loca incognita ac densissimis ab sentibus occupata, tenebrae noctis et instantis periculi metus sic eorum consilia confuderunt, ut et discernerentur abinvicem et quam
15 in partem tendere debuissent turbati nescirent. interea considerandum est quomodo istorum personas pro aetate poeta descripserit; alia enim dedit Niso consilia qui natu fuerat maior, alia Euryalo de quo supra dixit (181) „ora puer prima signans intonsa iuventa". Nisus consilium repperit
20 quo ad Aenean iri potuisset, Nisus ducere Euryalum noluit, Nisus dixit Euryalo ut caveret ne quis a tergo inprudentis invaderet, Nisus dixit „absistamus, nam lux inimica propinquat", Nisus nihil tulit quod postea fieret adversum, Nisus evasit in silva et inplesset factum, si Euryali capti-
25 vitas non extitisset. contra Euryalo spes magna, sed puerile consilium, totum fervens et inmoderatum ac leve. contra Rutuli quid fuerint moliti videamus: *obiciunt equites sese ad divortia nota hinc atque hinc omnemque aditum custode* 380 *coronant:* potuerunt inter initia aestimari de numero fuisse
30 Rutulorum quorum galea fulserat, sed cum Vulcenti non fuisset responsum, intellectum est hostis esse quam socios:

---

3 *nullum illi* V *illi* om. ed. 8 *nihil illi* lemmati contra interpr. praefixit ed. | *et celerare* V *sed c.* Verg. libri ed. 12 *ab sentibus* om. sequentia temere mut. ed. 14 *confuderunt — abinvicem* corrupit ed. | *discerneretur* V *-rentur* nos. 26 *totum* V *tantum* ed. 29 *existimari* ed. 31 *esse quam* V *e. potius q.* ed.

proinde notitia locorum instructi clauserunt custodibus silvam et omnia loca per quae evadi potuisset tenuerunt. *silva fuit late dumis atque ilice nigra horrida, quam densi conplerant undique sentes, rara per occultos ducebat semita calles:* situs silvae in tantum describitur, ut nihil superfluum teneat, hoc exigit brevitatis ratio; id enim solum habere debet quod Niso et Euryalo facere posset errorem; cetera vero descripta non sunt quae negotio non congruebant. silva igitur occupata sentibus fuit per inmensam latitudinem fusis, ilicibus nigris, ramosis et spissis tenebrosa, ut praeter obscuritatem noctis alias atris frondibus suis tenebras adderet. rara per occultos ducebat semita calles; difficilis transitus et plena investigatione quaesitus inter angustos calles poterat reperiri. calles quid sint ipse poeta exposuit; viae quippe sunt perangustae inter dumos quae vix admittant transiturum. duo igitur subsidia, videndi scilicet atque gradiendi, fugientibus negabantur et ipsa describendae silvae fuerat causa; per haec enim separati sunt qui non debuerant discerni et ultimis suppliciis dari. incipit iam deceptionem ipsam dicere. *Euryalum tenebrae* (385) *ramorum onerosaque praeda inpediunt fallitque timor regione viarum:* non praeda inpediunt, quoniam singularis numerus plurali iungi non potuit, sed ramorum tenebrae et praeda inpediebant fugere cupientem accedente etiam eo quod terrore simul et locorum ignoratione confusus quo iter tenderet nesciebat. *Nisus abit; iamque inprudens evaserat hostis atque locos qui post Albae de nomine dicti Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat:* Nisus, qui nullo ponderis inpedimento teneretur, adiutus prosperitate fortuita, omnia inpedita, dum nescit, evasit. *ut stetit et frustra ab-*

2 *potuissent* ed. 3 *horrida* Donatum contra metrum cum *ilice* coniungere putat Hoppius p. 39, quia *ramosis et spissis* interpretatur: sed dubitari potest. 4 *ducebat* (et infra) V ed. cf. Serv. 12 *per occultis* V corr. ed. 14 *callis quid sit* ed. 16 *transitum* ed. 24 *impediebat* ed. | *accedentem* V *-te* nos cf. 10, 63 *accedebat* ed. | *etiam eo* V *timor* interpos. ed. 27 *locos* V *lacus* ed. 30 *impedimenta* ed.

sentem respexit amicum: respexit dixit absentem, quasi videri posset qui non erat in praesenti. respexit ergo, hoc est retrorsum aspexit, et cum eum cuius causa hoc fecerat animadvertisset absentem, frustra, inquit, respexit,
5 quia quem videre voluerat non invenit. *Euryale, infelix* 390 *qua te regione reliqui [quave sequar]:* in hoc versu diversa distinctio est; infelix enim sic in medio positum est, ut et Niso et Euryalo possit adiungi. si Niso, sic pronuntiandum, ut dicamus Euryale et hoc nomine suspenso con-
10 sequatur infelix qua te regione reliqui? deinde accedat quave sequar? ut inde magis infelix Nisus, quia nesciit cum amicum perderet et ignorabat ubi amicum deberet inquirere. alia distinctio est Euryale infelix, ut miserationis videatur esse cum perditum nominat, et ideo infelix,
15 quia amici peritioris gressus observare non potuit: qua te regione reliqui? quave sequar? inde quoque infelix, quia sic erraverit, ut inveniri non posset. iudicium hic legentis est necessarium, ut sequatur utrumque aut deligat alterum quod putaverit melius. mihi tamen videtur secundum
20 animum Nisi tantum doluisse perditum, ut se potius infelicem diceret, quia tardius respexit. denique addidit accusationem suam dicendo qua te regione reliqui? non dixit qua me regione reliquisti, ut inde infelix Nisus, quia nesciit cum perderet et perditum tarde intellexit. *rursus*
25 *perplexum iter omne revolvens fallacis silvae simul et vestigia retro observata legit dumisque silentibus errat:* ecce quot modis infelix Nisus, quia, cum se adverteret evasisse, cogebatur inquirendi amici causa ad ea revolvi quae

---

1 *dixit* V *inquit* ed. 2 *in praesenti* V *praesens* ed. 6 *quave sequar* deest in V, sed explicatur. 12 *et ignorabat* om. ed. 17 *erraverat* ed. 18 *sequar* V *sequatur* corr. ed. 20 *animum Nisi* V ed I *amicum Nisum* ed F. 23 *quam regionem* V ed. *qua me regione* nos. | *ut* V *ut et* ed. 24 *rursum,* sed infra in repetito lemmate *rursus* V, quod Verg. libri habent. 25 *fallaces silvae* V *fallaces silvas* ed F. *rursus — silvae* a Donato cum sequentibus iungi interpr. docet. 26 *dumisque* — 242, 4 *legit* om. ed. | *dum hisque* V. | *quod* V *quot* nos.

properando transmiserat et laborem duplicem subire sine spe inveniendi. quod autem ait rursus perplexum iter omne revolvens fallacis silvae simul et vestigia retro observata legit, quem intellectum nobis dederit caute considerandum est, ut plenius appareat infelicitas Nisi; nam rursum 5 coepit repetere quod cum maximo labore semel transmitti vix potuit. quantae infelicitatis fuit repetere viam perplexam hoc est multis inpedimentis obsessam, subire omnem reditus molem et remeare unde fuerat periculi contemplatione discessum, repetere fallacem silvam! silvae signi- 10 ficatione et latitudo monstratur et dumorum inpedimentum. fallacem autem ideo, quia, cum nulla gradiendi facilitas esset in tenebris, in ea magis supererant quae non regerent, sed fallerent ambulantem. vestigia vero considerare et redeundo colligere qui potuit, cum tali tempore ac loco videri 15 non possent? tamen quantarum morarum hoc fuit et quantae diligentiae! dumisque silentibus errat: tantum valuit adversa loci natura, ut cum ipsa inspectatione curiosa toto simul implicatus esset errore. *audit equos, audit strepitus et signa sequentum:* tantum inter ipsum et hostis supererat 20 spatii, ut ad eius auris equorum strepitus et sequentium 395 hostium signa pervenirent. *nec longum in medio tempus:* non plurimum temporis consecutum est, *cum clamor ad auris pervenit,* clamor capti scilicet Euryali, *ac videt Euryalum,* videt dixit advertit, *quem iam manus omnis* 25 *fraude loci et noctis subito turbante tumultu oppressum rapit:* capti Euryali defensionem poeta prosecutus est, ne iners, ne per inbecillitatem videretur factus esse captivus. captus est, inquit, Euryalus, sed illum locorum fraus hostibus dedit et tumultus repentinus et inimicum tempus 30 tenebrarum accedente multitudinis violentia quae totam coronaverat silvam. *et conantem plurima frustra:* in ipsis

---

2 *replexum* V. 7 *vix* om. ed. | *reppetere viam* V *bis viam rep*. ed. 9 *fuerit* ed. 11 *monstrare* V *monstratur* ed. 15 *qui* per compendium ꝗ scriptum ut v. 683 V *quis* ed. 16 *hoc* V *haec* ed. 18 *spectatione* ed. 28 *nec per* ed. 32 *coronaverat* V *circumdederat* ed.

tamen angustiis non sibi defuit; conatus est quippe multa pro se, sed contra tot difficultates obtinere non valuit. Sallustius quoque ubi ponit conatus est nullos effectus consecutos ostendit (Iug. 46, 1. 71, 5). *quid faciat? qua*
5 *vi iuvenem quibus audeat armis eripere? an sese medios* 400
moriturus in hostis inferat et pulchram properet per vulnera mortem? quia Nisus perdiderat eventum primae inventionis suae, in deliberationem repente mutatus est, sed prima illa pars fuit aestuantis, ut amicum incolumem vi aut armis,
10 si posset, eriperet aut, quia id contra multos inpleri non poterat, hostibus sese ipse quoque ingereret subiturus gloriosam cum socio mortem quam captivitatem poenis deterioribus fetam. *ocius adducto torquens hastile lacerto suspiciens altam lunam et sic forte precatur:* deliberantis,
15 inquit, haec fuit in illa necessitate sententia: cito reduxit cum hastili dexteram, cito ideo, ne locum mutarent qui Euryalum detinebant. reductio autem manus idcirco fit, ut fortius exeat quod fuerit destinatum. altam lunam intellegere possumus aut magni luminis aut in excelsa
20 caeli parte constitutam; alta enim non est in ortu vel mensis fine, quia non magni est luminis et medio caelo non videtur. his ergo deprecatus est verbis suspiciens eam, suspiciens aut veneratus ut deam aut in superna aspiciens ut in excelso constitutam: *tu, dea, tu praesens*
25 *nostro succurre labori, astrorum decus et nemorum Latonia* 405
custos: idcirco, inquit, te rogo, quia dea et sola es praesens. succurre labori nostro: generalis petitio, quam sequentibus patefacturus est; prius enim vult enumerare obsequia iuxta eam sui patris et sua, praemissa nihilo-
30 minus laude; amant enim numina laudari cum rogantur: tu es, ait, astrorum ornamentum et decus caeli, tu nemo-

---

3 de Sallustio, ut videtur, in margine aliquid adnotatum est manu recenti, quod legere non potui. 12 *quam* — 13 *fetam* om. ed. 13 *petam* V *fetam* nos cf. 405. 14 *altam ad lunam sic voce* ed. 20 *alta* — 24 *constitutam* om. ed. 21 *e medio* V *et m.* nos. 28 *connumerare* ed. 29 *eam* V *causam* ed. | *praemissa* — 30 *laude* V corrupit ed.

rum custos, quoniam ipsa fertur et Diana esse. *si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris dona tulit:* bene addidit pro me, quoniam nullum esset ex eo istius meritum, si ille non pro filio fecisset. *si qua ipse meis venatibus auxi suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi:* ecce 5 addidit etiam obsequia sua, ut ostendat se quoque eius esse cultorem. tholum ferunt esse medium tecti in rotunditatem collecti. subiungit prece conpleta petitionis summam: *hunc sine me turbare globum et rege tela per auras:* non petit inpossibile quod inpetrare non posset, 10 liberationem scilicet suam et consortis Euryali, sed ut turbaret saltem hostium congregationem, ut postea factum 410 est. *dixerat et toto conisus corpore ferrum conicit:* toto corpore conisus, aut quia paulo longius stabat aut quia mittebat iratus. *hasta volans noctis diverberat umbras* 15 *et venit adversi in tergum Sulmonis ibique frangitur ac fisso transit praecordia ligno:* expressum est hic beneficium deae et humanae fortitudinis robur; hastam enim Rutuli Sulmonis scutum excipit ibique frangitur non hasta, sed scutum; denique sequitur et fisso transit praecordia ligno: 20 diviso scuto atque perfracto transit hasta per illius praecordia qui tenebat. *volvitur ille vomens calidum de pectore* 415 *flumen frigidus et longis singultibus ilia pulsat:* ille, inquit, frigidus concidit vomens sanguinis calidum flumen. de frigido, ait, fundebatur calidus sanguis, quoniam rece- 25 dente eo quod in corpore calidum est quid supererat nisi ut frigus repente succederet? singultus vero sanguinem sequebantur; expirantis enim signa sunt, cum vis maior animam visceribus excludit. plena descriptio morientis ex magno ictu: per plagam, qua eius sunt perforata 30 praecordia, vomebat, ut dictum est, calidum sanguinis flumen ipse recedente calore frigidus remanens, singultus ducens animae luctantis, quam in extremos exitus cogebat

---

1 *quoniam — esse* temere mut. ed. | *perturet* V *fertur et* nos cf. 401. 11 *consortis* V *socii* ed. 16 *solmonis* V. 17 *fixo* (et infra) ed. 24 *concidit* V *effudit* ed. 30 *sunt* V *fuerant* ed.

exitium. *diversi circumspiciunt:* non omnes unam partem intuebantur, sed alii aliam, volentes missi teli auctorem et mali tanti originem nosse. *hoc acrior idem ecce aliud summa telum librabat ab aure:* magna copia describentis,
5 magna varietas: supra dixit adducto lacerto missum telum, hic dixit ab aure librabat. ubi igitur primum iactum eventus consecutus est, acrior factus parabat alterum ab ipsa aure; quanto enim retrorsum ducitur telum tanto ictus et longius vadit et fortior pervenit. *dum trepidant,*
10 *it hasta Tago per tempus utrumque stridens traiectoque haesit tepefacta cerebro:* dum Rutuli unius casu commoti turbantur, percussus est etiam Tago; nam per eius utrumque tempus transiit. nomen istius monoptotum declinavit; nam diceret per Tagonis utrumque tempus transiit hasta.
15 *saevit atrox Vulcens nec teli conspicit usquam auctorem* 420 *nec quo se ardens inmittere possit;* plus enim crescebat iracundia eius, quod auctor facti non apparebat nec constabat unde ultio debuisset exposci. *tu tamen interea calido mihi sanguine poenas persolves amborum inquit:*
20 quoniam latet, inquit, socius tuus, tu interim duorum poenas expendes. *simul ense recluso ibat in Euryalum:* dictio irati fervens satis et brevis; non enim in verbis, sed in facto ultio fuerat reposcenda. ibat igitur in Euryalum educto gladio et parato ad feriendum. *tum vero ex-*
25 *territus amens conclamat Nisus nec se celare tenebris am-* 425 *plius aut tantum potuit perferre dolorem:* quando ad amici necem ventum est, latebras dolor ulterius ferre non potuit, in tantum ut se ipsum sua proderet voce. videamus nunc qualis vox perturbati esse potuit et eius quem ex
30 causa maximi doloris amentem dixit effectum; ad ea enim respondere cogebatur quae dixerat Vulcens „tu tamen interea calido mihi sanguine poenas persolves amborum“. Nisus contra ait *me, me, adsum qui feci, in me convertite*

---

4 *liberabat* (et infra) V. 12 *Tagus* ed. 13 *nomen* — 14 *transiit* om. ed. 16 *ne quo* V. 24 *paratum* V corr. ed. 28 *sua proderet vocem* V *s. perderet voce* ed. 30 *ad ea enim* V *quum ad ea* ed. 31 *cogeretur* ed.

ferrum, [o Rutuli!] deficientis vox fuit per nimium dolorem. denique quod animus tenebat non potuit semel effundere. ait ergo me et, cum deesset continuatio verborum sequentium, ait iterum me, tertio, ubi coepit paulatim sese colligere, adiunxit adsum qui feci, quarto 5 in me convertite ferrum. cum igitur haec pronuntiantur, separanda sunt, ne coniuncta minuant intellectum magna subtilitate dispositum. quod autem duplicatum est me, infra conpletum est adiectione facta verborum quae inter initia secuta non fuerant. si, inquit, reum in vos ad- 10 missi quaeritis, Rutuli, praesto sum, audite confitentem et ferrum retorquete in me ab exitio innocentis. me percutite, me poenis quibus volueritis absumite. me quippe auctore et inventore factum constat quicquid vobis inflictum est. *mea fraus omnis:* inventiones fraudis in per- 15 niciem vestram conceptae meis consiliis processerunt. *nihil iste nec ausus nec potuit:* considerate eius aetatem, invenietis eum nec aliquid audere potuisse nec facere. probatur ecce istius amentia, dum putat hostis iusiurandum inimici in tantis augustiis acceptare posse: *caelum,* 20 inquit, *hoc et conscia sidera testor.* hic quia potuit ei dici, si horum conscius non est, quid hic facit vel cur 430 tecum est? occurrit ultro et ait *tantum infelicem nimium dilexit amicum.* quod ait tantum, corripi debet in pronuntiatione, non produci, ut sit hoc solum deliquit, quia 25 venit huc mecum amicitia infelicis hominis ductus, non odio vestro. errant autem qui producunt tantum et sic intellegunt, quasi Nisus dixerit tantum me amavit quasi multum me. quodsi solum est, hunc inplet intellectum,

1 *o Rutuli* deest in V, sed explicatur. | *mea — potuit* insuper add. ed. quae pro lemmatis scripta infra habet V. | *per* V *propter* ed. 2 *animus* V *animo* ed. | *semel* V ed I *semet* ed F I *ipsemet* ed. post. 10 *reum in vos admisi* V male mut. ed. 15 *inventionis* V. 17 *nec ausus ne* V *nec a. est nec* ed. 19 *ecce* om. ed. 21 *hoc* om. V. 22 *horum conscius* V temere mut. ed. 29 *multum me* V *amavit* excidisse puto *me* om. ed. | *non inplet* V ed. *non* interpretationi contrarium esse patet, quare *hunc* emendavi.

ut excusetur Euryalus. multum enim putavit interesse Nisus inter reum facti et eum qui interfuerit facto nec tamen aliquid fecerit, cum ambos teneat una sententia. sed hoc Vergilius non adprobans pro dolentis et turbati 5 per amentiam persona posuit, ut quasi hoc genere parceretur ei qui divelli ab amico non potuit. *talia dicta dabat, sed viribus ensis adactus transadigit costas et pectora candida rumpit:* Nisus quidem loquebatur quae prodesse Euryalo potuissent, sed hostis tenuit intentionem suam 10 et quantum irae gereret animo in ictu quo Euryalum percussit ostendit; nam viribus omnibus adegit ensem per costas eius et pectus. *volvitur Euryalus leto pulchrosque per artus it cruor inque umeros cervix conlapsa recumbit, purpureus veluti cum flos succisus aratro languescit moriens* 435 15 *lassove papavera collo demisere caput, pluvia cum forte gravantur:* duo genera conparavit funeri, purpureum florem toto corpori praeter cervicem et caput, papaveri cervicem et caput, quia sic inflectitur, cum maturitate lassatur aut umoris onere praegravatur. *at Nisus ruit* 20 *in medios solumque per omnis Vulcentem petit, in solo Vulcente moratur:* vicit hostium multitudinem Nisus et rupta circunstantium turba ad auctorem ipsum pervenit occisi nihil de sua morte formidans, qui moriturus inruerat et post amici mortem adpetebat potius quam 25 vitabat interitum. *quem circum glomerati hostes hinc com-* 440 *minus atque hinc proturbant:* proturbant eum qui poterant et ferire, sed observabant potioris iudicium nec temere audendum aliquid arbitrabantur ubi fuit excelsior potestate, qui arbitrio suo poenam deberet exigere. sed non obfuit 30 intentioni nisi proturbantium multitudo. *instat non setius ac rotat ensem fulmineum:* quo magis institit nec deseruit consilium suum, rotavit ensem fulmineum, hoc est in morem turbinis misit gladium, quasi iaceret fulmen, *donec*

---

2 *inter eum* V corr. ed. 13 *it* om. V. 17 *papavero* V *-ri* ed. 19 *autmoris* V. 24 *et petebat* V *adpetebat* nos *et* om. ed. 29 *sed non obfuit* V *sic* expectes *s. n. abfuit* ed. 30 *perturbantium* ed. | *setius* V *segnius* ed. 33 *flumen* V.

Rutuli clamantis in ore condidit adverso. oportune iactus est ensis, fuit enim penetrandi facilis via, ut os clamantis simul feriret et clauderet. o consilium praesens! desiderans ultionem consortis occisi manu propria ferire non potuit (inpediebatur enim proturbantium turba) et tamen rotato 5 ense vindictam quam desiderabat inplevit. *et moriens animam abstulit hostis:* hoc dicendo ostendit etiam Nisum fuisse percussum propter Vulcentis exitium, cui gloriosa mors fuit, quia vindicato consorte diem ultimum clausit. *tum* 445 *super exanimum sese proiecit amicum confossus placidaque ibi* 10 *demum morte quievit:* et cum ultimum spiritum redderet, in animo habuit amicum individuum. denique cum ab eo nollet etiam mortuus separari, super ipsum maluit cadere et super carissimum funus animam flare. *fortunati ambo:* exaequavit amborum fidem, exaequavit laudem; 15 Euryalus enim noluit Nisum relinquere in pericla pergentem, ecce et Nisus, qui evaserat, ne amico exanimi superstes extitisset, properavit ad mortem. et quoniam res fuit praeclari exempli, digni inventi sunt quorum per Vergilii carmen memoria conderetur ad posteros. ideoque facta 20 apostropha ait *si quid mea carmina possunt, nulla dies umquam memori vos eximet aevo.* ne videretur adrogans in laude carminum suorum, dixit si quid mea carmina possunt, hoc est si digna fuerint carmina mea quae concelebret secutura posteritas, semper ipsi eritis in laude, 25 *dum domus Aeneae Capitoli inmobile saxum accolet imperiumque pater Romanus habebit.* haec dicendo ostendit nihil fore perpetuum et omnia ad ultimum finem esse ventura, tamen magnae fuit gloriae illorum cum omnibus suam quoque durantem memoriam uno cum omnibus fine 30 concludi.

---

8 *vulgentis* V. 10 *confossos* V. 14 *efflare* ed F. 15 *ambos* pro *ambo* V. 16 *pericula* ed. 17 *superstitisset* V *superstes esset* ed F *s. extitisset* nos. 19 *q̄n̄m̄* V *quorum* corr. ed. 24 *concaelebraet* V. 25 *eris* V *eritis* corr. ed. 29 *magna f. gloria* ed. 30 *sua quoque durante moria* V *s. qu. d. memoria* ed., sed sic *concludi* subiecto caret, quare emendavi.

Victores praeda Rutuli spoliisque potiti: victores dixit 450
obtrectationis causa qui putarent se aliquid magnum fecisse,
quia trecenti occiderant duos, cum et duo iam ipsi tris
peremissent. denique qualis victoria fuit quam sequebantur
5 lacrimae perditorum? quod ipsum ut satiaret, ait *Vulcentem exanimum flentes in castra ferebant:* in castra dixit
ubi pars alia degebat exercitus qui Troianos obsederat.
spoliis, inquit, potiti: et hoc notabile; gloriabantur enim
pro magno aestimantes, quia receperant ea quae solus
10 portabat Euryalus. intellegamus praedam fuisse in speciebus
quas tulerat Nisus, spolia vero quibus ipse et Nisus
fuerant induti vel armati. *nec minor in castris luctus
Rhamnete reperto exangui et primis una tot caede peremptis,
Serranoque Numaque:* auctus est eorum luctus ex aliorum
15 caedibus repertis in castris, quos primos et plurimos una
simul calamitas straverat. *ingens concursus ad ipsa
corpora,* vel quia videbatur plurimorum acerbitas funerum 455
vel quia volebant nosse quos quantosve perdidissent.
tantum autem momenti uuius clades inflixerat, ut omnes
20 simul turbati uni tantum causae tenerentur intenti. *seminecisque viros tepidaque recentem caede locum et plenos spumantis sanguine rivos:* scelus in recenti admissum ex eo
colligebant, quod nonnulli adhuc aliquam partem spiritus
retinebant et caesorum sanguis nondum amiserat spumas
25 terraque ipsa nonnihil caloris ex cruoris effusione reddebat.
unde magis agebantur dolentes, quia, si adversa illos
fortuna non inpedisset, nihil emersisset eiusmodi quod
plangerent aut lugerent. *agnoscunt spolia inter se galeamque nitentem Messapi et multo phaleras sudore receptas:*

---

3 *duo* V *ac potius alter duorum* add. ed. 5 *sauciaret* V corr. ed. 7 *degebat* V *erat* ed. | *obsiderat* V. 9 *existimantes* ed. | *praeceperant* V *receperant* nos cf. 458 *acceperunt* ed. 11 *tulerat Nisus* V ed. falsum esse patet, quia Nisus nihil tulerat (cf. 378) et *ipse* Euryalum respicit, potest Donati lapsus esse; si minus, *Nisus* delendum est. 14 *seranoque* V. 18 *nosse* V *scire* ed. 20 *unitatum* V *calamitatum* ed. | *causa* ed. 22 *recenti* V *in r.* nos cf. 8, 106 et 9, 389 *recenter* ed. 24 *spumas* V *colorem* ed. 26 *angebantur* ed., sed cf. 6, 159.

agnoscebant Messapi galeam et phaleras sudore largissimo reciperatas. intellegi potest etiam sic, ut adhuc maneat Rutulorum ludibriosa laudatio, ut trecenti armati receperint sudore ingenti quae sustulerant duo.

460 *Et iam prima novo spargebat lumine terras Tithoni* 5 *croceum linquens Aurora cubile, iam sole infuso, iam rebus luce retectis:* iam, inquit, consumpta nox fuerat et apparebant omnia quae occultaverant tenebrae. *Turnus in arma viros armis circumdatus ipse suscitat:* suscitat utpote dormientis, nec posset alios in bellum constantius excitare, 10 nisi etiam ipse primo fuisset armatus. *aeratasque acies in proelia cogit quisque suas variisque acuunt rumoribus iras:* rege procedente ad bellum armatas acies unusquis-
465 que dux cogebat in proelia. *quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis praefigunt capita et multo clamore* 15 *secuntur Euryali et Nisi:* ipsa capita, quorum alterum Euryali fuit, alterum Nisi, hastis infixa insultationis causa monstrabant non sibi, sed Troianis miseranda clamore magno eadem prosequentes. clamor iste qualis fuerit ex persona insultantium poterit aestimari. ordinatur sensus 20 sic: ipsa capita Euryali et Nisi praefigunt erectis hastis et magno clamore secuntur. *Aeneadae duri:* duros dixit durantis in labore. *murorum in parte sinistra opposuere*
470 *aciem (nam dextera cingitur amni) ingentisque tenent fossas et turribus altis stant maesti:* supra (40) dixit causam propter 25 quam castra non egrediebantur et fossas. tenebant autem turris opposita acie in laevam partem (dexteram enim muniebat amnis) tristes. interea dicitur causa maestitiae *simul ora virum praefixa movebant nota nimis miseris:* movebant Rutuli occisorum capita, quae Troiani ex notitia 30

---

12 *suos* V ut plerique Verg. libri et ed. contra interpretationem, quae *suas* postulat propter *armatas acies* etc. ceterum noli suspicari Don. *armatasque* legisse: posuit hoc, ut *aeratasque* per variationem explicaret. 19 *persequentes* ed. 26 *castra* om. ed. | *autem* om. ed. 27 *turribus oppositas* ed. | *aciem* V *acie* nos *et aciem* ed. | *dextera* V ed. corr. ed. post. 28 *tristes* V *tristis* cum sequentibus coniunctum ed. | *causam* V corr. ed.

agnoscerent et dolerent. *atroque fluentia tabo:* quae tabo corrupta agnosci non possent nisi ab his qui ea penitus nossent. in eo autem Troianos dolor angebat, quod et talis viros perdidissent et nihil fuisset Aeneae nuntiatum.
5 *Interea pavidam volitans pinnata per urbem nuntia Fama ruit [matrisque adlabitur auris Euryali]:* poetica 475 descriptio, ceterum nuntium dicit ad matrem Euryali pervenisse quo filium sciret occisum. *at subitus miserae calor ossa reliquit:* subitatus ferali nuntio corporis calor
10 deriguit et reliquit ossa torpentia. *excussi manibus radii revolutaque pensa:* dolor enim, vel maxime insperatus ac repentinus, nervos eius membraque dissolverat. *evolat infelix,* utpote quae ante filium occisum conperit quam didicisset absentem. *et femineo ululatu scissa comam muros amens*
15 *atque agmina cursu prima petit:* ecce quae faciunt luctus et subitus dolor: amens, inquit, effecta est, ex amentia inconsideratio aetatis et sexus accessit. petebat denique muros cursu capillis fusis et maximos ululatus attollens. *non illa virum, non illa pericli telorumque memor:* petebat 480
20 inpudenter muros, non cogitans illic viros consistere vel se incurrere periculum posse. cur enim detrimentum pudoris formidaret aut mortem quae post filium talem cupiebat extingui? mirandum non est feminam gravioris aetatis cursu muros potuisse conscendere, quam mentis
25 permutatio in amentia fecerat fortem et plus audere quam deberet aut posset. *caelum dehinc questibus inplet:* ecce etiam voce fortior facta est ex dolore; namque querellis suis conplevit et caelum. *hunc ego te, Euryale, aspicio?* ad hoc, inquit, deducta est, Euryale, infelicitas mea? ad
30 hoc incolumes manserunt oculi mei, ut post illum aetatis tuae florem hunc te videam mater, hoc est occisum et

---

1 *dolerent* V *darent* ed. *viderent* ed. post. 3 *noscunt* ed. 6 *verba* pro *Fama* V. | *matrisque — Euryali* deest in V, sed explicatur. 8 *ad* V. 9 *subidatus* V temere mut. ed. 10 *ossa turpentia* V *o. eius torp.* ed. 20 *imprudenter* ed. 21 *cur* V *quid* ed. 22 *quae* V *quum* ed. 31 *ut triumphum* V *et tr.* ed.

triumphum praebentem hostibus duris? *tune ille senectae [sera meae requies?]* hoc est quo senectae meae fuisti solacio? quod ait sero solacio, probatur cur sero; apparebat enim illum in provectiore matris aetate susceptum, cum illa anus esset, Euryalus „prima signans intonsa iuventa". 5
ergo recte dictus est serus accessisse materno solacio. *potuisti linquere solam, crudelis?* plena accusatio in paucissimis verbis. nam quanti est sceleris matrem in periculis linquere! quanti est sceleris deserere eam quae alterius solacium non haberet! crudelis animi hoc signum 10
est, quod tam execrabile malum in filio esse non debuit. possent ad haec dici ex persona fili: missus sum utpote miles, qui non fui in potestate mea, munus hoc militiae, non voluntarium fuit. ad hoc illa ait *nec te sub tanta pericula missum adfari extremum miserae data copia matri?* 15
non, inquit, accuso abscessum tuum, missus es nec tui iudicii fuit quod maiorum tuorum inponebatur arbitrio: faceres tamen quod fuerat potestatis tuae, quod publicae non officeret causae; faceres quod reprehendere nullus auderet, subiectus casibus, videres primitus matrem non 20
leve subiturus incertum, videres matrem tanta in pericula coniectus, dares loquendi liberum locum, misceremus extrema conloquia. omnia haec dolentis sunt, ceterum quid prodesset occiso aut eius matri, si haec quae dicta sunt extitissent? missum sub tanta pericula possumus etiam 25
sic intellegere, ut subiugatum periculis accipiamus. sed illud est melius quod superius dictum est, ut non isse voluntate, sed inpulsus esse videretur; non enim sciebat
485 mater quod Euryalus sese sponte ingesserat. *heu, terra ignota, canibus data praeda Latinis alitibusque iaces:* 30
transiit ad doloris augmentum; praeter orbitatem quippe

---

1 *ille* V *illa* ed. interpr. ad *illa* inclinare videtur. 2 *sera — requies* deest in V, sed explicatur. | *quo* V *quod* ed. 3 *sero solacio* V *serae* ed. et iterum. 4 *provectione* V. 5 *euryalus prima* V *vero ora* interpos. ed. 10 *solacium* V *solatia* ed. | *hoc* om. ed. 14 *hoc* V *haec* ed. 19 *offigeret* V. 21 *incertum* V *interitum* edF. 27 *isse* V *ipse* ed. 31 *transiit ad*

accesserat aliud quod gemeretur vehementer, quod iaceret insepultus ignotis in terris, relictus et canibus Latinis et avibus praeda. dolebat ergo mortis eius accidentia, quae magis orbatae pectus validius vulnerabant; si enim ignotae
5 terrae non essent, potuisset existere qui noti funus traderet sepulturae, qui eriperet canibus et alitibus † tradam. ubicumque est heu separari a ceteris debet; adfectus enim dolentis a verborum contextione secernendus est. *nec te:* hic quoque; aliud enim fuerat dictura et aliud subiecit
10 dolentis more. *tua funera mater produxi:* nec tuum, inquit, funus prosecuta sum. *pressive oculos,* hoc est clausi, *aut vulnera lavi veste tegens:* aut ictum lavi, quo cecidisti perfossus, aut veste contexi. transit ad aliam doloris partem illa quae se dixerat solacia perdidisse evidenter
15 enumerans: *tibi quam noctes festina diesque urgebam et tela curas solabar anilis:* tui causa, inquit, vixi et vivere optavi solum habens in te et in lanificio solacium, quod nec in luce dimisi nec noctis occasione deserui. iterum ad alium doloris rapitur modum: *quo sequar? aut quae* 490
20 *nunc artus avulsaque membra et funus lacerum tellus habet?* quo sequar, cum omnia retinent hostes? aut quomodo sine capite ac laniatum corpus inspiciam? bene addidit lacerum corpus; debuit enim mater et potuit quamvis truncum, fili agens funus, agnoscere, si inlaesum reperire
25 potuisset. rursum labitur in aliam partem: *hoc mihi de te, nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?* cur, in-

---

ductoris V *doloris* nos temere mut. ed. 3 *mortis* V *propter m.* ed. 4 *sic* V *si* ed. 6 *tradam* V om. ed. fortasse *praedam* an *traditum*? 8 *contextione* V *contentione* ed. 9 *enim* V ed. del. ed. post. falso: post *hic quoque* audi „separatio fit“. 10 *tua* V *in tua* ed. 11 *hoc est clausi* om. ed. *clausis* V. 12 post *tegens* lemma usque ad *anilis* continuavit ed. cum interpretatione suppositicia „hoc est neque tuos oculos clausi ut moris est“, haec desunt in VHOU. | *ictum* V *vulnus* ed. | *lavi* V *ut fieri solet* add. ed. | *quo* V *quum* ed. 15 lemma *tibi* — 16 *anilis* post *enumerans* habent VHOU „prosequitur querelas suas misera mater“ substituit ed. 21 *retineant* ed.

quit, non totum video quem secuta sum mari? cur non totum video quem tantis in regionibus terrarum non dimisi? *figite me, si qua est pietas, in me omnia tela conicite, o Rutuli, me primam absumite ferro:* sensus contrario positus, ut pius dicatur quisquis eam velit occidere. 5 si norunt, inquit, hostes aliquando misereri, me quoque occidite, Rutuli, in me omnia tela congerite, praestabitis infelici beneficium et vobis procurabitis ultionem. hic sentiendum est cur dixerit me et rursum posuerit me. ita est enim ac si diceret me occidite quae hostem vestrum genui, 10 quae alui, quae nutrivi, converti debet exitium in me a qua hostis vester exortus est et vivendi sumpsit exordium. 495 *aut tu, magne pater divum, miserere tuoque invisum hoc detrude caput sub Tartara telo, quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam:* miserere, inquit, Iuppiter, et me 15 perime fulmine tuo: sentio enim quia adversis superis vivo. in nece mea probabitur pietas tua, si dolentis cruciatus abruperis et deleveris leto; aliud quippe doloribus meis remedium non est nisi ut mors adimat quod odiosa vitae diuturnitas dedit. haec fuit orbatae mulieris vox 20 abscisa et per multa diversaque discurrens; integritas enim sensus manere non potuit in ea quam infelicis casus repentina turbarat acerbitas, usque adeo ut multa inpossibilia pro possibilibus videatur posuisse. *hoc fletu concussi animi,* audientium scilicet Troianorum. *maestusque per* 25 *omnis it gemitus, torpent infractae ad proelia vires:* cum talia dicerentur, concussa Troianorum omnium mens est et plena maestitia universorum sensus adflixit tantum, ut pugnandi 500 officium cuncti respuerent virtutis torpente substantia. *illam incendentem luctus:* luctus per se mali sunt et graves, 30 acerbiores vero fiunt, si hos quispiam aliquibus nutrimentis accumulet. cum igitur mater Euryali lugendum casum verbis accenderet et adfligeret audientis, *Idaeus et Actor*

---

1 *totum* V *te* ed. utroque loco. 4 *a contrario* ed. 9 *sentiendum* V *videndum* ed. 17 *tua* om. edF. 20 *orbitae* V corr. ed. 21 *discurrentis* edF. 26 *genitus* V. 29 *res fuerent* V *respuerent* ed. | *turpente* V.

Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli corripiunt interque manus sub tecta reponunt: multum, inquit, lacrimantis Iuli, quoniam apud illum multarum rerum consideratio fuit, primo quod ad patrem mandata perferri nequiverant, 5 deinde amissio tantorum virorum, commendatio Euryali in causa matris et fides promissa pergenti. rapta igitur et missa sub tecta est, ne ulterius virorum animos suis clamoribus frangeret.

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro increpuit, 10 *sequitur clamor caelumque remugit:* Rutuli, qui ad hoc venerant, ut dimicarent, accensi quoque ex facto dederunt belli signum per tubam tanto nisu, ut ferali cantu oppleta fuissent universa et remugiret caelum. inter mugire et remugire hoc interest: mugit unde mugitus primo pro- 15 ficiscitur, remugit quod mugitu alieno percussum reddit auribus quod accipit. *accelerant acta pariter testudine* 505 *Volsci et fossas inplere parant ac vellere vallum:* post hoc signum venerunt Volsci uno animo unoque consensu acta testudine. testudo est quae coniunctione scutorum facta 20 latentis supter tegit armatos: quae tunc fit quotiens inferiora adeunda sunt et superiorum metuitur violentia. in summo igitur fuerunt Troiani, Volsci autem pro Rutulis facientes parabant fossas inplere vel rumpere, quo possent etiam ad turris parietes pervenire. fecerunt idcirco te- 25 studinem, ut disposita conplerent, cui rei, ut factum est, una mentium conspiratio fuerat necessaria, ne maiore Troianorum vi testudo ipsa dissoluta succumberet. huic societati animorum celeritatem quoque coniunxerant, ne adgredientium tarditas expugnationem faceret fortiorem. 30 *quaerunt pars aditum:* quaerunt aditum divisis officiis.

---

1 *inter* sine *que* V. 2 *multum* — 3 *Iuli* om. ed. 3 *illum* V *Iulum* ed. 5 *amisso* V *amissio* ed. 6 *pergenti* V *peragentis* ed F. 7 *nec* pro *ne* V. 12 *tanto* V *tantoque* ed F. | *et ferale c. o. fuissent u. et remugiret c.* V *ut ferali* nos temere mut. ed. 16 *testitudine* (et infra) V. 17 *vulgi* pro *Volsci* (et infra) V. 24 *parietis* V. | *pervenire* V *perducere* ed. 28 *ne* V *ut* ed. 29 *expugnationem* Don. resistentium Troianorum dicit ut 515.

dicit iam quomodo: quaerebant pars *scalis ascendere muros qua rara est acies interlucetque corona non tam spissa viris:* alii consilio potius quam temeritate ducti voluerunt scalis adpositis muros ascendere per ea loca quae videbant non multis defensoribus instructa; apparebant enim 5 rari et sperabantur defensioni murorum superesse non 510 posse. *telorum effundere contra omne genus Teucri:* cum non enumerat genera telorum, reliquit intellectui latissimam suspicionem, ut misisse Troianos arbitremur quicquid hominem in inferioribus positum necare vel excludere 10 potuisset, cuius rei magnam copiam extitisse monstravit, cum dicit effundere; plus est enim quam mittere et ille fundit cui magna est copia nec mittendi metuit finem nimia existente substantia. in eo quod dixit effundere etiam illa possunt intellegi quae mitti non possunt, sed 15 fusa proficiunt ut aqua calida, ut pix fervens et soluta vel oleum candens. *et duris detrudere contis:* hoc tunc fit cum scalae occupantur et prope ad summum pervenitur, ut fortissimis contis trudatur ascendens, ne desiderata possideat. unde intellegendum est scalis usque 20 ad Troianos esse perventum, quando virtute res agebatur et contis. *adsueti longo muros defendere bello:* faciebant haec utpote illi quos Troiani belli prolixa calamitas fecerat doctiores. *saxa quoque infesto volvebant pondere, [si qua possent tectam aciem perrumpere]:* praeter illa quae supe- 25 rius conprehendit missa vel potius fusa dicit nunc ea quae testudinem quamvis firmam et fortem opprimere pondere et dissolvere potuissent. *cum tamen omnis ferre libet supter densa testudine casus:* Troianis haec instanter agentibus constituti sub testudine fortiter tolerabant ex 30

1 *pars scale* pro lemmate scriptum in V: Donatum quoque *et scalis* legisse repetita ad v. 520 verba docent, quare *pars* a lemmate separavi et *scalis* scripsi (*et scalis* ed.), sed quomodo verba poetae coniunxerit aut ordinaverit nec hic nec infra intellego. 12 *enim* om. ed. 17 *candens* om. ed. | *et duris* V *ac d.* ed. et Verg. libri. 19 *et f. c. trudatur* V *truditur* ed. *ut* nos. 24 *si qua* — 25 *perrumpere* deest in V, sed explicatur. 26 *effusa* ed.

summo deiecta quaerentes adipisci victoriam. *nec iam* 515 *sufficiunt:* iam tamen coeperant vinci, et expugnationem superiorum ferre non posse. potest hoc et de Troianis intellegi, quod fundendo atque mittendo defecissent. *nam*
5 *qua globus inminet ingens, inmanem Teucri molem volvuntque trahuntque:* hic confirmatur quod Troianorum defectio magis dicta sit quam Rutulorum; nam cum minuta nihil profecissent et virium extitisset magna defectio, super congregatam multitudinem magnam molem
10 trahendo atque volvendo miserunt Troiani praecipitem. aestimandum est quid habuerit moles illa ponderis quae, cum ferri non posset, tracta in praeceps vel involuta pervenit; ne autem in dubium veniret, praecipitatae molis eventus dictus est: *quae stravit Rutulos late armorumque*
15 *resolvit tegmina:* super quos cum tanta ruina concidisset, mox eos necavit aut solvit. *nec curant caeco contendere Marte amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo missilibus* 520 *certant:* post factam de suis stragem ultra non ausi sunt Rutuli testudinem struere, sed remota fraude atque in-
20 sidiis bellicis coeperunt missilibus et aperta dimicatione certare. quia supra dixit „quaerunt" et addidit „pars aditum et scalis ascendere muros", hoc ipsum quaerunt ad multas partis, non ad unam pertinet; denique ait *parte alia horrendus visu quassabat Etruscam pinum:*
25 horrendum dixit visu trucem animo et corpore ingentem. *et fumiferos infert Mezentius ignis:* ibat ergo Mezentius, quem videre tantummodo magnus fuerat tremor, concutiebat pinum, non pineam facem, sed ipsam arborem pini fumiferam. pini dixit, quia hoc materiae genus, cum
30 ardet, plurimum fumum emittit ex se. *at Messapus, equum domitor, Neptunia proles, rescindit vallum et scalas ad moenia poscit:* ecce alia pars, in qua fuit Messapus, Neptunia proles, filius scilicet eversoris Troiae et antiqui

---

3 *potest* V *posset* ed. 5 *voluntque* V. 8 *proficissent* V *proficerent* ed. 17 *missibus* V. 18 *usi* V corr. ed. 22 *ascendere* V *conscendere* ed. 26 *et — ignis* post *pinum* add. ed. 28 *pineam* V *parvam* ed.

inimici: obtinuit vallum et, quia sola supererat turris quae esset occupanda, scalas petebat quibus ad summa eius posset perveniri. quanto istorum laudatur instantia tanto praeferuntur Troiani, quos ingens manus superare non poterat. 5

525 *Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti quas ibi tum ferro strages, quae funera Turnus ediderit, quem quisque virum demiserit Orco et mecum ingentis oras evolvite belli; et meministis enim, divae, et memorare potestis:* sub invocationis textu quae esset dicturus ostendit invocans 10 velut unam specialiter Musam et tangens generaliter sub plurali numero universas, ut omnes rogatae videantur. observanda sunt ergo subiecta, ut colligi possit ubi et quemadmodum propositis poeta responderit. et mecum ingentis oras evolvite belli: non ingentis oras dixit, sed 15 530 oras belli ingentis, ut bellum sit ingens. *turris erat vasto suspectu et pontibus altis opportuna loco:* suspectus est susum aspectus; quicquid enim in summa eductum est videri non potest, nisi oculi fuerint in superna porrecti. ideo loco oportuna, quia muniebatur ex maxima parte 20 undis fluvialibus, sicut ipse Vergilius supra (69) dixit „classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat, aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis". pontibus altis, quia quod altum est altos necesse est habeat pontis, quibus in cacumen eius esse possit ascensus. *summis quam* 25 *viribus omnes expugnare Itali summaque evertere opum vi certabant:* hanc turrim, quia Troianos tutissime defendebat, omnes Itali omni adhibita vi et opibus totis nitebantur evertere. sed nec illi deerant sibi, denique ait *Troes contra defendere saxis:* ne quis ad eversionem turris acce- 30 deret, hanc Troes defendebant saxa mittendo. *perque cavas densi tela intorquere fenestras:* densitatem defensorum

---

6 *caliope* V. | *adspirare* V. 8 *omiserit* V. | *oras* om. V. 11 *velut* V *velit* ed F[1] om. ed. post. 14 *et mecum* — 16 *ingens* om. ed. 18 *susum* V *sursum* ed. | *in summae ductum* V *in summa d.* ed. 25 *positas census* V corr. ed. 27 *Troiani t. defendebant* ed. 30 *adversionem* V corr. ed.

faciebat timor et plena virtutis instantia. *princeps ar-* 535
dentem coniecit lampada Turnus et flammam adfixit lateri,
quae plurima vento corripuit tabulas et postibus haesit adesis:
principem dixit Turnum aut omnibus potiorem aut qui
5 ante omnis facem misisset ardentem. sed cum secutum
est [ante omnis] coniecit, magis in eo accipiendum est
principem, quia facem primus coniecerat. haec igitur quo-
niam venti suffragio iuvabatur, quo incendia nutriuntur,
haesit postibus et hos coepit absumere; facile enim ardere
10 potuit quod adesum fuerat vetustate. *turbati trepidare in-*
tus frustraque malorum velle fugam: cum inimicis ignibus se
arsuros adverterent, trepidi quid facerent cogitabant, quando
fugiendorum malorum spes deerat, quoniam per omnia gli-
scebat incendium et hostis tenebat qua evadi potuerat, pro-
15 inde aut flammis pereundum fuit aut ferro. *dum se glomerant*
retroque residunt in partem quae peste caret, dum se, inquit, 540
in eam partem congerunt omnes quae interim carebat in-
cendio, *tum pondere turris procubuit subito et caelum tonat*
omne fragore: bene addidit subito, quoniam, si signum
20 dedisset, liberari forsitan possent. *semineces ad terram*
inmani mole secuta confixique suis telis et pectora duro
transfossi ligno veniunt: descriptio accidentium post casum
turris: praecesserunt, inquit, homines et mox ruina conse-
cuta est, invenit semineces aliquos, alios suis telis, alios
25 lignorum fragmentis infixos. *vix unus Helenor et Lycus* 545
elapsi, duo de tantis. *quorum primaevus Helenor, Maeonio*
regi quem serva Licymnia furtim sustulerat vetitisque ad
Troiam miserat armis, ense levis nudo parmaque inglorius
alba: superfluam originem Helenoris refert: filius, inquit,
30 fuit regis, natus tamen ex serva, nutritus furtim et, quod
non licebat, servus in militiam Troianam datus est. hic
igitur sic effugit casum turris strictum ensem et scutum

---

6 *ante omnis coniecit* V ed. *ante omnis* uncis inclusi, quia apud Vergilium non extat, ex antecedentibus irrepsisse videtur. 12 *arsuros* V *peruri* ed. 13 *discebat* (pro *cliscebat* cf. 306) V *discurrebat* ed. 22 *transfixi* ed. | *accedentium* V corr. ed. 27 *lycymnia* V.

retinens breve. inglorium dixit haec mereri potuisse, quia casu potius evaserat quam virtute corporis aut subtilitate consilii. *isque ubi se Turni media inter milia*
550 *vidit, hinc acies atque hinc acies adstare Latinas, ut fera, quae densa venantum saepta corona contra tela furit sese-* 5
que haut nescia morti inicit et saltu supra venabula fertur,
555 *haut aliter iuvenis medios moriturus in hostis inruit et qua tela videt densissima tendit:* nihil profuit Helenori quod ruinas turris evasit, quod non interiit gladio suo quem tenebat nudum (non enim evadere fuit milia hostium et 10
catervas incurrisse) ad hoc deductus, ut, turris casibus liber, teneretur inter arma captivus. is igitur ubi hostibus se circumdatum nullamque spem superesse fugiendi conspexit, ruit in confertos hostis ferarum more quae vivendi desperatione se ingerunt ferro et petunt mortem 15
quam vitare non possunt. *at pedibus longe melior Lycus inter et hostis inter et arma fuga muros tenet:* dixit causam qua inter hostis et inter arma ad muros potuit pervenire. pedibus melior, inquit, quam Helenor et his adiutus ad muros fuga facta pervenit. *altaque certat prendere tecta* 20
manu sociumque attingere dextras: ubi ad muros venit, coepit niti ut retineret tectorum tuta aut sociorum dextris tolleretur in summum. *quem Turnus pariter cursu teloque secutus:* cursu, inquit, secutus et telo: tantum cucurrit Turnus quantum cucurrit et telum. magnam ibi laudem 25
currentis expressit, cum dicit eum cum telo pervenisse quod
560 iecerat. *increpat his victor,* insultantis voce usus his conprehensum increpare non destitit: *nostrasne evadere, demens, sperasti te posse manus?* quam brevis dictio et superfluis carens! quid enim multa ingereret verbis in eum quem iam 30
tenebat exitium et ad cuius poenam gladius deberet properare quam verba, cui satis ad conservationem daret,

1 *ingloriam* V. 6 *mortis* ed. 9 *ruinam* ed. | *aut quod* ed. 10 *fuit* V *potuit* ed. 11 *incurrit* ed. post. 13 *circumdatus* V corr. ed. 14 *consertos* ed. 17 *et* ante *hostis* om. V. 30 *ingererit* V *ingerat* ed. 31 *exitium* V *ad e.* ed. | *debebat* ed. 32 *quam* V *potius q.* ed. | *conversationem* ed.

si plurimis loqueretur? apparet, inquit, te esse dementem, quando sperasti te meas manus evasurum. quando hoc tibi provenire posset, ut viveres, qui sequentem Turnum ratus es fugam tuam praevenire non posse? *simul arripit*
5 *ipsum pendentem et magna muri cum parte revellit:* ecce quantum proficit pernicitas Turni: iam evaserat Lycus, iam tenebat tuta, denique, cum eum pendentem rapuisset, cum muri parte quam tenebat avulsus est. hoc factum est Turno loquente, ne effectum perderet increpatio. hoc
10 est quod ait simul arripit ipsum pendentem, ut Turnum et locutum esse et verbis factum sociasse monstraret. *qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis:* conparatio quomodo Turnus rapuit Lycum: quemadmodum solet, inquit,
15 aquila unguibus leporem tenere vel cycnum. *quaesitum* 565 *aut matri multis balatibus agnum Martius a stabulis rapuit lupus:* aut quomodo solet lupus agnum matri subripere. aquila et lupus, quibus Turnum conparavit, animalia sunt satis astuta et ad rapiendum aptissima, lepus vero
20 et cycnus semper praedae subiecti et quos semper feritas tanta despiciat. hoc igitur factum cum Turnus mira celeritate conplesset, *undique clamor tollitur;* quis enim non laudaret virtutem tantam et velocitatis eventum? *invadunt et fossas aggere conplent:* occasio eorum quae
25 Troianis acciderant dedit Rutulis invadendi copiam et congestione terrae fossas inplendi. *ardentis taedas alii ad fastigia iactant:* evictis enim fossis facile usque ad ipsam turrim potuit perveniri, quo factum est ut usque ad ipsa fastigia iactarentur faces, ut a summo ardens inferiora
30 flammis et ruina deciperet. *Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis Lucetium portae subeuntem ignisque feren-* 570 *tem, Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asilas:* semel positum sternit ter accipiendum, quoniam tris a tribus

---

6 *proficit* V *profuit* ed. 23 *laudaretur autem tantam* V *l. propter tantum* ed. *laudaret virtutem tantam et* nos. | *eventum* V *effectum* ed. 30 *deciperet* V *deiceret* ed.

dixit occisos. Ilioneus quippe Lucetium stravit, Emathiona Liger stravit, Corynaeum Asilas stravit. similiter intellegendum et portae subeuntem ignisque ferentem, trium personis aptandum est, ut tres ad incendendam portam accesserint, tres a tribus videantur occisi. *hic iaculo* 5 *bonus, hic longe fallente sagitta:* ad istorum trium perficiendam necem unum dixit usum esse saxo, alterum iaculo, tertium sagitta. *Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus, Turnus Ityn Cloniumque, Dioxippum Promo-* 575 *lumque et Sagarim et summis stantem pro turribus Idam:* 10 subauditur occidit, sed quaerendum est quid sit summis stantem pro turribus; potest enim intellegi quod ante turris stabat; sed hic magis, quia de obsessis loquebatur et clausis, pro defensione turrium stantem hoc est laborantem debemus accipere. *Privernum Capys, hunc primo* 15 *levis hasta Themillae strinxerat:* primo, inquit, illum Themillae hasta non graviter percusserat. *ille manum proiecto tegmine demens ad vulnus tulit:* demens hoc est incautus atque inconsideratus proiecto scuto, quo adversus insidias vel secuturam vim tutus esse potuerat, manum 20 tulit ad vulnus. *ergo alis adlapsa sagitta et laevo in-* 580 *fixa est lateri manus abditaque intus spiramenta animae letali vulnere rupit:* cum se oportunum dedisset ad mortem et vulnus cuperet manu contingere et premendo dolorem mitigare, sagitta sequens ipsam eius manum lateri infixit 25 et usque ad interiora uteri pertendens letale vulnus ruptis omnibus quae animum tenent remota mora difficultatis invexit: hinc intellegitur quia ictus hastae nihil letale percusserat. *stabat in egregiis Arcentis filius armis:* huius nomen non dicendo et demonstrando vocabulum patris 30 videtur ostendisse quod Arcens etiam ipse diceretur; et illud intellegi potest per patrem factum ut ostenderetur iste cuius fuit nomen incognitum. stabat, inquit, in

---

4 *incendendum* ed. 6 *perficiendum* ed. 9 *item colonumque* V. | *Promulinque* ed. 12 *istantem* V. 21 *elapsa* ed. 23 *cum* V *et c.* ed. 27 *remota* V *commota* ed. 30 *vocabulum* om. ed. 31 *arecens* V. 32 *factum* om. ed.

armis egregius, *pictus acu chlamydem,* ex acu habens picturas in chlamyde, *et ferrugine clarus Ibera:* a nomine loci addidit speciei dignitatem, quomodo alio loco (4, 262) „Tyrioque ardebat murice laena", sed illic purpura sig-
5 nificata est confecta ex murice, hic autem ferruginem dixit aerei coloris. *insignis facie,* hoc est ipse quoque formosus. *genitor quem miserat Arcens:* hunc in bellum pater suus Arcens miserat. *eductum Martis luco,* educatum atque nutritum in Martis luco, *Symaethia circum flumina,* 585
10 *pinguis ubi et placabilis ara Palici:* dixit lucum et cui deo videretur esse sacratus, addidit et regionis et fluminis signa. hunc iuvenem notabiliter poeta descripsit, quasi bellum aut tempus quo Troiani in periculo tam gravi fuerant constituti aut stantis desideraret aut pulchros et
15 otiosos aut veste conspicuos. *stridentem fundam positis Mezentius hastis ipse ter adducta circum caput egit habena:* quanto enim contorta fuerit funda frequentius tanto ictus profectus ex ipsa fortius currit et gravior pervenit. positis, inquit, hastis Mezentius ad fundam sese convertit.
20 cur enim contra inertem ferro contenderet? et illud intellegi potest, idcirco illum hastas posuisse, ut expeditior esset ad fundam. stridentem ait fundam, quia, dum torquetur, ut impetum colligat, stridet. fundae intortae quanta vis fuerit consequenter ostendit subiciendo *et*
25 *media adversi liquefacto tempora plumbo diffidit ac multa porrectum extendit harena:* solent et lapides his mitti tormentis, sed violentior est species plumbi cum iacitur; haec enim emissa sinu fundae, dum fertur aere, dissolvitur et veniens non tantum pondere verum etiam liquore
30 igneo quicquid invenerit urit atque dissolvit. denique in

---

2 *bibere* pro *Ibera* V. 3 *species* V corr. ed. 6 *aerii* V ed. 9 *symetia* V. 14 *aut tantis* V *aut stantis* nos *non* ed. | *desiderarent* ed. | *et otiosos* V *aut o.* ed. fortasse recte. 16 *hastis* V *armis* ed. 18 *perfectus* ed. 20 *inertem,* quod Hoppius p. 16 coniecerat, V *mortem* ed. *morem* ed. post. 22 *dum* V *cum* ed. 27 *violentiorem* V corr. ed. 30 *igneo* V *plumbeo quasi ignis* ed. | *invenit* ed.

huius faciem veniens eum qui stabat non armis, sed veste conspicuus uno ictu prostravit.

590 *Tum primum bello celerem intendisse sagittam dicitur ante feras solitus terrere fugaces Ascanius fortemque manu fudisse Numanum, cui Remulo cognomen erat Turnique* 5 *minorem germanam nuper thalamo sociatus habebat:* ecce quanta necessitas, ut puer inter iuvenis auderet arma tractare! poeta tamen, quoniam inpossibile videbatur pueri manibus robustissimum iuvenem cecidisse, non se facit auctorem, dicitur, inquit, factum ut in auspiciis Ascanius, 10 qui feras sagittis agitare consuesset, Numanum cecidisset, qui alio nomine etiam Remulus diceretur et sorori Turni quae esset natu minor nuptiarum esset sorte coniunctus. cum dicit thalamo sociatus habebat, ostendit honestam coniugii societatem fuisse contractam. erigebat istum 15 regalis puellae coniunctio, novum regnum et adfinitas 595 Turni. *is primam ante aciem digna atque indigna relatu vociferans:* indigna relatu turpia debemus accipere, quae non decuit gravem poetam et honestum inserere carminibus suis. *tumidusque novo praecordia regno ibat et in-* 20 *gentem sese clamore ferebat:* tanta iste recentis coniunctionis Turni superbia ferebatur, ut licenter ante aciem et temere staret inde existimans magnum quia clamabat. est autem tale hominum genus, qui sic secundis rebus efferuntur, ut qui sint vel quales nec ipsi discernant. incipit 25 dicere quae essent relatu digna omissis deterioribus quae tanto carmini non potuit nectere. *non pudet obsidione iterum,* ideo iterum, quia obsessi fuerant Troiae et rursum in praesenti, *valloque teneri?* quod semel dixit teneri bis debemus accipere, ut sit iterum teneri obsidione, iterum 30

---

9 *manu* ed. 10 *ascanii* V ed. *Ascanius* nos. 11 *cecidisse* V ed. *cecidisset* nos propter *factum ut.* 20 *ingentem* V *ingenti* ed. 21 *istae regentis coniunctionis* V *iste coniunctionis* ed. *i. recentis c.* nos. 23 *magnum* V *se magnum* ed F. 24 *sic* om. ed. 27 *carmine* V *carmini non* nos cf. v. 595. 28 *troia* V *in Troia* ed. 29 *dixit tenere* V *d. iterum* ed. 30 et 265, 1 *teneri* ter om. ed.

teneri vallo. quid sit iterum teneri ipse exposuit dicendo *bis capti Phryges:* sed idcirco, inquit, non semel vobis hoc contigit, quia Phryges estis. hoc gentis nomen pro convicio posuit quasi enervati, molles, inbelles ac feminis 5 proximi et captivitatibus crebris addicti. crimen enim fuit, quia iterum; potuit quippe casus fuisse in prima obsidione, sed cum secundo quoque vallati sunt, nec prima potest casibus adplicari nec secunda obsidio. *et morti praetendere muros?* novum, inquit, inventum inertiae, quae 10 sibi murorum munimenta conquirit, non ut clausos defendant, sed ut obsessos addicant. *en qui nostra sibi bello* 600 *conubia poscunt:* singula habent vim suam: en inquit, vituperantis haec demonstratio est; qui, hoc est mendici, naufragi, dissoluti; nostra, quasi meliorum atque nobilium; 15 bello conubia poscunt, volunt, inquit, bello alienum coniugium quaerere qui in causa simili sciunt sese mactatos. *quis deus Italiam?* quis deus, iratus scilicet, vos ad Italiam morituros adduxit? *quae vos dementia adegit?* an dementia vos huc inpulit qua soletis ire praecipites? 20 *non hic Atridae nec fandi fictor Ulixes:* nec nos arbitremini exemplum secuturos esse Graiorum, qui vos mendaces et fraude, non virtutis robore superare valuerunt. non unum vult esse crimen, quod victi venerunt ad Italiam, sed quod ab inbellibus superati sunt. crimini ipsi superaddit 25 augmentum non hic Atridae nec fandi fictor Ulixes, inter nos, inquit, non sunt Atridae nec Ulixes: primos Graecorum maculat, ut reliqui deteriores inveniantur; Ulixes enim mentiendi atque fallendi arte peritissimus fuit, Atridae, cum summam tenerent imperii, Helenam perdiderunt ne- 30 scientes et tamen obtinuerunt adversum vos et vicerunt, quia vos fuistis, victores fecistis qui alios superare non possent. *durum a stirpe genus:* genus, inquit, nostrum

---

3 *contingit* ed. 5 *addicti* V *adiecti* ed. *obiecti* ed. post. 11 *addicant* V cf. v. 786 *abdicent* ed. 13 *haec — qui* mut. ed. 17 *iratum* V corr. ed. 19 *ire* V *ferri* ed. 20 *nec nos* — 25 *Ulixes* om. ed. 21 *mendaces* V *mendacio?* 30 *adversum nos* V corr. ed. 31 *quia vos fuistis* om. *et* interpol. ed.

non arte aliqua fit durum, sed nascitur. forte quaeritur ex fortibus. *natos ad flumina primum deferimus:* usque adeo nostros liberos paramus ad laborem, ut mox natos deferamus ad flumina. si hoc solum diceret, non tanta esset laudantis adsertio: quanti enim laboris est undam fluminis 5 pati? addidit *saevoque gelu duramus et undis:* ut ostenderet et naturam fluminis frigidam et interveniente gelu saevitiam ipsius fluminis duplicari, apud nos, inquit, unusquisque cum nascitur cum ipso vitae lucis exordio labores quoque durissimos auspicatur in undas fluvialis 10 et in glaciem missus, ne aliquando delicias etiam sui 605 nescius sentiat. *venatu invigilant pueri silvas[que fatigant]:* puerilis enim aetas succedit infantiae. ad hanc, inquit, cum venerint, venationibus pueritiam transigunt. quod genus exercitii proficit bello; illic enim discitur quicquid 15 pugnarum certaminibus est necessarium: equitatur, curritur mittuntur hastae, sagittae iactantur. usque adeo hoc verum est, ut sequatur *flectere ludus equos et spicula tendere cornu:* hi sunt nostrorum puerorum ludi nec aliorum puerorum more inanibus officiis occupantur. silvasque 20 fatigant: non silvas fatigant, sed latitudinem silvarum obeundo percurrunt. a pueritiae autem laboribus et venandi studio ad agrorum transeunt cultum, itaque ad omne genus laboris sic producitur aetas eadem, ut ad consuetudinem laborandi nihil repentinum videat, nihil 25 sentiat novum. hoc est quod ait *at patiens operum parvoque adsueta iuventus:* sic, inquit, aetatem iuvenum nostri suscipiunt: et laborare didicerunt et parvis opibus vivere. *aut rastris terram domat aut quatit oppida bello:* numquam se patiuntur desidia otioque corrumpi, denique illorum 30 virtute aut hostis domatur aut terra. *omne aevum ferro teritur:* itaque fit ut vita omnis numquam deserat ferrum. 610 *versaque iuvencum terga fatigamus hasta:* et cum aratro

1 *quaeritur ex fortibus* om. ed. (cf. Hor. carm. 4, 4, 29). 7 *et naturam* V *et* om. ed. 9 *vitae* V *primae* ed. 12 *que fatigant* lemmati addidi cf. 1, 25. 22 *percurrunt* V ed. *perdurant?* 24 *ad consuetudine* V *a consuetudine* ed.

proscindimus terram, hasta iuvencus ducitur, hasta in opus urgetur, una atque eadem species et ruri servit et bello. vertitur, ut hostem necet, vertitur, ut exagitet bovem: semper apud nos militat rusticus et, ne quisquam
5 inprovisus inruat, semper armatus est nec tunc securus cum classicum tacet. omne aevum ferro teritur: nulla aetas nostra est quae nesciat ferrum. quia dixit omne aevum, addidit aetatem senum, sensum ut confirmet, omne aevum ferro conteri: *nec tarda senectus debilitat viris:*
10 tardam senectutem dixit, non quod tarde veniat, sed quod faciat homines tardos hoc est segnis ad laborem subeundum. nec ipsa, ait, senectus viris nostras infringit *animi mutatque vigorem,* hoc est dicere senectutis adventus nec vigorem animi minuit nec de subtilitate corporis abolet.
15 *canitiem galea premimus:* tantum potest laborandi usus, ut nec ipsi senectuti parcamus. tegitur canities galea nec tunc inmune periculis caput est cum debuit excusari per senium. *semperque recentis conportare iuvat praedas et vivere rapto:* semper inquit; non enim magnum est inter-
20 dum aliquid agere laboriosum. inde est quod ait recentis praedas; qui enim semper venatur aut pugnat semper potitur praedarum novitate. et quia sunt qui inviti laborem subeant, adiecit iuvat vivere rapto. illa est, inquit, apud nos ratio melior vitae, si recenti praeda pas-
25 camur et alienis opibus captis ducamus continuos dies. canitiem galea premimus: tantus in nobis amor est gloriae,

---

3 post *bello* cum signis omissionis *vertitur ut hostem necem* in margine habet V, cetera in contextu sequuntur: omnia temere mut ed. 5 *ne* V ed. *nec* nos. 6 *cum classi cum iacet* V *animi quum i.* ed. 7 *qui dixit* V *quia* nos *quum* ed. 8 *aetatem suam sensum* V *suam* manu recentiore deletum lineola transducta (V punctis superpositis delere solet) *aetatis sensum* ed. *senum* pro *suam* nos. 9 *viris* lemmatis finis in V *animi — vigorem* add. ed., sed hoc infra pro lemmate scriptum in V. 14 *molem* V *abolet* nos om. edF. 16 *ne* V *nec* corr. ed. (cf. 609). 17 *quo* V ed. *cum* nos cf. 315. | *per* V *propter* ed. 20 *de laboriosum* V *de* del. ed. 23 *facto* V *rapto* ed., quod in lemmate extat. 26 *amorem gloriae* V *amor est gl.* nos cf. 588 *amor gl. est* ed.

ut etiam cani procedamus ad bellum. nulla nobis aetatis occasio est nec a militiae muneribus quemquam tarda senectus excusat. voluntas adgreditur omnia et ausus omnes voluntate conplentur. senes nostri noverunt de campo redire cum palma et cum victores sudantem po- 5 suerunt galeam, madentem monstrant iuvenibus senectutem. nescit apud nos senectus tardos efficere quos iuventutis finibus, cum venit, excluserit, una temporum peraequatio est. nec inminentem metuimus senectutem neque eius senes detrimenta sentimus, sola canorum signo discitur 10 advenisse. ipse capitis candor non solum hostis, sed ipsa quoque vitia senectutis expugnat. inponitur senectuti galea, ne minorem faciat quem gloriosum iuventa tradente suscepit. interea, quoniam ab ipso obiurgationis initio conparativae materiae partis induxit, conpletis quae pro 15 se facerent transit ad deformationem Troianorum: *vobis,* 615 inquit, *picta croco et fulgenti murice vestis, desidiae cordi;* delicata enim vestimenti species dissolutionem animi et corporis parit. denique ostendit corruptionem vestitus multa vitia comitari. *iuvat,* inquit, *indulgere choreis:* 20 vestitum vestrum turpis saltatio sequitur et feminis, quas imitamini, cantilena conveniens. *et tunicae manicas et habent redimicula mitrae:* usque adeo in vobis virorum nihil est, ut pro tunicis sit vobis manicata vestis et mitra pro galea. *o vere Phrygiae (neque enim Phryges):* errant, in- 25 quit, quisquis vos Phryges et non Phrygias vocat; nihil enim inter vos et vestras mulieres distat, unus vobis est cultus, una debilitas corporis, una dissolutio mentis. certamen vobis est maximum ut turpitudinis studio feminas vestras nitendo superetis. *ite per alta Dindyma, ubi ad-* 30 *suetis biforem dat tibia cantum. tympana vos buxusque* 620 *vocant Berecyntia matris Idaeae:* apparet qui sitis, cum

---

3 *excusat* V *excludit* ed. 8 *adaequatio* ed. 14 *quoniam* om. ed. 17 *croceo* V. 20 *inquit* om. ed. 21 *feminis quasi mitamina* V *feminarum similes estis* ed. 22 *cantilena conveniens* om. ed. | *tunica* V. 24 *prolucis* V *pro scutis* ed. *pro tunicis* nos. 25 *verae* ed. | *errat* ed. 32 *berechynctiae* V.

ea quae colitis recensendo convolvo; nec inmerito enim Idaeae matris sacra sectamini. ite, saltate cum tympanis, habetis illic amoenitates ex buxo, potestis vacare his quae vestrae personae moribusque conveniant. *sinite arma viris* 5 *et cedite ferro:* habetis quae vos in ipsa magis sacrorum sollemnitate corrumpant, patimini viros arma tractare et ferrum, quod viris paratum est ac vobis non congruit, ponite.

Talia iactantem dictis ac dira canentem non tulit As- 10 *canius:* recte facit poeta verba obtrectantis abscidere; neque enim expectandum fuit irascenti ut ille adderet multo peiora. loquentem igitur et adhuc deteriora meditantem non est ultra passus Ascanius. *nervoque obversus equino contendit telum diversaque bracchia ducens constitit* 15 *ante Iovem supplex per vota precatus:* quia primordia fuerunt, merito rogatus est Iuppiter ut faveret: cetera descriptionem tenent sagittam missuri. stabat, inquit, tenens arcum habentem nervum equinum, latere uno retrorsum verso, sagitta inposita, brachiis in diversum adductis, 20 huiusmodi precem fundens. *Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis:* (625) hoc loco bene posuit omnipotens; qui enim poterat omnia et illud valebat inplere, ut puer sterneret fortiorem. *ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona et statuam ante aras aurata fronte iuvencum* 25 *candentem pariterque caput cum matre ferentem, iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam:* in obsequio istiusmodi plenum debet officium exhiberi, quod ostenditur et probatur in ipsius hostiae oblatione signatum animal sacris, si non macie vel aetate confectum. haec ergo Ascanius 30 tetigit, feram, inquit, ad templa tua dona sollemnia (noluit dona ipsa sollemnia specialiter dicere, ne faceret moram), adducam ad aras tuas bovem iuvenem, candidum, vaccam quoque matrem: non iuvenci matrem dixit, sed

---

2 *saltate* V *psallite* ed. 5 *in* om. ed. 6 *patiamini* ed. 9 *adira* V. 10 *abscidere* V cf. 6, 323 *abscindens* ed. 17 *stabant* V corr. ed. 21 *qui* V *is* ed. 29 *confectum* V *c. fuerit* ed.

quae iam peperisset. unde consuetudo permansit ut vacca simul et taurus auratis fronte et cornibus Iovi Capitolino mactentur. talem quoque iuvencum spondet, non qui
630 esset brevis, sed qui sese iam posset agnoscere. *audiit et caeli genitor de parte serena intonuit laevum:* audiit 5
Iuppiter, caeli genitor, et de parte serena intonuit a sinistro latere; non enim esset aliquod signum, si de nubibus fragor exiret. ea sunt autem laeta quae a laeva parte nuntiantur, quia quod petentibus laevum est id est praestantibus dexterum. *sonat una fatifer arcus:* arcus 10
fatifer, qui hosti fatum portat adversum. *effugit horrendum stridens adlapsa sagitta perque caput Remuli venit et cava tempora ferro traicit:* sagitta, quae favore numinis ferebatur, per inimici caput temporaque transiit. *i, verbis*
635 *virtutem inlude superbis! bis capti Phryges haec Rutulis* 15
responsa remittunt: haec Ascani verba sunt. nunc, inquit, velim verbis superbis Troianis insultes: tale a bis captis Phrygibus responsum accipere meruisti. *hoc tantum Ascanius* vel fecit vel dixit. *Teucri clamore sequuntur laetitiaque fremunt animosque ad sidera tollunt:* commoti Troiani 20
ex felicitate facti tulerunt clamorem cum laeto fremitu et sperantes tanto auspicio meliora plurimum gratulabantur.

Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo desuper Au-
640 *sonias acies urbemque videbat nube sedens atque his ardentem adfatur Iulum:* Iulus tam felici auspicio ardebat 25
ad gloriam, sed Apollo, qui nosset quid in sagittarum arte ageretur, noluit illum ulterius animos tendere nec quicquam dehinc audere. hunc igitur monebat dictis et a certamine revocabat. *macte nova virtute, puer, sic itur ad astra, diis genite et geniture deos:* laudat Ascanium 30
et, ne incipientis animum frangeret, eum quem a certa-

---

1 *repperisset* V corr. ed. 2 *similet* V corr. ed F. 8 *autem laeta* V *a. laeva* ed. 9 *idêst* V. 10 *natifer* in lemmate V. 12 *elapsa* ed. 13 *traicit* V cui *transiit* in interpr. non obstat. 17 *tale a* V *talia* ed. 23 *aetheria* V *-ea* ed. 24 *ardentem* V confirmatur interpretatione *victorem* ed. et Verg. libri. 28 *audire* V corr. ed. 30 *dis* V, sed plerumque *diis*.

mine revocare cupiebat extollit. sufficiat te, inquit, in ipsis coeptis et in exordio placuisse, auctus es novi facti successu, sic pervenitur ad caelum, nec tibi erit haec sedes insueta; nam diis genitus et geniturus deos dignus
5 es qui opinione factorum ad ipsa usque astra pervenias. *iure omnia bella gente sub Assaraci fato ventura resident:* cum dicit geniturus es deos et residet bellorum omnium tumor, pacem fore perpetuam spondet et spem pollicetur praesentis temporis et futuri. *nec te Troia capit:* erit
10 tale meritum tuum, ut huic non iam imperium, sed fortiora conveniant. *simul haec effatus:* locutus est haec, sed constitutus in nubibus et iam antequam audire Ascanius posset quasi praesentem adfatus est. sed quia adstantis dei numen puer vel cuiuslibet aetatis alius
15 ferre non potuerat, *ab alto aethere se mittit, spirantis* 645 *dimovet auras,* illas scilicet quibus vectus ad terras venerat, *Ascaniumque petit,* hoc est ad Ascanium venit, *forma tum vertitur oris antiquum in Buten:* deligit eius hominis formam qui antiquitatis et exercitationis longitate collectae
20 merito sanum dare consilium posset et debuisset audiri. *hic Dardanio Anchisae armiger ante fuit fidusque ad limina custos:* armiger belli tempore et, cum esset Anchises in otio, fidelissimus ei fuerat custos et non ab eo divellebatur. dicitur eius etiam aliud meritum, ut ostendatur
25 amoris causa iuxta ipsius nepotem: *tum comitem Ascanio pater addidit:* necessario istum fidelissimum senem tali tempore filio addiderat pater; fidebat enim quod talem se esset exhibiturus nepoti qualem Anchisae avo in armis se et in pace praebuerat. ecce alia dicitur causa commen-
30 dationis et fidei, quae Apollinem fecerat talis viri induere personam. *ibat Apollo omnia longaevo similis, vocemque* 650

---

8 *timor* ed. 10 *huic* V *hinc* ed. 12 *etiam quam* V *etiam quem* ed. *et iam antequam* nos. 13 *quasi* V *qui* ed. 14 *nomen* V ed. 16 *illa* V *illas* nos om. ed. 17 *ascaniusque* V. | *formam* pro *forma tum* V. 19 *longitate* V *longinquitate* ed. 27 *fidebat* — 28 *nepoti* partim omisit partim mutavit ed. 28 *in armis* V ed. *se* addidi. 30 *iubere* V *sumere* ed. *induere* nos.

coloremque et crinis albos et saeva sonoribus arma: ibat, inquit, deus latens sub hominis forma et mortalem sustinens cultum ac vocem. *atque his ardentem dictis adfatur Iulum:* solent secundae res erigere homines etiam aetate provectos, sed quando ad pueri animos ventum est, sic 5 ardere coepit et prosperis ferri, ut alia quoque non dubitaret audere; sed hunc ille de cuius persona tanta dicta sunt sic persuasione revocabat, ut sciret Ascanius animos suos robustiori aetati servandos. *sit satis, Aeneide, telis inpune Numanum oppetiisse tuis:* sufficiat tibi, inquit, qui 10 sis Aeneae filius, quod Numanus telis tuis inpune prostratus est, visus es magnum facinus adgredi necemque hominis cum tua incolumitate conplecti, sufficiat quod factum est. 655 *primam hanc tibi magnus Apollo concedit laudem et paribus non invidet armis, cetera parce, puer, bello:* imitatus es 15 Apollinis studium, ipsius favore quod voluisti conpletum est, non invidet coeptis tuis, cave aliquid puer temptare posterius. ab eo quod est in nominativo casu Aeneides declinavit et dixit vocativo Aeneide. *sic orsus Apollo* (ipse enim fuit, non Camertes) et sic conplevit dicta, quod et 20 sic et puerum instruxit mandatis utilibus et ostendit in effectu occisi se potius adiutorem fuisse quam Iovem. *mortalis medio aspectus sermone reliquit et procul in tenuem ex oculis evanuit auram:* hunc locum sic pronuntiare debemus: sic orsus Apollo mortalis, hoc est constitutus sub homi- 25 nis forma, tunc dicendum medio aspectus sermone reliquit. antequam responsum acciperet, medium sermonem reliquit et deseruit humanos aspectus et in auram tenuem repente discessit. medius sermo qui communicatur cum alio vel medius qui non inpletur aliqua occurrente causa, quod 30

---

3 *atque* om. V. 5 *animos* V *animum* ed. (et infra). 7 *dicta* V *dona* ed. 8 *per sua signe* V *p. s. signa* ed. *persuasione* nos. 9 *aetate* V corr. ed. | *aeneidae* et infra V. 11 *Numanum — prostraveris* ed. 18 *in nominativo casu* V *primo c.* ed. 18 *aeneida* V *-des* ed. 20 *camertes* V *Butes* ed.: aberravit Don. ad 12, 224. | *quod est sic et* V *q. et s. et* nos *etiam* ed. 26 *relinquit* V, sed inferius *reliquit* itemque in lemmate. 27 *responsum* V *sermonem* ed.

intellegendum est in praesenti; multa enim adhuc dici potuerant, sed in corpore mortali deum diutius esse non decuit, proinde ulterius videri noluit et abscessit. *agnovere deum proceres divinaque tela Dardanidae [pharetram-* 660
5 *que fuga sensere sonantem]:* Dardanidae, inquit, proceres prudentes et sobrii agnoverunt deum locutum esse, non hominem, et inde magis quod arma eius divina sensissent. *ergo avidum pugnae [dictis ac numine Phoebi] Ascanium prohibent:* ergo avidum pugnae Ascanium et sua et, quod
10 potissimum omnibus fuit, auctoritate Phoebi prohibebant ne cui se certamini committeret. *ipsi in certamina rursus succedunt animasque in aperta pericula mittunt,* utpote quos aperta exempla certos securosque praestiterant. *it clamor totis per propugnacula muris:* emittebatur audax
15 clamor per omnia murorum propugnacula. *sternitur omne* 666 *solum telis:* tanta tela mittebantur, ut omnem obtegerent terram. *tum scuta cavaeque dant sonitum flictu galeae:* quod terra dicitur telis obtecta, quod ictae galeae et scuta percussa crebros sonitus dabant, et bellantium animi et
20 missilium multitudo et copiosa substantia significatur. inducitur conparatio, ut ostendatur quanta vis telorum fuisset et quemadmodum resonabant quae percutiebantur telis: *quantus ab occasu veniens pluvialibus haedis verberat* 670 *imber humum, quam multa grandine nimbi in vada prae-*
25 *cipitant, cum Iuppiter horridus austris torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.* tam crebra, inquit, fuerant quae mittebant certantes atque ita percussa resonabant quam densae sunt pluviae, cum haedorum sidus existit, et quemadmodum crepitat grando, cum densis e
30 nubibus funditur.

Pandarus et Bitias Idaeo Alcanore creti, quos Iovis eduxit luco silvestris Hibera abietibus iuvenes patriis et

---

1 *adhuc* om. ed. 4 *pharetramque* — 5 *sonantem* deest in V, sed explicatur. 7 *eius* om. ed. 8 *dictis* — *Phoebi* deest in V, sed explicatur. 15 versum 665, qui deest in V, add. ed., sed non explicatur. 18 *dictae galiae* V *icta galea* ed. 24 *imber* om. V. 32 *hibera* V *Hiera* ed. | *pares* pro *patriis* V.

montibus aequos: quia istos dixit in luco editos in lucoque nutritos, longi, inquit, fuerunt ut arbores et duri ut
675 montes. *portam, quae ducis imperio commissa, recludunt:* commissam sibi iussu ducis portam, ut perpetuo clausa teneretur, patefecerant ipsi arbitrio suo. *freti armis,* hoc 5 est fiduciam gerentes quod in armis plurimum possent. *ultroque invitant moenibus hostem:* ut hostis occasione inrumpendi decipi posset, si auderet intrare. *ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant armati ferro et cristis capita alta corusci:* stabant isti pro turribus, hoc est non 10 ante turris aut pro ipsarum defensione tantummodo, sed ad vicem turrium, quoniam et excelsi fuerunt et fortes, ut iam non homines dextra ac laeva, sed turres adstare viderentur. inducitur conparatio stantium et proceritas ipsorum monstratur: *quales aeriae liquentia flumina circum,* 15
680 *sive Padi ripis Athesim seu propter amoenum, consurgunt geminae quercus intonsaque caelo attollunt capita et sublimi vertice nutant:* sic illi stabant reseratam portam observantes tantumque fuerunt prolixi in altitudinem inmensam, ut sunt arbores quae crescendo relinquunt flumina et in altum 20 geminae producuntur atque intonsis capitibus agitantur. *inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis:* non aditus inrumpunt, qui iam patebant, sed inruunt Rutuli, ut viderunt aditus porta patefacta. *continuo Quercens et pulcher*
685 *Aquiculus armis et praeceps animi Tmarus,* hoc est temerarius, *et Mavortius Haemon agminibus totis aut versi terga dedere aut ipso portae posuere in limine vitam:* hi primo venerant, ut reseratam portam violenter intrarent, sed aut versi sunt trudentum agminibus aut limine in ipso mactati. non omnes intellegendi sunt fusi aut aversi, 30

---

3 *percludunt* V cf. 391. 4 *portam* V *p. inquit* ed. 6 *quod in armis* V *in a. quibus* ed. 8 *si* V *et* ed. 10 *isti* V *ipsi* ed. | *turribus* V *t. astant* ed. 12 *ei excelsi* V *et* nos cf. 11, 572 *ii* ed. 13 *turris* V ed. 14 *videretur* ed. 15 *ipsorum* om. ed. | Don. *linquentes* legisse videtur. 20 *sunt* V *viderentur* ed. 23 *qui* per compendium scripsit V cf. 392 (alibi idem compendium pro *quoniam*). 25 *Equicolus* ed. | *marus* V. 30 *versi* ed.

sed aliqui ex his occisi, aliqui in fugam versi, quia fieri non potuit ut iidem dicantur occubuisse, iidem abscedendi quaesivisse suffugium. *tum magis increscunt animis discordibus irae,* Rutulorum scilicet. *et iam collecti Troes*
5 *glomerantur eodem et conferre manum et procurrere longius* 690
audent: tanti facti exemplo animati Troiani densabantur ad portam remotaque trepidatione omni et egredi longius audebant et alios comminus provocare.

Ductori Turno diversa in parte furenti turbantique
10 *viros perfertur nuntius hostem fervere caede nova et portas praebere patentis:* Turnus cum esset in longinqua parte et turbaret viros unus pluris et magnos, nuntiatur repente novum aliquid extitisse, Troianos caedibus fervere et tanta duci animorum fiducia, ut portas aperirent. ecce mora-
15 litas nuntiorum, qui ad adversitatem falso addunt plurima plurimaque confingunt; una enim patebat porta, ille ait portas praebere patentis; non multi adhuc venerant Rutuli nec plurimi occisi, ille ait fervere caede nova. fit hoc hominum more, ut veris malis multa deteriora commis-
20 ceant, quod nuntiant gravius adiectione falsorum. *deserit inceptum:* hoc conperto deseruit quod agebat et dimisit inceptum. incepta saepe diximus dispositiones significare et intentiones fixarum sententiarum. *atque inmani concitus ira,* illa scilicet quam maiore quam fuerat adsertione
25 nuntius excitaverat. *Dardaniam ruit ad portam,* non quae 695
propria esset Troianorum, sed qua defendebantur inclusi; ruit inquit, non venit, ut ostenderet eius fervorem, qui suorum necem veniebat ulturus et qui nolebat patentis portae occasionem perdere, ne iterum clauderetur. *fra-*
30 *tresque superbos*: hic mora facienda est; postea enim describit quid cum ipsis gestum sit. intervenerunt quippe alii, qui Turnum ab iisdem fratribus avocarent. *et primum Antiphaten (is enim se primus agebat), Thebana*

---

15 *adversitatem* V *ad adv.* nos *adversis* ed. 19 *ut — commisceant* V *et — commiscent* ed. 20 *adfectione* V *adiectione* nos cf. 11, 102 *fictione* ed. 23 *inventiones* ed. 24 *illa* V *ira* ed. 32 *advocarent* V corr. ed. 33 *antefaten* V. | *thebadane m.* V.

de matre nothum Sarpedonis alti, coniecto sternit iaculo: primum igitur Antiphaten, quoniam ante fratres sese obtulerat, coniecto iaculo stravit. superflue genus huius describit, licet nobilem significare voluerit. *volat Itala cornus aera per tenerum:* duo fuerunt quae velocitatem 5 dabant telo quod iecerat Turnus, unum quod Itala fuit cornus, levis et apta missilibus, alterum quod aeris teneritudo non inpediebat volantis excussum. *stomachoque in-* 700 *fixa sub altum pectus abit,* quo facto *reddit specus* (specus dixit suspensuram pectoris in modum speluncae naturali 10 ratione conpositi) *atri vulneris undam spumantem,* non undam veram, sed in modum undae copiam sanguinis fundebat ex vulnere. *et fixo ferrum in pulmone tepescit:* non potuit dici fervescit, quia calor corporis cum sanguine discedebat, quo calefieri amplius potuit. *tum Meropem* 15 *atque Erymantha manu, tum sternit Aphidnum:* et isti de illis fuerant qui primi furenti occurrerant Turno. magna descriptionis varietas; alios enim iaculo stravit, alios manu, scilicet non iaculo ut alios, sed gladio. *tum Bitian ardentem oculis animisque frementem:* iste et oculis mon- 20 strabat ferociam mentis et quid intus gereret asperitate animi testabatur. *non iaculo (neque enim iaculo vitam* 705 *ille dedisset), sed magnum stridens contorta phalarica venit, fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga nec duplici squama lorica fidelis et auro sustinuit:* adversus novam 25 hominis formam novam invenerat Turnus speciem, qua ingentem corporis molem valeret evincere: non enim ille iaculo superari potuit. misit igitur phalaricam, genus teli quod omnia superabat, quae cum Bitiae corpus letali vulnere penetrasset, putabatur fulmen de caelo transmissum. 30

---

1 *notum* V. 2 *quoniam* V *qui* ed. 3 *huius* V *hoc* ed. 5 *tenerum* V *tenuem* ed. 6 *Itala* om. ed. 7 *teneritudo* V *tenuitas* ed. 8 *excessum* ed. 9 *quo facto* om. ed. | *specus* lemmatis finis in V *atri — spumantem* hic inseruit infra om. ed. 10 *suspensura* ed. *id est s.* ed. post. 14 *ferviscit* V. 15 *potuit* V *non p.* ed. 18 *describtionis* V *distributionis* ed. 28 *poterat* ed.

describitur iam quantae sit virtutis phalarica: perforavit duobus tauri coriis procurata munimenta et loricam duplici squama consertam. in primo libro (368) dixit „taurino quantum possent circumdare tergo": hic splendidius locutus
5 ait duo taurea terga, non dixit taurina. *conlapsa ruunt inmania membra:* nondum ostendit ruinam cadentis plenam, sed dicendo conlapsa ruunt inmania membra praenuntiavit descriptionis aliquam partem. *dat tellus gemitum:* illo, inquit, cadente cum tanti corporis pondere gemuit terra.
10 *et clipeum super intonat ingens:* magna clipei species magnum fecerat sonum, in tantum ut caelum putaretur intonuisse. *talis in Euboico Baiarum litore quondam saxea* 710 *pila cadit, magnis quam molibus ante constructam ponto iaciunt:* talem dat sonitum pila, quam diu constructam
15 iaciunt ponto Baiani litoris homines. *sic illa ruinam prona trahit penitusque vadis inlisa recumbit:* dixit duas causas quibus violentior volvitur et cum ingenti ruina pervenit. una est quia multis et saxis et inpensarum admixtione congeritur, altera quia urgetur in praeceps penitus-
20 que vadis inlisa recumbit. necesse enim est ima petere quae magnis ponderibus cadunt et tanto depressius quanto posuerint graviora. ecce factum ex facto: *miscent se maria et nigra tolluntur harena, tum sonitu Prochyta alta* 715 *tremit durumque cubile Inarime Iovis imperiis inposta*
25 *Typhoeo:* cuius pilae casu multa alia contremunt.

Hic Mars armipotens animos virisque Latinis addidit: Turni factum ceteris audendi fiduciam dedit. *et stimulos acris sub pectore vertit:* et quasi quibusdam stimulis rursum in belli certamen accendit. *inmisitque fugam Teucris*
30 *atrumque timorem:* contra Troianis iniecit metum et ex

---

4 *posset* V ed. cf. I p. 80 n. 19. 5 *ait* V *est* ed. 6 *nondum* — 7 *membra* om. ed. 11 *sonitum* ed. 12 *qualis* pro *talis* ed. 13 *iaciunt ponto* ed. 17 *volvebatur* ed. 18 *multis et* om. ed. | *admixtionem* V corr. ed. 22 *potuerint* V *posuerint* nos *fuerint* ed. 23 *nigrae attolluntur harenae* Verg. libri. 25 *cuius* om. *inquit* post *pilae* interpol. ed. | *contremuerunt* ed. 26 *omnipotens* ed. 28 *acri* ed.

eo fugam; non enim fugit nisi qui stare formidat et
720 diffidit praesentibus. *undique conveniunt:* causa conveniendi
dicitur *quoniam data copia pugnae,* quae antea non fuit.
bellatorque animo deus incidit: totum in unum convenerat,
Troianorum timor et fuga et Turni ex prospera dimi- 5
catione successus, data quoque pugnandi copia et belli
gerendi ardor quem armipotens deus universis ingesserat.
*Pandarus ut fuso germanum corpore cernit et quo sit
fortuna loco, qui casus agat res:* Pandarus cum conside-
rando cognosceret in fratris interitu partem se auxilii 10
perdidisse et virum interisse quem putabat invictum, casi-
bus quoque multis subiacere quae homines agunt et suam
mutatam esse fortunam, *portam vi multa converso cardine*
725 *torquet obnixus latis umeris.* hoc fecit, ut emendaret fac-
tum suum, quod adversa corruperant. *multosque suorum* 15
*moenibus exclusos duro in certamine linquit, ast alios se-
cum includit recipitque ruentis:* portam claudere, quam
congesti hostes oppleverant, quantae fuit virtutis! fecit
tamen quod exigebat necessitas, exclusis suorum aliquantis
et ad perniciem traditis, receptis vero nonnullis hostium: 20
quod et commodum esset contrarium posuit, quia aut
occidi illic potuerunt aut praevalere. *demens, qui Rutu-
lum in medio non agmine regem viderit inrumpentem ultro-
que incluserit urbi:* nisi illum multa adversa turbassent,
plenam potuit procurare victoriam, si inrumpentem Tur- 25
num cum ceteris recepisset, eum scilicet qui ultro venerat,
730 ut periret. *inmanem veluti pecora inter inertia tigrim:*
ecce vitium eius qui non vidit Turnum plurimum inter
ceteros eminentem, quod si fecisset, esset tale quale si
clausisset cum parvis pecoribus tigrim. *continuo nova lux* 30
oculis offulsit et arma horrendum sonuere, tremunt in

---

2 *diffidet* V ed. 4 *convenerant* ed. 6 *regnandi* V ed. *pugnandi* nos. 18 *quantae* V *quae* ed. 19 *exiebat* V corr. ed. | *aliquot suis* ed. 25 *potuisset* ed. | *si* — 27 *periret* V ed.: his verbis et iis quae infra sequuntur *quod si fecisset* etc. quid Don. dicere voluerit me non intellegere fateor; nam cum eum receperit, quomodo condicionaliter loquitur? 31 *effulsit* ed.

vertice cristae sanguineae clipeoque micantia fulmina mittit: [agnoscunt faciem invisam atque inmania membra turbati 735 *subito Aeneadae]:* tanta fuit inter ceteros dissimilitudo Turni, ut illum forma corporis et armorum qualitate 5 quivis posset agnoscere. denique agnoverunt Aeneadae faciem qualem numquam viderant et licet turbati quis esset intellexerunt. *tum Pandarus ingens emicat et mortis fraternae fervidus ira effatur:* resipiens Pandarus vidit quem ante nequiverat noscere et, in ira perditi fratris 10 positus, gratulatus hostem oblatum ad poenam sic instituit loqui: *non haec dotalis regia Amatae nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.* sic, inquit, fretus audacia consistis, quasi te Amatae regia habeat (iculariter hoc dixit, quoniam Amata illum vehementissime diligebat) aut 15 teneat civitas patris, in qua otiosus esse consuesti: nolim erres ulterius. *castra inimica vides, nulla hinc exire potestas:* tenent te obsessum castra quae inimicus intrasti nec aliquem tibi exitum tribuunt. *olli subridens sedato* 740 *pectore Turnus:* diversos animorum motus singulis dedit. 20 Pandarum dixit sublatis animis, quod Turnum teneret in saepto castrorum, et, quod esset fratris amissione confectus, dedit ei superbum quoque sermonem; Turno patientiam tribuit, denique sine tumore mentis huiusmodi sermonem reddidit: *incipe, si qua animo virtus, et consere dextram,* 25 *hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem:* de fiducia fortitudinis urbanum potius quam contumeliosum reddidit in respondendo sermonem, iocatus etiam ipse de nominibus, ut Pandarus fecit, si, inquit, aliquatenus tua virtute

---

2 *agnoscunt* — 3 *Aeneadae* deest in V, sed explicatur. 6 *facilem* V *facile* ed. *faciem* nos cf. 12, 36: Don. *invisam* pro non visam accipit. 7 lemma a *tum* incipit V *turbati subito Aeneadae* praefixit ed. 8 *resipiens* V ed.: potest hoc pro *resipiscens* posuisse ut *contremunt* pro *contremiscunt* 715, quamquam exemplo carere videtur. 10 *oblatus* V corr. ed. 13 *quasi* V *ac si* ed. 14 *aut teneat* V *quasi inquit* interpos. ed. 15 *nolim erres* V *noli me res* ed I *nec timeres* ed F. 20 *sublato animo* ed. 21 *quod* V ed. *quamvis* expectes. 23 *mentis* — 24 *reddidit* temere mut. ed.

confidis, incipe, ego te ad Priamum mittam, ut te in Italia alterum Achillem nunties invenisse. *dixerat:* hoc de Turno sit dictum. *ille,* hoc est Pandarus, *rudem nodis et cortice crudo intorquet summis adnixus viribus hastam,* inconpositam scilicet et inpolitam, quam sola fortitudo maxima 5
745 potuisset emittere. *excepere aurae:* hasta ipsa auras potius quam hominem verberavit. *vulnus Saturnia Iuno detorsit veniens portaeque infigitur hasta;* quippe auxilio Iunonis detortum est vulnus a Turni corpore portaeque magis infixum: ictus quam validus fuit, ut exceptum 10
at non hoc telum mea quod vi dextera versat effugies; neque enim is teli nec vulneris auctor: verba sunt Turni loquentis ante iactum. hoc, inquit, telum tu non effugies quod magna vi versat dextera mea neque eius ictum poteris evitare, non enim hoc tu mittis, ut inefficaciter 15
currat; tale enim veniet qualis ego sum cuius manu portatur et regitur. *sic ait et sublatum alte consurgit in ensem:* ecce qua ratione ait ego effugi ictum tuum, declinare tu non poteris meum. quando enim telum missile est, potest declinari vigilantibus oculis et corporis mobili- 20
tate, cum vero venitur ad manum atque ense pugnatur, ictus nulla potest ratione frustrari et tunc vera virtus ostenditur. timentis est enim certare hastis et telum longius mittere. Turnus igitur, ut se ostenderet virtute potiorem, gladio magis usus est nec timuit tantum hosti 25
propior fieri, ut consurgere in ensem posset et ferire, quod non facit nisi qui propria virtute confidit. itaque,
750 ut manum erexit, *mediam ferro gemina inter tempora frontem dividit inpubesque inmani vulnere malas:* totum

1 *confidis inicere* V ed. c. *incipe* nos (an *inice*?). | *te* post *ut* om. V ed. 3 *sit* V *sic* ed. *est*? cf. v. 18. | *nobis* pro *nodis* V. 10 *infixa* ed. | *exceptum* V *auris portae figeretur* add. ed. lacunam significare malui, cuius spatium V non indicat. 12 *es* pro *is* Donatum legisse susp. Hoppius, sed verba *non enim — currat* ad *mea* lemmatis pertinere patet. 13 *iactum* V *ictum* ed., sed Donatus sic scripsisse potest cf. 443 et 3, 635. 18 *ego* om. ed. | *effugii* V. 21 *venitur* V *ventum fuerit* ed. 23 *enim* om. ed. 27 *propriae virtuti* ed. | *itaque — 28 mediam* mut. ed.

hoc, quod factum descripsit, licet exponi non debeat, quia planum est, tamen melius apparebit, cum fuerint inspecta sequentia. *fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus:* sonus quem ipse ictus fecerat aut ruina prostrati,
5 pondus autem sensit terra quae sustinebat occisum. *conlapsos artus atque arma cruenta cerebro sternit humi moriens:* inplevit terram funere proprio et dissoluto cerebro ac sanguine suo arma quoque perfudit. *atque illi partibus aequis huc caput atque illuc umero ex utroque pependit:* 755
10 haec est omnis descriptio mortis Pandari: medio, inquit, capite ictum teli venientis excepit et per frontem ac faciem plaga descendens singulas partis singulis umeris dedit. ecce propter quam causam supra posuit „sic ait et sublatum alte consurgit in ensem“; hominis enim longi
15 et eius cuius forma arboribus luci conparata est caput et faciem uno ictu in duas partis separare non posset, nisi in ensem consurgens altior esset effectus, ut descendens plaga facilius conpleret hominis necem. tanta autem facti celeritas fuit, ut adversus consistens Pandarus venien-
20 tem mortem vitare nequiverit. *diffugiunt versi trepida formidine Troes:* Troiani omnes tali exemplo perterriti fugerunt. *et si continuo victorem ea cura subisset, rumpere claustra manu sociosque inmittere portis, ultimus ille dies bello gentique fuisset:* occisis illis qui valebant ob-
25 sistere, si victorem Turnum congrua cura tetigisset, vel maxime quia fugerant ceteri, ut perruptis claustris portaque patefacta suos admisisset, eodem die omnis Troianorum gens fuisset absumpta et plenus belli terminus provenisset. cur hoc non sit factum subnectitur. *sed* 760
30 *furor ardentem caedisque insana cupido egit in adversos:* inpediit hoc consilium furor, qui humanas mentes a tractatibus commodis proturbare consuevit. raptus est enim ut insequeretur fugientis et non vidit quod prodesse plus posset. *principio Phalarim et succiso poplite Gygen excipit,*

---

4 *aut* V *et* ed. 8 *perfundit* ed. 19 *consistentes* ed. 22 *fugierunt* V *fugiunt* ed.

hinc raptas fugientibus ingerit hastas [in tergum]: loci istius intellectus duplicem rationem potest admittere. aut enim hastas sublatas hostibus ipsis fugientibus ingerebat aut aliis raptas in eos iaciebat qui fugerant. Excipiebant autem iactus omnis in terga quae dederant hosti. *Iuno* 5 *viris animumque ministrat:* ubi erexit laudibus Turnum ibi eum plena vituperatione deiecit; nihil enim propria 765 virtute faciebat, si Iunonis iuvabatur auxilio. *addit Halyn comitem et confixa Phegea parma, ignaros deinde in muris Martemque cientis:* deinde addit comitem Halyn et Phegeum, 10 qui nescii quid esset cum aliis gestum pugnam in muris novare nitebantur. *Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque, Lyncea tendentem contra sociosque vocantem* 770 *vibranti gladio conixus ab aggere dexter occupat, huic uno deiectum comminus ictu cum galea longe iacuit caput:* post 15 multos quos prostratis comites dedit Lynceum adgressus est, qui socios vocabat ad bellum, sed, cum istum animantem ceteros et hortantem obvium habuisset, occasione aggeris sublimior factus caput eius e summo percussit et uno ictu abscisum longius fecit iacere. cum galea longe 20 iacuit caput: virtutem ferientis ostendit; nam non longe cum galeae pondere iacuisset, nisi magna fortitudine virium fuisset excussum. *inde ferarum vastatorem Amycum, quo non felicior alter ungere tela manu ferrumque armare veneno:* iste venator fuit, qui, ut facilius feras occideret, 25 ferrum armabat venenatis unguentis. *et Clytium Aeoliden,* hoc est Aeoli filium. *et amicum Cretea Musis:* amicitia Musarum qualis iuxta Creteum fuerit ex sequentibus docet. 775 *Cretea Musarum comitem:* non tantum amicus Musarum fuerat verum etiam comes. *cui carmina semper et citharae* 30

---

1 *hic* V. | *in tergum* deest in V, sed explicatur. | *locus iste* ed. 3 *ipsis fugientibus* om. ed. 6 *erexit* V ed. *evexit*? 8 *si* V *sed* ed. | *alyn* V ed. 9 *confixum* ed. | *ignarus* V. 10 *clientis* V. 17 *vocavit* ed. 18 *ovium* V. 19 *summo* V *e s.* ed. 20 *galea longe* V *quod dixit cum galea* interpos. ed. 26 *venenans* ed. 28 *iuxta creteum fuerit* V *dixit* ed. hoc ut ineptum mut. ed. post.

cordi [numerosque intendere nervis]: non unam tantummodo musicae artem noverat, sciebat conponere carmina, noverat citharae studium et loqui per nervos. ea quippe moderatione tendebat, ut humanam vocem sonis et 5 numeris testarentur. *semper equos atque arma virum pugnasque canebat:* hoc laudis augmentum est, ut scientiam musicam non ad turpis cantus, sed ad virorum fortia gesta converteret, denique aut equos aut arma canebat aut bella.

Tandem ductores audita caede suorum conveniunt Teucri, 10 *Mnestheus acerque Serestus:* non soli, sed inter ceteros ipsi praecipui. *palantisque vident socios hostemque receptum:* 780 contrarium nescio quid ut, clauso hosti cum insistere debuissent atque hunc necare, fugere potius quam cum hoc certare maluissent. *et Mnestheus quo deinde fugam,* 15 *quo tenditis? inquit:* Mnestheus suos obiurgans deinde ait, hoc est ut vidit fugientis, confestim locutus est ista; sic, inquit, fugitis, quasi vos exitio fuga possit eripere, vellem tamen nosse quo sententia vestra contendat. ille, inquit, praesens periculum fugitat qui receptaculi potest habere 20 subsidium, vos quo tenditis? quae vobis praeter istius loci munimenta sunt? qui occurrunt fugientibus muri? quae alia turris palantis excipiet? hoc est quod ait *quos alios muros? quae iam ultra moenia habetis?* incipit iam factum ipsorum excutere et, dum consilium incommodum 25 reprehendit quod inconsulte tenuerant, viam quam sequi debeant subtiliter monstrat. *unus homo et vestris, o cives, undique saeptus aggeribus tantas strages inpune per urbem ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco?* unus, inquit, 785 multos, homo homines, captivus liberos non una caede, 30 sed plurima et nulla ultione repetita, iuvenes electos et

---

1 *numerosque—nervis* deest in V, sed explicatur. 4 *tendebat et* V *t. ut* ed. 7 *gesta* V *facta* ed. 8 *aut equis* V *aut equos* nos *ait equos* ed. 12 *clauso hosti* V *cl. ostio* ed. 18 *contendat* V *-dit* ed. | *inquit* V *ait* ed. 19 *fugi//ait* cum rasura V *fugitat* nos *fugit* ed. 21 *monimenta* V. | *occurrent* edF. 22 *alia* V *talis* edF. 25 *tenuerant* V *timerent* ed. 28 *primus* ed. 29 *multos homo* V invertit ed. | *captivos* V corr. ed.

nobiles ac tanti numeri straverit? et hoc fecerit per urbem, in qua facilius adunata multorum manu potuit sterni? solus valuit pluris occidere? *non infelicis patriae veterumque deorum et magni Aeneae segnes miseretque pudetque?* non, inquit, venit vobis in mentem infelix 5 patria, quam reparare debemus? non dii Troiae considerantur, quos vultis addicere? non Aeneae contemplatio absentis, qui nobis spem suam filiumque commisit? segnis vos esse non miseret aut pudet? miseret pertinet ad deos et patriam, pudet ad Aenean. patiemini unum, socii, feretis 10 inclusum? post tot virorum talium caedem vivum ex his locis potestis emittere? quis subveniat inopi? quis iuvabit inclusum? expergiscimini aliquando! sentiat viros quos inrumpendo contempsit! *talibus accensi firmantur et agmine denso consistunt:* ecce quantum commoda horta- 15 menta valuerunt! metuentes dudum in plenam constantiam repente mutati sunt et agmine denso consistunt congregatique unanimes qui sibi fuga consuluerant recuperata mentis 790 fiducia constiterunt. *Turnus paulatim excedere pugna et fluvium petere ac partem quae cingitur unda:* ubi advertit 20 Turnus fugientum mutata esse consilia et eos plena fiduciae obstinatione constitisse, ipse quoque fugiendi tractatum consulto suscipiens tendebat ad eam partem quae undis circumfluentibus cingebatur. ac ne hoc ipsum Troiani sentirent, paulatim cedebat. *acrius hoc Teucri clamore* 25 *incumbere magno et glomerare manum:* clausis ceteris partibus solus evadendi per fluvium esse aditus potuit. ad

---

1 *numeri* V *muneris* ed. 4 *veterumque parentum* V ed. ex interpr. *v. deorum* scripsi cf. praef. p. XLII. 7 *addicere* V ed. cf. v. 599, sed fortasse *adducere* melius. | *conplatio* V *compilatio* ed. *compellatio* ed. post. *contemplatio* nos. 8 *filiumve* V ed. 10 *feretisve* ed. 11 *vivum* V *unum* ed. 12 *potest semittere* V *posse emittere* ed. | *qui subveniat* V ed. 13 *expergimini* V *experimini* ed. | *sententia* V ed. om. ed. post. cf. 10, 681. | *viros* — 14 *talibus* V interpolationibus corrupit ed. 18 *unanimes* V *immanes* ed. *iuvenes* ed. post. | *consoluerant* V. 19 *constituerunt* V. 20 *unda* V *amni* ed. 21 *fugientium* ed. | *fiducia* V *-ciae* ed. 25 *sentirent* — 285, 2 *Troiani* om. ed.

hanc partem et Turnus tendebat et eo illum trudebant constipati Troiani, ut periret in gurgitem mersus aut occumberet ferro. parabola succedit, ut ostendatur qualis tunc fuerit Turnus, quales vero Troiani: *ceu saevum turba*
5 *leonem cum telis premit infensis, at territus ille, asper, acerba tuens retro redit et neque terga ira dare aut virtus* 795 *patitur nec tendere contra [ille quidem hoc cupiens potis est per tela virosque]:* exquisitum parabolae genus et species loco personisque conveniens. cum enim Turnus viso evi-
10 denti periculo cedendo vellet evadere, terga dare non audebat, ne oportunum se praeberet ad caedem: insistere non poterat pugnae, ne in ea a plurimis superatus occumberet. invenit poeta tale animalis genus quod virtute ac feritate praestans talem naturae habeat morem, ut, cum
15 in multorum insidias venerit, cedendo se potius tueatur quam terga vertendo, et quod intellegat se in adversum niti, si in confertos impetum faciat, et tamen tanta fiducia agat, ut melius putet per tela et per hostis exire quam videri cessisse. *haut aliter retro dubius vestigia Turnus*
20 *inproperata refert et mens exaestuat ira:* sic, inquit, fecit igitur Turnus, sic ira non vacuus retrorsum vestigia referebat. *quin etiam bis tum medios invaserat hostis, bis confusa fuga per muros agmina vertit:* et tamen, in- 800 quit, cum sensim cederet, bis etiam tum hostis Troianos
25 invasit tantumque solius impetus potuit, ut simul omnes bis in muros aufugissent.

Sed manus e castris propere coit omnis in unum: in unum omnis multitudo convenit, ut uni resisti potuisset. quantum dat Turno, ut contra unum et solum et saeptum
30 undique congregarentur universi! *nec contra viris audet Saturnia Iuno sufficere:* tanta adversus Turnum illa vis

---

2 *gurgite* ed. 3 *parabula* V (ut solet). 7 v. 796 deest in V ed., sed explicatur. 8 *exquaesitum* V. | *species* V *sp. sed* ed. 10 *evadere* V *excedere* ed. 11 *insisterat* V corr. ed. 12 *ne* om. V. 14 *habet* ed. 17 *confortos* V. 24 *troianis* V. 28 *potuissent* V. 29 *turnum* V corr. ed. | *contra — saeptum* (*saepium* V) temere mut. ed.

potuit, ut Iunonis quoque pro Turno auxilia defecissent. ecce hic post maximam laudem deprimitur Turnus; vult enim non Turni fuisse quod potuit, sed eius quae favebat inbelli; denique ubi deficit Iuno ibi deficit et Turnus. *aeriam caelo nam Iuppiter Irim demisit germanae haut* 5
805 *mollia iussa ferentem, ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis:* misit, inquit, Iuppiter ad Iunonem sororem suam sub terrificatione durissima atque, ut haec perferri ocius et facilius possent, Irim destinavit instructam mandatis haut mollibus graviter se commoveri posse ante 10 denuntians, si Turnus se non abstinuisset castris Troianorum. *ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum nec dextra valet:* insistentibus Teucris et Iunone cessante nec clipeo tantis telis valebat occurrere nec dextera pugnare. *iniectis sic undique telis obruitur:* tanta vis telorum iaciebatur in 15 Turnum, ut illum obruerent potius quam ferirent. *strepit adsiduo cava tempora circum tinnitu galea:* circum cava tempora non hominis, sed galeae quae Turni tempora contegebat. strepebat igitur et tinnitum dabat percussa ictibus crebris. *et saxis solida aera fatiscunt:* aes quamvis 20 solidum, quo formata fuerat galea, duris ictibus, multo amplius saxis evictum in rimas pluris vi maiore conver-
810 sum est. *discussaeque iubae capiti:* cristarum quoque omnis ornatus et iuba capiti eius excussa sunt. *nec sufficit umbo ictibus:* quando enim unum scutum tot milibus 25 telorum omni ex parte venientium valebat occurrere aut tantum ponderis sustinere? *ingeminant hastis et Troes et ipse fulmineus Mnestheus:* necesse enim fuerat ut cum omnibus faceret quod hortatu suo videbat universos efficere. ipse quippe alios segnis et debilis reddit qui quod iusserit 30 communicare non curat et laborantibus cunctis solus cessat otiosus. insistebat igitur etiam ipse, ut Turnus

---

3 *eiusque* V corr. ed. 4 *inbelli* V *Turno* ed. 8 *proferri* ed. 10 *aud* V *h* add. man. II. 11 *se* om. ed. | *castris* V *a c.* ed. 15 *secundique* pro *sic undique* V. 17 *gava* V. 22 *conversum* V *versum* ed. 25 *quando* V *quomodo* ed.

aut truderetur moenibus et armatus ire cogeretur in gurgitem aut gladiis peremptus occumberet. *tum toto corpore sudor liquitur et piceum (nec respirare potestas) flumen agit:* ibat sudor ex Turni corpore piceum flumen ostendens
5 nec fuit resumendi aliquod spatium. *fessos quatit aeger anhelitus artus:* fatigata hominis membra anhelitus debiliora reddebat; aegrum anhelitum dixit, quia aegros facit et debilis. *tum demum praeceps saltu sese omnibus* 815 *armis,* hoc est aut omnium virtute aut cum armis omni-
10 bus, quoniam armatum esse constabat, *in fluvium dedit:* non timuit se praecipitem dare qui sciebat se in undas esse venturum; melius quippe certum periculum fugere et subire quod esse posset incertum. *ille suo cum gurgite flavo accepit venientem ac mollibus extulit undis:* contra
15 spem omnium et suam Turnus exceptus est et, quia altitudine gurgitis vel maxime armatus premi potuerat, virtute magis undae collectae suspensus est. *et laetum sociis abluta caede remisit:* atque ita factum est ut laetum gurgiteque ablutum misisset ad socios.

---

1 *et armatus* V *aut a.* ed. 2 *gladiis* V *iaculis* ed. 3 *linquitur* V. | *res respirare* V. 5 *resumendi* V *spiritum r.* ed. 6 *debilior* V ed. 8 *saltus esse* V. 9 *omnis* V *omnibus* ed. 12 *fuere et* V *fugere et* U *fuit ei* ed. 13 *quod* V *quam quod* ed. | *potuisset* ed. 18 *laetum* V om. HOU ed. 19 *gaeatque* V *gaetaque* O *atque* U om. cum spatio H *gurgiteque* nos *ut fluvius eum placide accepisset atque* ed. | *misis set* V *remisisset* ed. | post *socios* „non quod fluvius hominem exceperit aut remiserit, sed ipse Turnus elatus ac e fluvio facile egressus ad socios se retulit" interpol. ed. spuria haec esse vel „ac e" docet, cum Don. „atque e" scripturus fuerit; desunt in VHOU. — sequitur quae solet subscriptio: *Tiberi Claudi* (*Claude* V) *Donati* etc. *explicit — incipit.*

AENEIDOS LIBER X.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi conciliumque vocat divum pater atque hominum rex sideream in sedem [terras unde arduus omnis castraque Dardanidum aspectat populosque Latinos]: pandi et claudi caelum multis locis auctores nonnulli dixerunt: tunc pandi cum exoritur 5 dies, tunc claudi cum finito die tempus noctis accedit, et, ne longius adsertionis istius documenta requirantur, ipsius Maronis consentientis in haec dicta repetamus. hic enim ait panditur, ut ostenderet diem venisse, alio autem loco (1, 374) dixit „ante diem clauso conponet vesper 10 Olympo". hoc ipsum firmatur ex eo quod caelo etiam portas adsignant: quod enim habet portas aperitur et clauditur nec aliud officium potest esse portarum, nisi ut clausae ingressum denegent aut cum patent venientis admittant. unam referunt portam qua sol exoritur, alteram 15 quae illum excipit occidentem. cum igitur dies exactis noctis temporibus advenisset et caelum esset patefactum, concilium deorum fieri Iuppiter iussit et in unum congregari universos. illic enim deos sedere convenerat ubi tenebantur et sidera. nec illud vacat quod dixit divum 20 pater atque hominum rex, quoniam id dicere fuerat necessarium. qui enim deos atque homines una potestate retinebat debuit omnis aequo moderationis arbitrio gubernare et illic habere concilium ubi dii praesentes essent

---

3 *terras* — 4 *Latinos* deest in VR, sed explicatur. 4 *pandi* — 5 *locis* VR *lucem* ed. 12 *obsignant* ed. 15 *alteramque* V. 20 *tenebatur* VR, sed R cum puncto sub *at.* 22 *atque* om. R. 23 *modo derationis* V.

et unde omne humanum genus videri potuisset. non tamen exaequavit homines et deos; nam divum dixit patrem, hominum autem regem, quae officia aequitate et moderatione consistunt. causa autem contrahendi concilii 5 fuit ut obiurgatione conveniens omnis deos Iunonem ipsam oblique a Troianorum aemulatione conpesceret, quam per Irim supra secreto commoverat ut Troianorum hostem fovere desineret. *considunt tectis bipatentibus:* bipatentibus 5 dixit propter duas portas, quarum supra secundum poetam 10 ipsum reddidimus rationem. *incipit ipse:* ipse scilicet divum pater et hominum rex. *caelicolae magni:* omnium fecit causam, quia in favorem Iunonis omnes erant Troianis infesti et in conventu publico sororem suam eandemque coniugem speciali exprobratione nolebat exponi. *quae-* 15 *nam sententia vobis versa retro tantumque animis certatis iniquis?* qui caelum, inquit, incolunt et inde magni sunt et qui omnium populorum retinent principatum iusti esse debent et in una manere sententia, non moveri ab aequo et bono, non uti perfidia. at vos contra mobiles rescinditis 20 ea quae semel in placitum ducta sunt, inreligiosi in regem et iniqui in homines: quale studium vestrum est, quod neque ego probo et mortalibus displicet? addidit etiam tantumque animis certatis iniquis? ecce, ut iniquitatis ipsius exprimeret vim, ait vel si faciendum aliquid, 25 quamvis contra fas, fuisset, modus tamen inprudentiae aliquando deberet inponi. summa ergo obiurgationis ipsius hoc modo colligitur: facitis quod deorum personae non congruat, non statis in una sententia, non regitis homines aequo iudicio, sed innocentibus estis infesti, coeundi vobis

---

4 *moderationem* V. 5 *conveniens* VR *-nti* ed. | *deos* VR *d. et* ed. 6 *a* om. ed. 7 *irim* VR *iram* ed. | *se certo commonuerat* ed. post. 9 *quorum* ed. 11 *divum* VR *deum* ed. 14 *speciali — nolebat* VR corrupit ed. | *quianam* ed. 15 *versa* V *verb* R corr. r. 18 *moveri* V *mori* R. | *ab aequo et bono* VR om. ed. 19 *non* VR *et non* ed. | *rescendentes* VR *rescindentes* ed. *rescinditis* nos. 20 *ad placitum dicta* ed. 21 *quale* VR ed. *tale?* | *est* om. ed. 22 *addit* ed. 24 *ut si* VR ed. *vel si* nos. 27 *collegitur* VR.

licentiam vindicatis facientes contra sententiam meam et, quod est inter omnia notabilius, longis temporibus in errato persistitis. *abnueram bello Italiam concurrere Teucris:* hunc locum qui exponunt volunt ipsum Iovem reprehendentem alios esse mentitum; adserunt enim aliud secreto 5 in primo libro filiae esse confessum, aliud vero in praesenti concilio simulare. quod absit a poeta nostro, ut talem inducat quem deorum patrem et in homines habere potestatem multis locis adseruit: et vera illa dicebat nec ab illis dissimilia quae praedixerat filiae. sed si primo 10 libro proposita congrue intellegerentur, ad errorem praesentis loci legentum non veniret intentio. quid enim in primo libro (263) futurum praedixerat? „bellum ingens geret Italia." et hic dixit abnueram bello Italiam concurrere Teucris. hinc primum error exoritur, quod se- 15 parant bellum ingens geret Italia. ceterum si contextam Iovis orationem adverterent, numquam fallerentur. illic enim et personam invenirent gesturi bellum et contra quos id esset futurum manifestius perviderent. nos tamen ab illis omissa repetamus, ut intellectus deducatur in 20 lucem. „parce, inquit, metu, Cytherea, manent inmota tuorum fata tibi: cernes urbem et promissa Lavini moenia sublimemque feres ad sidera caeli magnanimum Aenean" atque „neque me sententia vertit, hic tibi fabor, enim quando haec te cura remordet, longius evolvens fatorum 25 arcana movebo". haec ad ea pertinent quibus Venus mature posset securior reddi, in quo ipse Aeneae nomen non omisit. huic nomini subiungendum est „bellum ingens geret Italia" subtractis his versibus qui narrationem continuam diviserunt, hoc est „neque me sententia vertit, 30

3 *persistius* V. 8 *deorum patrem* VR *in deorum* edI *in deos* edF. 9 *illa* R *ille* V ed. 12 *legentium* ed. 16 *gerit* (supra *geret*) VR. 17 *rationem* V. 18 *gesturam* ed. 19 *quos id* VR *quod id* ed. *id quod* ed. post. | *esset* R *est* V ed. | *praeviderent* ed. 22 *cernes* VR *condes* ed. 23 *feris* VR. 24 *atque* om. ed. | *enim quando* coniunxi secundum interpretationem 1, 261. 28 *nominis ubi iungendum* VR *nomini u. i.* ed. *nomini subiungendum* nos. 29 *gerens* VR *gerit* ed.

hic tibi fabor, enim quando haec te cura remordet, longius evolvens fatorum arcana movebo". Hoc ergo subtrahendum est, dehinc iungendum est cetera, ut integretur narratio futurorum, ut sit „sublimem feres ad sidera caeli mag-
5 nanimum Aenean" et sequatur „bellum ingens geret Italia", id est non Italia geret ingens bellum, sed ipse Aeneas bellum ingens geret Italia. deducta hic in praepositio fecit errorem: sed, ubi intellectum attendas, addenda est, ut sit „bellum ingens geret in Italia populosque feroces con-
10 tundet", ipse scilicet Aeneas, „moresque viris et moenia ponet", ipse Aeneas. ecce dicit et quanto tempore regnaturus „tertia dum Latio regnantem viderit aestas ternaque transierint Rutulis hiberna subactis": haec procul dubio ad Aeneae, non ad provinciae personam pertinent.
15 si enim Italia fuerat bellum gestura, quem intellegimus percepta victoria potuisse regnare? Non est igitur diversum nec fefellit Iuppiter quemquam dicendo abnueram bello Italiam concurrere Teucris. praedixerat enim in primo libro futurum bellum in Italia atque hoc bellum Aenean
20 feris et indomitis adhuc gentibus inlaturum; hic dicit hanc fuisse dispositionem, ne Itali vim belli Troianis inferrent, quod revera non fieret, si Iunonis tergiversatio quievisset, quam Iuppiter oblique pulsat et quasi nescius auctorem facti perquirit. denique sic posuit: *quae contra vetitum*
25 *discordia? quis metus aut hos aut hos arma sequi ferrum-* 10 *que lacessere suasit?* non, ut dictum est, quaesiit ut nescius quo auctore ista viderentur admissa, sed reprehendit et, cum omnis deos obiurgat, ipsam Iunonem insolentiae crimine aspergit et notat. *adveniet iustum pugnae (ne*
30 *accersite) tempus, cum fera Carthago Romanis arcibus olim*

---

1 *hic ubi* (supra recte) VR. 3 *iungendum est* R cf. 7, 141 *iungenda sunt* V ed. | *ut* VR *et ut* ed. 4 *fereas* V. 7 *praepotio* R *praepositione* ed. 8 *errorem — intellectum* VR temere mut. ed. 9 *italia* VR *in Italia* scripsi cum ed. 12 *terna quae* R. 13 *hae* R *he* V *haec* ed. 16 *precepta* V. 17 *bellum* VR. 22 *terga versatio* R. 25 *cavi hos arma* R *cavi arma* V pro *aut hos arma*. 26 *lacescere* VR. | *quaesivit* ed. 29 *uotat* R.

exitium magnum atque Alpes inmittet apertas. tum certare odiis, tum res rapuisse licebit: veniet, inquit, iustum tempus quo in hostis populi Romani odia exercere debeatis, tunc scilicet cum fera Carthago cum Gallis urbis arcibus coeperit inminere: tunc vobis licebit facere quae 5
15 volueritis et aliena diripere. *nunc sinite et placitum laeti conponite foedus:* nunc animorum dissensione posita amate concordiam. idcirco posuit veniet iustum pugnae tempus, ut ex hoc ostenderet quod contra Troianos gerebatur iniustum fuisse. 10

Iuppiter haec paucis: ideo pauca visa sunt, quia inducturus est Venerem non paucis elocutam. denique ait *at non Venus aurea contra pauca refert:* invenit enim oportunum tempus quo Iuppiter agebat iam Troianorum partis, qui causam querellarum fuerat auditurus. invenit, 15 inquit, locum, ut quicquid doloris olim conditum retinebat effunderet. auream Venerem magis animo quam corpore debemus accipere, quoniam tristis et expositura dolores suos in conventum deorum processura fuerat nec illo tempore de excolenda pulchritudine poterat cogitare. ordi- 20 natur sensus sic: at Venus aurea non pauca contra refert. aurea igitur, hoc est animo, bona et innoxia intellegenda est. nec pauca ideo, quia in conventu tanto omnia simul, ut fecit, debuit effundere quae prodesse negotio potuissent; occasionem enim libertatis illius forsitan non habuerit 25 posterius. *o pater, o hominum divumque aeterna potestas:* officiis praeeuntibus invidiose conventionem patrem dixit,

---

3 *hodie* VR *odia* corr. ed. 4 *quo* VR *cum* ed. nos (cf. 9, 315 et 612). 5 *licebit* R ed. *licet* V. 6 *placitum* VR *placidum* ed. corr. ed. post. 7 *enim orum* V *enim horum* R *animorum* nos *inquit horum* ed. 12 *pacis* VR *paucis* ed. | *elocutam* R *-tum* V *-turam* ed. 18 *quoniam*—19 *fuerat* VR temere mut. ed. 20 *excolenda* R ed. *excollenda* V *extollenda* HO fortasse recte. 24 *deberit* VR *debuit* ed. | *quae prodesse necio conpotuissent occasionem cum libertatis illius forsitan non habuerint posteritas* VR (sub *necio* in V lineola ducta man. II) temere mut. ed. 26 *rerumque* VR, sed *divumque* (ed.) interpr. poscit cf. praef. p. XLII. 27 *invidiose conventionem* VR *invidiosae conventionis* ed.

aut suum utpote filia aut deorum omnium ut dea. addidit hominum et divum aeterna potestas, ut ostenderet nec hominum quemquam nec deorum debere niti adversus ea quae vellet ille qui haberet aeternam potestatem. aeterni-
5 tatem potestatis necessarie adiecit; possunt enim contemni quibus aliquando succeditur. *(namque aliud quid sit quod iam inplorare queamus?) cernis ut insultent Rutuli Turnus-* 20 *que feratur per medios insignis equis tumidusque secundo Marte ruat?* magnum doloris commovit adfectum, quando
10 ad id memorat fortunam Troianorum esse perductam, ut eius malis nullo iam possit remedio subveniri. denique sub tali invidia subnexuit cernis ut insultent Rutuli Turnusque feratur per medios insignis equis tumidusque secundo Marte ruat? quid, inquit, vel quale beneficium
15 perditis petam? facerem, si aliquid spei superesset de meis, iam perfecta victoria est, triumphant Rutuli et, quod est omni calamitate deterius, victis insultant Turnusque ipse inter medios vehitur tutus. quod ait Turnusque feratur per medios insignis equis, et portatur intellegi
20 potest, quoniam equorum facta commemoratio est, et superbia feratur, quoniam de victore loquebatur, quem secundae res erectum sublimemque perfecerant. denique sequitur tumidusque secundo Marte ruat. ecce unde ferebatur, quoniam favore Martis utiliter commodumque pugnaverat.
25 conplevit partis Turni et eius prosperitatem prosecuta est, incipit contra enumerare suorum adversa: *non clausa tegunt iam moenia Teucros.* quam spem habere possunt qui munimenta perdiderunt defensionemque castrorum? *quin intra portas atque ipsis proelia miscent aggeribus murorum*
30 *et inundant sanguine fossas:* augmentum est malorum,

---

4 *et aeternit.* ed. 5 *necessariae* VR. 6 *sua editur* V *succedit* R *succeditur* nos cf. 1, 230 *sua potestas tollitur* ed. 7 *turnus quae* V. 8 *insignis quis* V. 9 *materuat* R item, sed *r* superscr. V. 14 *benefitium* R. 15 *perditis* VR *pro p.* ed. | *de meis* om. ed. 16 *est* om. ed. 18 *turnusque* VR *quod Turnus* ed. 21 *victore* VR *victoria* ed. 24 *commodumque* R *commodoque* V *commodeque* ed. 30 *fossas* VR *fossae* ed.

quod muris perditis constabat exortum, ut intra muros murorumque aggerem hostis inpune certaret et vinceret, in tantum ut caesorum sanguis fossas inplesset. nec me, inquit, quisquam fingere aliquid putet, malorum meorum testes sunt oculi tui et tuis conspectibus infortunia mise- 5 rorum cuncta monstrantur. geritur adhuc quod infelix gemo et insultat qui insontibus intulit bellum. quod dicit clausos fuisse et victa per vim quae illos defendebant, ostendit adpetitos nec ipsos aliquem provocasse. mon- strabat Venus universa, non quia illi subiecta non vide- 10 bant, sed ut illis consideratis tandem miseratio nasceretur. hanc partem adstruebat poeta cum diceret (3) „terras unde arduus omnis castraque Dardanidum aspectat po- pulosque Latinos“, ut facilis esset probatio Veneri, istorum scilicet quae inter suos ac Rutulos gerebantur. cernis 15 ad omnia pertinet quae Venus conquerens enumerabat, ut sit cernis ut insultent Rutuli? cernis ut Turnus feratur per medios insignis equis? cernis ut tumidus secundo Marte ruat? et sic cetera, quibus potest aptari quod semel dictum est cernis. quod ait per medios insignis 20 feratur, inde erat mentis acerbior morsus, ut in medio Troianorum positus salutis periculum non timeret, quin 25 potius gloriaretur et insignis incederet. *Aeneas ignarus abest:* haec, inquit, omnia Aenea geruntur absente, ut ostenderet etiam ipsum ab his actibus alienum. *num-* 25 *quamne levari obsidione sines?* non dabitur malis Troia- norum finis vel relevatio aliqua? neque aliquando erunt ab obsidionibus liberi? obsidionis Troianae facit com- memorationem et praesentis. denique sequitur *muris iterum inminet hostis nascentis Troiae [nec non exercitus alter]:* 30

4 *inquit* om. ed. 8 *illos* VR edI *ictus* edF. 9 *et ipsos* VR *nec ipsos* nos locum temere mut. ed. 10 *subtecta* R. | *videbant* VR *viderent* ed. 13 *populusque latinos* VR. 14 *ve- neris corum* VR *Veneri eorum* ed. 20 *insignis feratur* VR *equis* interpos. ed. 21 *mentis acerbica* VR *maior acerbitatis* edF. 23 *incideret* VR. 26 *sinis* VR. 27 *vel relevatio* R *vel re- velatio* V *nec relev.* ed. 29 *et* om. ed. 30 *nec — alter* deest in VR, sed explicatur.

periit, inquit, antiqua Troia nec alteram renasci permittitur; recessit Graecorum exercitus, qui stantem perdidit patriam, alter inminet, ne recidiva consurgat. *atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis Tydides:* non 5 ipse, sed ad ipsius similitudinem alius. *equidem credo, mea vulnera restant:* a Diomede enim dicitur vulnerata ac per hoc, si sperabatur alius emersurus in Diomedis vicem, quid supererat, nisi ut humanis manibus Venus iterum laederetur? quod dixit mea vulnera, ipsa ex- 10 posuit quid in pronomine debeat intellegi addendo *et* 30 *tua progenies mortalia demoror arma:* pronominis vim alterius pronominis substantia patefecit. nam quod dixit mea vulnera, hoc exposuit dicendo et tua progenies. si, inquit, contemptum est in me meritum meum in primo 15 vulnere, vel nunc nihil tale debet exoriri, quia filia tua sum. *si sine pace tua atque invito numine Troes Italiam petiere, luant peccata neque illos iuveris auxilio:* secura haec dicebat; nihil enim factum est nisi ex eius voluntate. certe, inquit, si contra sententiam tuam Troiani fecerunt in eo 20 quia venerunt ad Italiam, nec intercedo nec rogo, noli iuvare inprobos et contumacis extingue: cur illi non mereantur interitum, si te invito aliquid ausi deteguntur? *sin tot responsa secuti, quae superi manesque dabant:* pro peccato habent quia praedicta totiens et tot deorum re- 25 sponsa sectati sunt et monita ex infernis partibus data. *cur nunc tua quisquam vertere iussa potest aut cur nova* 35 *condere fata?* quis, ait, iste est te potior cui licet tuam abolere sententiam aut nova fata conscribere? duo inlicita posuit; verti enim non debuit quod oportuit esse 30 perpetuum et nihil statui novum contra instituti veteris formam. signato autem verbo usus est dicendo vertere; quod vertitur enim nullam spem reparandae rei significat.

---

1 *perit* VR corr. ed. | *admittitur* ed. 2 *quis tantem* VR *qui tandem* ed. 4 *surget* R. 14 *est* VR *fuit* ed. 16 *nomine* V. 21 *et* VR *sed* ed. 22 *ause* R. 23 *manes quae* R. 26 *quisque* // cum ras. R. 29 *verti* R *vere* V *vertere* ed. 31 *signato — dicendo* om. ed. 32 *quod — enim* om. ed. | *nulla* VR corr. ed. | *reparanda*

ipso verbo usa est et in primo libro (237) dicens „quae te genitor sententia vertit?“ quod enim habet aliquid et vertitur, totum perdit et nullae in eo reliquiae remanent. *quid repetam exustas Erycino in litore classis?* per omissionem enumerat quicquid Troianis inflictum est, in 5 hoc autem et locum commemoravit et factum. *quid tempestatum regem ventosque furentis Aeolia excitos?* naufragium tangit quod descriptum est in primo libro. *aut actam nubibus Irim?* quae ad exurendas navis matres Troianas accendit. *nunc etiam manis (haec intemptata* 10
40 *manebat sors rerum) movet:* nunc, hoc est recenti tempore, commovit manis; id enim ei remanserat solum quod nondum in Troianorum excierat necem. huius partis genere isto exaggerat factum: commovit, inquit, caelum, maris fluctus et ventos miserandis inmisit, postremo, quod tertiae 15 sortis intemptatum remanserat, inferos quoque cum ista luce commiscuit. *et superis inmissa repente Allecto medias Italum bacchata per urbis:* viderunt superi quod videri non licuit, Allecto Furiam ipsis quoque inferis invisam per medias urbis Italiae atque in luce inpune bacchantem. *nil* 20 *super imperio moveor, speravimus ista, dum fortuna fuit; vincant quos vincere mavis:* nec arbitreris me verbis praesentibus imperium quaerere. cur enim de imperii possessione contendam cui non sinitur vivere? potuerunt haec sperari, cum possent. vincant, non qui vincendi 25 habent iustissimas causas, sed quibus iniquitas favet, vincant quibus victoriam cedere voluisti, illorum tibi pars praeponenda visa est, sint superiores non merito suo, sed

---

erei V (sub *erei* lineola ducta manu II ut v. 17). 1 *ipso vero* R *ipsi vero* V *ipso verbo* nos cf. 5, 464 *quo verbo vero* ed. *q. v. vere* ed. post. | *et* om. ed. 3 *remanent* VR *manent* ed. 4 *repentam* VR. | *in* om. ed. 5 *quisquis* pro *quicquid* R. 9 *coctam* R *motam* V pro *actam.* 10 *accedit* VR. 13 *genere isto* VR *graviter* ed. 14 *exagerat* VR. 15 *ventus* V. 19 *inferis* om. ed. 20 *italia* V *Italas* ed. | *bacchantem* om. R signo ' superposito. 21 *superi* VR. 22 *ume* R *me* V ed. fortasse *tu me*? 24 *possessionem* VR. | *contendam* VR ed. *contendat*? 25 *haec* om. ed. 26 *iustissima* R corr. r.

arbitrio tuo. *si nulla est regio Teucris quam det tua coniunx dura:* dum inpersonaliter loquitur et oblique 45 malorum ipsorum pulsat auctorem, tandem nimia doloris necessitate conpulsa est ut ad eius specialem designationem 5 descenderet, usa tantis subtilitatibus consilii, ut ipsum Iovem nonnullo pudore confunderet. non enim dixit Iuno haec aut soror tua, sed uxor tua commisit, ut esset criminis mulieri fas esse contra mariti venire sententiam. si tantum, inquit, dura est uxor tua, ut omnis terras 10 deneget Teucris, *per eversae, genitor, fumantia Troiae excidia obtestor:* unum saltem liceat desiderare, quod sit miseris in tanta calamitate solacio, ut sit fas remeare Troianis eamque iterum petere patriam per cuius excidium iuro. aequius est his videre cottidie quam plangant quam 15 perire illic ubi sub falsa promissione versantur. *liceat dimittere ab armis incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem:* plurimum, inquit, arbitrabor me meruisse de patre, si supersit innocens nepos, si ei Rutulorum arma contingat evadere. *Aeneas sane ignotis iactetur in undis* 20 *et quamcumque viam dederit fortuna sequatur:* de Aeneae partibus taceo, ferat ille fortunam suam, iactetur etiam nunc per ignota pelagi et, quia iniquitas aequitati successit, incerta pro certis expectet. *hunc tegere et dirae valeam* 50 *subducere pugnae:* faciam, inquit, sine crimine pro filio 25 meo quod possum eumque subtraham bellis. ecce indicat consilium suum: *est Amathus, est celsa mihi Paphus atque Cythera Idaliaeque domus:* si usquam ei morari non sinitur, deget in meo et materno iure sine cuiusquam molestia perfruetur, habebit remota nemorum

---

1 *ulla* VR. 3 *tandem* om. ed. 5 *tanti subtilitatis* VR *-is -ibus* nos *-a -te* ed. 6 *nonnullo pudor* VR *n. pudore* r. *nonnullus pudor* ed. 7 *aut* om. ed. 8 *criminis* VR *-en* ed. | *mulieri fas* VR *mulieris cui nefas* ed. | *esset* VR ed. *esse* nos. 11 *iaceat* VR *liceat* ed. 12 *et sit* VR ed. *ut s.* nos. 13 *petere* VR *videre* ed. 14 *cottidie* VR *quotidie* ed. 17 *me* om. R. 20 *vitam* R. 23 *expectet* VR *expressit* ed. | *egere* R corr. r. 25 *bellis* VR *a bello* ed. 26 *Paphos* ed. 27 *commorari* ed. 28 *sine* om. ed. 29 *perfruitur* VR *-etur* nos *non afficietur* ed.

abditaque silvarum. *positis inglorius armis exiget hic aevum:* et quia invidetur virtuti eius et gloriae, erit illic procul a bello discretus, illic omne aevum sine dimicatione consumet et, si minus accidet ex causa virtutis triumphorum, erit tamen in otio solacium dolis et aemulationibus caruisse. 5 *magna dicione iubeto Carthago premat Ausoniam, nil urbi-* 55 *bus inde obstabit Tyriis:* ostendere voluit per Aenean posse perimi Carthaginem, si obtineret Italiam, sine ipso vero non posse. si hoc vis, inquit, atque hoc tuis sensibus placuit, iam iube ut Carthago praeferatur Italiae, non 10 obsistet urbibus Tyriis filius meus, si semel arma posuerit. Carthaginis nomen abiecte pronuntiandum pro persona et adfectu loquentis, Italiae vero cum laude; alteram enim depressit, quam indignam iudicaverat regno, alteram extulit, cui perpetuum deberi imperium ipso Iove referente 15 didicerat. hinc ostendit quia omnis causa odiorum Iunonis propter statum Carthaginis fuerat suscepta, non propter Troianorum aut ipsius Aeneae aliquam culpam, sed ne nasceretur ex Troianis qui fatorum suffragio ipsam Carthaginem perderet. *quid pestem evadere belli iuvit et Argo-* 20 *licos medium fugisse per ignis totque maris vastaeque exhausta pericula terrae, dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?* quid profuit evasisse bellum, quod florem Troianae iuventutis extinxit? quid medium transisse per flammas? honestius dictum est quam si pone- 25 retur per medias flammas. medium transisse per flammas hanc habet proprietatem, quia vallatus incendiis, cum ardere posset, evasit. addidit tertium maris ac terrarum vastarum hoc est desertarum discrimina, quae inferiora

---

1 *abdita et* ed. 2 *invident* ed. 4 *accedit* VR *accidit* ed. *-det* nos. 5 *dolis et* VR *doloris tanta* ed. | *aemulationis* VR *-nibus* nos cf. 44 *-ne* ed. 6 *praemat* VR. 7 *posse perimi* R *p. primi* V *premi posse* ed. 9 *atque* VR *aut* ed. 11 *obsiste turribus* VR corr. ed. 13 *effectu* R. 14 *indignum* V. 19 *fatur* VR *fatorum* ed. 20 *arcolicos* VR. 21 *ignem* ed. | *vasteque* VR. 22 *terre* V. 23 *querunt* V. 24 *extingit* R. 27 *cum ardere possit* VR *c. a. posset* nos *cum difficultate* ed. 29 *vestarum* R.

non essent incendio et bello. horum vis accepta quantitate augmentum parit, cum dicit tot. leve enim videretur, si non frequenter, sed semel esset effectum. et omnia ista perpessos adseruit, cum quaererent Latium, quo ire 5 iubebantur et Pergama reparare. *non satius cineres patriae insedisse supremos atque solum quo Troia fuit?* non melius 60 fuisset remansisse in cineribus patriae et in solo genitali resedisse quam labores tot et pericula sine commoditate suscepisse? *Xanthum et Simoenta redde, oro, miseris:* 10 necessarium posuit redde; ipsius enim iussu fines regionum suarum Troiani dimiserant, ipse reddere debuit quod iubendo sustulerat aut id quod pollicitus fuerat dare. magnum, inquit, meis praestabis beneficium, si negata reddideris; sed hoc non vere, sed propter invidiam dicit, 15 ideo sequitur *iterumque revolvere casus da, pater, Iliacos Teucris:* et, si hoc putatur iustum, iterum in labores redeant et periculis rursum studio deteriore subdantur: ut ostenderet iniquum esse negari praesentia, iniquissimum fatis ad ea quae per tot annorum seriem vix evaserant 20 revocari.

Tum regia Iuno acta furore gravi: furorem dicendo ostendit iniuste commotam atque excitatam vehementer: ubi enim furor intervenit, verum animi iudicium cessat. furorem igitur Iuno collegerat primum ex ea causa, quod 25 in conventu deorum omnium dolebat se esse confusam. quod mira arte egerat Venus, ut, cum esset contra Troianos omnium deorum in favorem Iunonis studium susceptum, Iunonem peteret solam, quo ceterorum adsensum suis partibus quaereret: quod provenire non posset, nisi 30 dissimulatio fuisset adiecta. accusare autem aut omnis aut pluris quid prodesset, cum auctore deiecta nihil esset

---

2 *si* om. ed. 3 *esse* ed. 4 *adsuruit* R. | *quererent* V. 6 *supraemos* VR. 8 *labor est* VR corr. ed. 13 *negata* VR temere mut. ed. 14 *hoc* om. ed. 16 *labore* VR corr. ed. 18 *inicum* VR. | *iniquissimum* R *-mis* V ed. 19 *fatis* VR *f. et* ed. *satis*? cf. 369. 24 *collegerant* R *collegit* ed. 29 *praevenire* ed. 31 *deiecta* VR *deiecto* ed., sed cf. 11, 74.

studii veteris in ceterorum sensibus remansurum? hinc igitur Iunonis mentem furor invaserat, quia solam Veneris tangebat invidia, accedente eo quoque, quod iri obviam coeptis suis, quae inique susceperat, considerabat, ipsum etiam Iovem aequitate victum pro Troianorum partibus 5 facere. cur non fureret quae ausus suos non sinebatur inplere? cur non fureret quae libera Veneris voce gemebat se esse contemptam? quid tamen dicat considerandum est; in ipsius enim responsione obiectorum purgatio erit et in Veneris et in Troianorum personam omne crimi- 10 nationis revocabitur pondus. ecce quantum profuit Veneri non pauca dixisse, quia multa paucis dici non poterant; occasione quippe arrepta concilii angorum veterum collecta congeries semel debuerat effundi, quae penitus aemulam mitteret in furorem. *quid me alta silentia cogis rumpere* 15 *et obductum verbis vulgare dolorem?* duxit principium persona sua, quam sciebat gravi invidia laborare, adserens quam non habuit verecundiam et gravare ex eo cupiens Venerem, quae se dicebat provocari in conloquium publicum et causam dicere quaeque monstrare se cupiebat 20 modestam et personam Veneris provocantis inpudentem. quid, inquit, me provocas loqui? quid urges in publicum proferre quod verecundo silentio diutissime pressi? quae profecto adhuc sensibus retinerem, nisi esset crimen inpudenter obiecta non refutasse responso. quod ait me, hoc 25 videtur tetigisse: me verecundam, me iniurias dissimulantem, me inimicam nulli. rumpere quoque non inaniter positum est; hinc enim monstrat velut conpulsam se loqui et coactam respondere; rumpitur quippe quicquid magnam

---

3 *tangebat* VR *timebat* ed. | *invidiam accedentem* ed. | *quod* om. ed. magis corrupit ed. post. 4 *coeptis suos* VR. 6 *fureret quae* VR *faceret cui* ed. | *ausos* V. | *sinebatur* VR *permittebatur* ed. 7 *faceret* ed. | *libera* R *liberis* VH *liberius* OU ed. 9 *in* om. ed. 13 *consilii* VR ed. | *angorum* VR *argumentorum* ed. | *collectae* VR corr. ed. 14 *deberet* VR ed. 16 *dixit* ed. 17 *persona* VR (cf. 5, 634 et 650) *ex persona* ed. 26 *me verecundam* R *me verecundiam* V *me* om. ed. 28 *enim* om. ed.

violentiam senserit et non emergit ex alto pectoris nisi quod vi cogentis excluditur. obductus vero dolor est quem tegit patientia dissimulantis. commendata in principiis persona sua et diversae partis nonnullis calumniis 5 aspersa omisit narrationem, quia hanc ipsam scientibus ingerere fuerat vitiosum et ad ipsas quaestiones magis fuerat properandum. in his quippe et purgari se posse arbitrabatur Iuno et Troianos sibi potius, non aliquem aliquando nocuisse poterat demonstrare. *Aenean hominum* 65 10 *quisquam divumque subegit bella sequi aut hostem regi se inferre Latino?* nititur colorare causam malam: Aeneas enim non movit bellum, sed existentibus inimicis adfuit sibi nec Latino se hostem professus, sed his qui instinctu ipsius Iunonis primi sumpserunt arma. *Italiam petiit fatis* 15 *auctoribus, esto, Cassandrae inpulsus furiis:* et hic subauditur esto. et quia hoc negare non potuit quod verum esse constabat, non ausa est inprobare, quin potius consensit et hoc nititur alio genere praegravare. *num,* inquit, *linquere castra hortati sumus aut vitam committere* 20 *ventis?* ad utrumque pertinet, id est ad castra et ad navigationem. ecce argumentum Iunonis contra Veneris inventum: Veneris enim consilium fuit non accusare plurimos, haec nititur miscere sibi alios omnisque conectere, ut unam omnium faciat causam, ne sola esset in obiectorum 25 invidia. numquidnam nos, inquit, eum sumus hortati castrorum tuta dimittere et committere animam ventis? est revera maximum signum temeritatis et reprehensione dignum quod primo loco credidit obiciendum, sed id retorquendum in eam quae hominem quietum in extremam 30 necessitatem conpulit bello commoto, ut satius esset petere incerta propter expeditionem necessariam quam cum ipsa castrorum defensione consumi. *num puero summam belli,* 70

6 *ad* VR *ob* ed. 7 *proponendum* ed. 11 *colorare* VR *tolerare* ed F. 12 *enim* VR *quippe* ed. | *monuit* VR *movit* ed. 13 *Latini* ed. 14 *petit* VR *petiit* r. 20 *ad castra* R *ad* om. V ed. | *ad navig.* VR *ad* om. ed. 27 *et* VR ed. *est* nos. 30 *bello commoto* om. ed. 31 *expetitionem* VR corr. ed. 32 *pueros* VR.

num credere muros Tyrrhenamve fidem aut gentis agitare quietas? et his omnibus aptandum est hortati sumus. recte posset videri hoc quoque obiectum esse, si Aeneas revera summam belli aut tuitionem murorum commisisset illi aetati quae nec sibi providere consilio posset nec 5 periculum virtute propellere, sed hoc Aeneas non fecerat. dispositio enim afuturi talis extitit qualis in nono libro (40) descripta est ipso Vergilio inter Aeneae laudes hoc quoque enumerante hoc modo: „namque ita discedens praeceperat optimus armis Aeneas: si qua interea fortuna 10 fuisset, neu struere auderent aciem neu credere campo, castra modo et tutos servarent aggere muros"; et alio loco (9, 171) „instat Mnestheus acerque Serestus, quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent, rectores iuveni et rerum dedit esse magistros". ecce nihil credidit puero, 15 sed ipsum magis cum omnibus faciendi non faciendive consiliis idoneis et robusta exercitatione florentibus viris perpensa provisione commisit. Tyrrhenos vero non excivit quietos in bellum, sed iusta ex causa commotos ac iam navigaturos invenit iisdemque se tumidis iunxit, quos ipse 20 Turnus suscipiendo Mezentium fecerat suis partibus inimicos, nec bellum geri cum hostibus iussit, sed venientibus obiectu aggeris et defensione turris obsisti. obicit Iuno velut male gesta Aeneae, tacet facti causas quas ipsa conflaverat, quae conpulerant Aenean haec facere. *quis deus* 25 *in fraudem, quae dura potentia nostra egit? ubi hic Iuno demissave nubibus Iris?* numquidnam, inquit, haec Iuno fecit aut Iris? et constabat haec Iunonem fecisse per Furiam et per Irim excitasse Turnum, cum otiosus patrio sederet in luco. *indignum est Italos Troiam circumdare* 30

---

4 *tutionem* VR *defensionem* ed. 8 *ipso* VR *ab i.* ed. 9 *praeciperat* VR. 16 *faciendis* ed. | *non faciendive* om. ed. 18 *tyrrhenus* VR. 19 *commotus ac iam navigaturus* VR item, sed *eos* pro *ac iam* ed. 20 *isdem quae se tumidis iunxit* VR (cf. 8, 497) *hisdemque se tum adiunxit* ed. 21 *suscipiendum ezentium* VR *s. erentium* HOU *suscipiendo bellum* ed. 24 *quas* VR *quod* ed. 25 *quae—facere* R (*fecerat* V) om. ed.

flammis nascentem et patria Turnum consistere terra, cui 75
Pilumnus avus, cui diva Venilia mater: quid face Troianos atra vim inferre Latinis, arva aliena iugo premere atque avertere praedas? quid soceros legere et gremiis
5 *abducere pactas, pacem orare manu, praefigere puppibus* 80
arma? per conparationem nititur levare partis suas et gravare partem diversam. conparat enim personam suam et Veneris, Aeneae et Turni, factum suum et factum Veneris, gesta Aeneae et gesta Turni. ait ergo indignum
10 esse arbitraris Italos adsistere commodis suis et nascentem Troiam flammis circumdare? numquid indignum etiam illud est, ut Turnus terras sibi patrias vindicet, originalis civis, regibus maioribus natus ac divina matre progenitus? hoc verum adserebat Iuno, sed tacuit de Aeneae genere,
15 quoniam Pilumno Iuppiter non fuerat conferendus nec Venus Veniliae. obiecit incendium Italis parasse Troianos, sed hoc false conposuit. et arva aliena iugo premere non fuit verum; nam hoc voluisse Troianos probari non poterat. atque avertere praedas: quomodo haec audere potuerant
20 qui rogantes venerant ad Latinum? eligere autem soceros aut gremiis pactas abducere quando Aeneas probabatur voluisse? cum nec petisse doceretur nec uxorem duxisse, sed Latini habuisse promissum et ultro oblata adfinitatis iura. quando autem post acceptam pacem Troianos poterat
25 monstrari arma sponte sumpsisse, quos constaret provocatos ad bellum? post haec, quae falsis conseruerat, dicit vera, ut ex his daret omnibus fidem. *tu potes Aenean manibus subducere Graium proque viro nebulam et ventos obtendere inanis et potes in totidem classem con-*
30 *vertere nymphas: nos aliquid contra Rutulos iuvisse ne-*

---

2 *venelia* VR. 3 *inferre* VR *ferre* ed. et plerique Verg. libri. | *fremere atque advertere* VR. 5 *adducere* VR. 7 *adversam* ed. 12 *originalis civis* VR *originalibus avis* ed. 16 *venus venilia* VR *Veneri Venilia* ed. | *obiecit* VR *sed o.* ed. 17 *falso* ed. 21 *probatur* ed. 22 *ne petiisse diceretur* ed. 24 *potebat* VR corr. r. 25 *monstrare* VR ed. | *quod constaret provocatus* VR *quod esset pr.* ed. 26 *conseruerat* VR *construxerat* ed. 28 *gratum* pro *Graium* VR. | *utro* pro *viro* VR. 30 *nos — est* om. edF.

fandum est? tibi vis, inquit, licuisse ut Aenean manibus eriperes hostium: artificiose posuit; nam si diceret tibi licuit liberare filium, recte utique fecerat mater. quod vero de conversis in nymphas navibus obiectandum credidit, non Venus, sed deum curaverat genetrix. nos aliquid 5 contra Rutulos iuvisse nefandum est? scelus, ait, putas admissum, quod ex aliqua parte adiuvimus Rutulos. bene extenuavit quod ipsa praestitit dicendo in invidia sumus, quia aliquid pro Rutulis fecimus, ut intellegatur ex eo tu plurima et magna contulisti. sed non fuerunt personae 10 consimiles nec pares substantiae causarum: Venus pro filio, pro voluntate fatorum, secundum deorum responsa, quae superi et manes ediderant, in causa iusta adfuit non tam aliis, sed sibi, Iuno vero pro alieno, in causa iniusti odii, contra fata, contra omnia quae supra dicta sunt 15 85 Rutulos fovebat et Turnum. *Aeneas ignarus abest, ignarus et absit:* obicis, inquit, mihi Aeneae peregrinantis absentiam et quod nihil horum sciat: atque utinam semper in erroribus degat nihilque gestum factumque cognoscat. *est Paphus Idaliumque tibi, sunt alta Cythera: quid gravi-* 20 *dam bellis urbem et corda aspera temptas?* habes loca voluptaria, amoena, deliciosa, convenientia filio tuo: quid quaeris temptare quod provocatum ferre non possis? adhuc perseverat, quasi Troiani moverint bellum. gravidam bellis urbem et corda aspera temptas? quid quaeris 25 temptare ubi bella congesta sunt et movere eos qui sunt naturaliter feri, qui non facile sedari possunt cum fuerint moti? *nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo cona-*

---

2 *ibi* pro *tibi* VR. 3 *ubique* VR ed. *utique* nos. 7 *amissum* VR corr. r. ed. 8 *dicendi* V. 11 *nec pars* VR corr. ed. 13 *magnes* VR *manes* r. ed. | *addiderant* VR ed. 14 *tam* VR *tantum* ed. | *pro alieno* VR. corrupit edF. | *iniusti* R *iusti* V ed. *non iusto* ed. post. 15 *odio* ed. post. 18 *et quod* VR *ut quidem* ed. 20 *Paphos* ed. | *idalium quae* VR. | *alia cithara* VR *a. cithera* r. 21 *temptas* R *tempestas* V. 22 *voluptuaria* ed. | *filio meo* R. 24 *moveri in* VR *moverint* ed. 26 *moveri eos* VR ed. | *sint* R. 27 *natura* ed. | *non* VR *qui non* edF. nos. | *possent* V. 28 *reges* pro *res* V.

mur? nos, an miseros qui Troas Achivis obiecit? quae fortia fuerunt servavit ad finem et in quibus Venus ipsa potuit specialiter deformari. quereris, ait, et Troianorum mala graviter ingemiscis atque in me congerendum existimas
5 quod tuorum est criminum. egone perdidi imperium Troiae? ego, an ille qui Graecis miseros Troianos obiecit? quasi dolens miseros vocat quibus atrox fuerat inimica, ut personam Veneris gravissimo invidiae pondere praegravaret. Troiani, inquit, non perdidissent imperium
10 Phrygiae, si luxuriosi non essent, si non te duce in alienum matrimonium invasissent, si non ad illorum dissolutos mores tui sceleris iunxisses augmentum. *quae causa* 90 *fuit consurgere in arma Europamque Asiamque et foedera solvere furto? me duce Dardanius Spartam expugnavit*
15 *adulter? aut ego tela dedi? fovive Cupidine bella?* denique, ait, discutiamus causam tunc belli commoti et tu invenieris in crimine. tu enim viam et fomitem adulterio conficiendo praebuisti; nam quae fuit causa alia ex qua ad expugnationem tot urbium veniretur? tu virorum
20 manus armasti, quo in facto Cupido tuus non amores solitos, sed bellorum faces accendit. causam mali aurei et iniuriam Paridis in sensibus gerit et huius commemorationem subtiliter facit, ut ostendat excidium Troiae nullo deo e diverso veniente, sed solo facto Veneris ex-
25 titisse. foedera solvere furto est matrimonii iura, honestos nexus et vincula turpi conventione dissolvere. *tunc decuit*

---

1 *qui Troas* om. VR. | *aehivis* V *ae* cum spatio vacuo R. 3 *quaereris* VR ed. corr. ed. post. 4 *congerendum* R *coger-* V *agger-* ed. | *existimans* V. 5 *perdedi* VR. 6 *ego an illi qui* VR *egone illa quae* ed. 9 *perdedissent* V. 10 *luxuriose* R. | *essent* VR *fuissent* ed. | *in* om. ed. 11 *ad* om. VR. | *dissolutis moribus* ed. 12 *tuis caeleris* VR corr. ed. 13 *eo ropamque* V. 14 *partam* R *partem* V pro *Spartam*. 16 *commoti et tu* VR *moti tu* edF. 17 *fomitem* VR *fontem* ed. 18 *nam quae* R *namque* V. | *ex quo* ed. 19 *veneretur* V. 21 *solitus* V. | *ascendit* R. 23 *subpliciter* V *suppl-* R ed. *simpl-* ed. post. *subtiliter* nos. 24 *et diverso* V. 25 *est furto* VR ed. corr. ed. post. | *honestus* VR.

95 *metuisse tuis. nunc sera querellis haut iustis adsurgis et inrita iurgia iactas:* praepostero, inquit, tempore tuorum te sollicitudo commovit, tunc fieri decuit pro Troianis aliquid cum illorum durabat integritas. iam serum est quod agis, quo mala quae per te illis inflicta sunt emen- 5 dare contendis, quasi tibi clamores aut iurgia, quae frustra iactitas, prodesse possint, ut perdita referas aut amissa recuperes?

Talibus orabat Iuno: talia Iuno fundebat ex ore. *cunctique fremebant caelicolae adsensu vario:* hoc citius 10 provenit in conventu multorum, ut alii aliam favoris ducantur in partem, quod fiebat illo tempore: denique alii favebant Iunoni, alii Veneri. *ceu flamina prima cum deprensa fremunt silvis et caeca volutant murmura venturos nautis prodentia ventos:* conparationem murmuris 15 fecit quod inter deos videbatur exortum; nam fuit tale quale est initium venti quo in silvis fremit futura nautis nuntians augmenta flatuum; quippe propter praesentiam regis verecundius levi strepitu significabant quid pro sua 100 quique parte sentirent. *tum pater omnipotens, rerum cui* 20 *prima potestas, infit,* hoc est fari incipit: studio partium ducebantur dii, sed ille qui primam consulendi habuit potestatem non tacito ut alii murmure, sed auctoritate plena, totius iustitiae ac veritatis adsertor, coeperat loqui. *eo dicente deum domus alta silescit et tremefacta solo tellus,* 25 *silet arduus aether, tum zephyri posuere, premit placida aequora pontus:* locuturo Iove silentium praebuerant omnes dii praesentes, caelum, terra, mare ac venti. *accipite* 105 *ergo animis atque haec mea figite dicta: quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris haut licitum nec vestra* 30

---

1 *quaerellis* VR. 2 *turgia* VR. 5 *quo mala* om. ed. 6 *quasi* VR *quid* ed. 7 *referes* VR corr. ed. 8 *recuperes,* sed *s* expuncta V *recupere* R. 9 *hore* V. 10 *caeliculae* VR. 11 *favoris* R *fanoris* V *facinoris* HOU ed. 13 *flammina* V. 14 *deprehensa* VR. | *premunt* V. 16 *exhortum* V. 17 *quo* VR *qui* ed. | *futurum* ed F. 18 *augmenta* VR, sed V ex *-um* corr. I manu *augmentum* HOU ed. 19 *verecundiam* ed.

capit discordia finem, quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem, Tros Rutulusne fuat nullo discrimine habebo, seu fatis Italum castra obsidione tenentur sive 110 *errore malo Troiae monitisque sinistris, nec Rutulos solvo,*
5 *sua cuique exorsa laborem fortunamque ferent, rex Iuppiter omnibus idem, fata viam invenient:* Iuppiter cum studia partium plena constantia sedare non posset, sententiam pro altera noluit ferre, sed utrasque sic dimisit, ut nulla superior abscederet, ea videlicet causa, ut nec filiam
10 laederet nec uxorem. quando, inquit, vestra discordia nullis concludi terminis potest, dimitto fatis et Troianos et Rutulos: dabunt illa cui voluerint et quam decreverint viam. tunc probabitur quis fiducia meliore contendat, erunt apud me omnes aequales, docebit exitus rerum quis
15 fatorum voluntate, quis audaciae temeritate nitatur: rex Iuppiter omnibus idem. *Stygii per flumina fratris, per pice torrentis atraque voragine ripas adnuit et totum nutu* 115 *tremefecit Olympum.* hoc se servaturum iuravit Iuppiter per Stygem, cuius alio loco (6, 324) poeta commemora-
20 tionem fecit dicens „dii cuius iurare timent et fallere numen". *hic finis fandi:* finem verbis inpositum ad omnium personam pertinere intellegendum est; nam nullus dehinc aliquid dixit. *solio tum Iuppiter aureo surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt:* et solio solum
25 sedisse monstravit et solum surrexisse soluto consilio. quem medium omnes dii deduxerunt ad sedem suam hoc est ad eam caeli partem in qua commorari et adsiduus esse consueverat. quod dixit medium, possumus intellegere utpote potiorem, an medium, quia utrique parti fuit in
30 iudicando communis?

Interea Rutuli portis circum omnibus instant sternere caede viros et moenia cingere flammis: reditus est iste

---

2 *rutulos* V. | *nefiat* VR. 4 *monitis quae* V. | *sinixtris* VR. 7 *plana* V. | *sententia* VR. 12 *illa* R *illi* V om. ed. 18 *olymphum* VR. 19 *stygam* VR. 21 *nomen* (in VI *numen*) V. 23 *areo* pro *aureo* VR. 24 *caeliculae* VR. 29 *an* VR *aut* ed. | *parte* VR corr. ed.

narrationis quam post finem noni libri concilii describendi causa dimiserat. denique, si haec subtrahantur quae Venus, Iuno ac Iuppiter elocuti sunt, continuabuntur omnia quae de castrorum expugnatione dicebantur. dixit igitur quae Rutuli molirentur, laborantes scilicet propter 5 inferendum castris per flammas excidium et procurandam hominum necem. cum enim inter deos praedicta gererentur, bellantium studia non quieverant, eo acrius ex Rutulorum parte, quod illorum fortuna promptior apparebat. dicit iam quid contra in Troianorum parte sperasse vide- 10 120 rentur: *at legio Aeneadum vallis obsessa tenetur nec spes ulla fugae.* quantum valet fossa, ut interiores muniat, tantum, si capiatur obsidio, invenietur esse contraria; ut enim in interiora neminem sinit, ita occupata armis hostilibus quemquam exire non patitur: quod igitur Troianis 15 profuit ad defensionem hoc obesse coeperat volentibus evadere. *miseri stant turribus altis nequicquam et rara muros cinxere corona:* stabant, inquit, in altis turribus: defendebantur earum altitudine, sed frustra; stabant enim, utpote qui essent pauci et qui adversus plurimos ultra 20 aliquid andere non possent. ecce inevitabilia duo: nec consisti enim sine pernicie potuit inminentibus ex omni parte inmoderatis incendiis et adempta spes fugae, quae periclitantibus solet esse praesidio, quoniam tenebantur obsessi: proinde sola illis desperatio reliqua fuit. et rara 25 muros cinxere corona: tantum illos diversi casus absumpserant, ut rari viderentur in muris. ecce exprimit quid sit rari: dicendo enim singulos et nomina specialiter enumerando raritatem ipsam evidenter expressit. *Iasius*

1 *non libri* V. | *concilii* R *concilio* V *consilii* ed. 4 *dicibantur* VR. 8 *eo* VR *sed erat* ed. 9 *illorum* VR *iis* ed. 10 *quid* VR *quod* ed. *quot* ed. post. | *partes perisse* VR *parte sperasse* nos *pestes perisse* ed. *castris p.* ed. post. 12 *fuge* VR. 14 *neminit sinit* R. 15 *dicitur* VR ed. *igitur* nos cf. 12, 179. 16 *profuit* VR edI *profuisse* edF. 17 *nequisquam* R. 18 *cingere* VR. | *inquid* VR. 23 *spe* VR ed. *spes* nos. 24 *pereclitantibus* VR. | *quoniam* VR *quum* ed. 25 *disperatio* R.

Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes Assaracique duo et senior cum Castore Thybris, prima acies: qualis haec 125 acies fuit, prima in fronte constituta, quam fecerant homines quinque! *hos germani Sarpedonis ambo, et Clarus* 5 *et Thaemon Lycia comitantur ab alta:* comitabantur hos isti, sed posteriores intellegendi sunt. quanti tamen etiam isti fuerint videamus; dubium est enim utrum separatim sine nominibus positi videantur germani Sarpedonis et extra fuerint Clarus et Thaemon an ipsi sint Sarpedonis 10 fratres: aut enim quattuor fuerunt aut duo, ut omnes septem fuerint aut novem. rursum incertum est utrum omnes in prima fronte fuerint an quinque soli et alii in secunda. *fert ingens toto conixus corpore saxum, haut partem exiguam montis, Lyrnesius Agmon, nec Clytio* 15 *genitore minor nec fratre Menestheo:* quam cito dixit cuius esset filius et cuius frater! ferebat, inquit, totis viribus non iam saxum, sed partem non exiguam montis, habens originalem virtutis substantiam nec patre inferior aut fratre. *hi iaculis, illi certant defendere saxis:* non evidenter dixit 130 20 qui sint hi, qui sint illi, sed ex genere telorum intellegi possunt. illi enim pugnabant saxis qui fuerunt in edito, illi vero iaculis qui constituti videbantur in plano. *molirique ignem nervoque aptare sagittas:* Troiani uno telorum genere nitebantur, Rutuli vero plurimis; habuerunt quippe 25 substantiam iaculorum, ignis et sagittarum et fuit multitudo quae officia diversa conpleret. *ipse inter medios, Veneris iustissima cura, Dardanius caput ecce puer detectus honestum:* in illa necessitate rerum Ascanius quo-

---

1 *inbrasides* VR. | *hicetaonius quae* VR. 2 *thybris* VR *Tymbris* ed. 3 *ficerant* VR. 4 *quinque* VR ed. idque sequentia firmant, quamquam revera sex sunt. | *hos ergo manis arpedonis* V. 5 *themon* R *temhon* V *Haemon* ed. | *committabantur* R *commutabantur* V. 9 *themon* VR. 10 *ut* — 11 *fuerint* VR *aut* — *fuerunt* ed. 11 *aut novem* V *auinonem* R (cf. p. 291 n. 25). | *aut* — 12 *fuerint* om. ed. 12 *an* VR *aut* ed. | *solii* VR. | *alii* VR *hi duo* ed. 13 *pertingens* pro *fert ingens* VR. | *conexus* VR. 14 *clitio* VR. 15 *fratrem nestheo* VR. 16 *cuius* om. ed. 20 *sunt* utroque loco ed. | *hii* VR. 23 *aptari* VR.

que certantibus fuit admixtus, puerilis annos animi virtute praeveniens, nudum habens caput, hoc est sine galea, utpote non pugnaturus, quoniam prohibitus fuit responso quo dictum est (9, 656) „cetera parce, puer, bello“. inducitur conparatio, ut ostendatur quomodo fulgebat idem 5 Ascanius. *qualis gemma micat fulvum quae dividit aurum,* 135 *aut collo decus aut capiti; vel quale per artem inclusum buxo aut Oricia terebintho lucet ebur:* quemadmodum, inquit, medio ex auro micat gemma, qua ornatur caput aut collum, vel quemadmodum ebur lucet buxo aut terebintho 10 inclusum. in Ascani laudem tanguntur etiam illi quibus fuit admixtus; Ascanius quippe conparatur gemmae et ebori, circumstantes autem Troiani auro et buxo et terebintho. redit ad laudem Ascani: *fusos cervix cui lactea crinis accipit et molli subnectens circulus auro:* fusos habuit 15 in cervicem crinis, circulo tamen aureo tenebantur. molle aurum ad speciei facturam rettulit, non ad ipsam materiam, ut productum magis quam solidum fuisse videatur, ne oneri magis esset puero quam decori. *te quoque magna-* 140 *nimae viderunt, Ismare, gentes vulnera dirigere et calamos* 20 *armare veneno, Maeonia generose domo, ubi pinguia culta exercentque viri Pactolusque inrigat auro:* hoc est armare veneno, ut duobus casibus intereant mortem ferro, quod penetret hominis corpus et, si letalem plagam inferre nequiverit, vitam percussi veneno consumat. laudavit et 25 regionem unde esset exortus, ut in eius laudem etiam originalis terrae praedicatio conveniret. *adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni aggere murorum sublimem gloria* 145 *tollit, et Capys, hinc nomen Campanae ducitur urbi:*

---

3 *fuit* V ed. *fuerit* R. 4 *quod* VR *quo* ed. 6 *migat* VR corr. r. | *fulvumque* VR. 8 *orichia* VR. 9 *gemma* VR *g. aut* ed. *g. qua* nos. 15 *circulos* VR. | *fuso* VR corr. ed. 16 *tenebatur* VR corr. ed. 17 *speciei facturam* R (cf. 5, 262) *sp. futuram* V *speciem futuram* ed. 19 *magnanime* VR. 21 *meonia* R *moenia* V. 23 *intereant mortem* VR *inferat m.* ed. *intereant morte* scriberem, nisi *ferro* obstaret. 26 *exhortus* R *hortus* V *ortus* ed. 27 *et* om. VR. 29 *capis* VR. | *campane* VR.

Mnestheum laudavit ex facto virtutis: Capyn vero a merito civitatis.

Illi inter sese duri certamina belli contulerant, media Aeneas freta nocte secabat: illis inter se certantibus Aeneas
5 in otio non fuit; agebat quippe navigationem huic etiam tempore noctis intentus. hunc locum cum pronuntiamus, sic debemus distinguere, ut aequora adsignemus media, non noctem, hoc modo: media Aeneas freta et faciamus moram et sic dicamus nocte secabat, ut ostendatur regis pro-
10 perantis instantia et labor, qui nec noctem metuebat nec medium maris. *namque ut ab Euandro castris ingressus Etruscis regem adit et regi memorat nomenque genusque quidve petat quidve ipse ferat, Mezentius arma quae sibi* 150 *conciliet violentaque pectora Turni edocet, humanis quae sit*
15 *fiducia rebus admonet inmiscetque preces: haut fit mora, Tarchon iungit opes foedusque ferit:* longus textus est eorum quae Aeneas cum Tarchone dicebatur egisse, sed idem si per partis exponatur, poterit facilius adverti. tria enim dixit, memorat, edocet, admonet, interea quod primo po-
20 suit, ut, usque ad finem pertinet. sed ipsa tria interim consideremus: memorat nomenque genusque, memorat quid petat, memorat quidve ipse ferat; edocet Turni violenta pectora, edocet quae sibi arma conciliet; admonet quae sit humanis rebus fiducia; miscebat et preces. diximus
25 quae singulis aptentur, quae vero ars in petitione sit observata videamus. intimavit regi primo personam suam, hoc est indicavit quis esset et quantus; oportuit enim Tarchonem nosse cum quo vel cum quali iuncturus esset amicitiam. indicavit et genus, ne ignobilem putans sper-
30 nendum potius quam suscipiendum duceret. in editione autem generis non dubitamus eum adseruisse quod Iove

---

1 *capyn* R *capin* V. 5 *hiic* V *hic* R *hoc* ed. *huic* nos. 8 *fraeta* V. 11 *ab* om. V. 12 *adite regi* R. 14 *violentiaque* VR. 16 *contextus* ed. (ut solet). 17 *cum tarchon* VR corr. ed. 18 *trea* VR corr. r. 20 *ut* om. ed. 23 *edocet quae* VR ed. *Mezentius* adpositum expectes. 25 *servata* ed. 29 *putans* R *putas* V *putans se* ed. 31 *cum* VR *eum* ed.

avo, quod esset Venere matre progenitus. dehinc subiecit quid peteret vel quid ipse ferret: facilius enim postulata inpetrat qui se ostendit oblata vicissitudine profuturum. hic intellegendum et petitum a Tarchone auxilium et invicem ab Aenea promissum; petebatur enim Tarchon, ut 5 contra Turnum et Mezentium specialis inimicos suos auxilia praerogaret, quo in facto considerare debuit sibi se potius daturum quam alteri et arripiendum esse tempus, ut Troianis laborantibus et defenderentur Tyrrheni et securi in posterum redderentur. Mezentius arma quae sibi 10 conciliet: ostendebat quantos sibi armatorum populos Mezentius iungeret, ut hoc facto adverteret etiam se posse opprimi violentia plurimorum, si Rutulis contra Troianos obtinere contingeret. violentaque pectora Turni edocet: consideraret quoque Turni personam violentam, hoc est 15 quae nihil cogitaret nihilque respiceret nisi quod esset quietis rebus et placidis inimicum: quod ipsum apertis firmare rationibus potuit. nam qui Tyrrhenorum hostem Mezentium susceperat fugientem inimicitias etiam suas fuerat ex aperto confessus. humanis quae sit fiducia rebus 20 admonet: post terrores iniectos, quibus rex non inmerito commoveri debuerat, humanas quoque necessitates non sine ratione proposuit, ne diceret Tarchon: sufficio mihi, si Mezentius vel Turnus emerserit. quae sint ipsa humana dicendum est: adiuvare laborantem ex fortiore substantia 25 atque adversa alterius et incerta relevare gloriosum esse, si potior ei manum porrigat quem necessitas premit, hac fiducia homines vivere, ut accidentia mala felicis opibus et auxiliis subleventur. inmiscetque preces: post

---

1 *quod* post *avo* om. ed. | *esset* VR *e. et* ed. | *vere* pro *Venere* V. 4 *tharcone* R *tharchone* V. 8 *arripiendum sese* VR *esse* nos om. ed. 9 *defenderent tyrrheni* VR *Tyrrhenum* ed. *defenderentur* nos. 11 *quantus* VR *populus* V *quantum—populorum* ed. 12 *et hoc facto* V. 15 *consideret* R. 17 *inplacidis* VR corr. ed. 18 *tyrthenorum hostium* V *tythenorum hostem* R. 19 *susciperat* VR. 20 *humanisque* V. 23 *nec diceret* VR. | *sufficio* VR *sufficit* ed. 24 *quae sit* R. 26 *esse* VR *est* ed. 28 *felicis* om. ed. 29 *opinibus* R.

omnem petendi artem preces quoque subnexuit, ut supplicatio mereretur quod superiora fortassis inpetrare non possent. haut fit mora, Tarchon iungit opes foedusque ferit: ecce quantum profuit necessaria nexuisse. mox factum est quod
5 tenebat desiderium: iunctae sunt opes, firmatum est foedus. iungere opes est opes opibus nectere, quoniam Tarchon et dabat auxilium et sumebat. *tum libera fati classem conscendit iussis gens Lydia divum externo commissa duci:* 155
perfecto foedere libera nexibus responsi gens Lydia classem
10 conscendit externo commissa duci per divina praecepta. in octavo libro (498) meminerat se poeta dixisse „retinet longaevus haruspex fata canens: o Maeoniae delecta iuventus, flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem fert dolor et merita accendit Mezentius ira, nulli fas Italo
15 tantam subiungere gentem, externos optate duces.“ ecce felicitas Aeneae: non suo duci, sed externo commissi sunt nec sua, sed deorum voluntate, qui tantum ex peregrinis partibus virum venturum esse praedixerant. *Aeneia puppis prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones, inminet Ida*
20 *super profugis gratissima Teucris:* primo loco, inquit, navis moverat in qua Aeneas fuit habens in rostro leones iunctos, quod erat signum tutelae matris deum. Ida quoque in superiore loco fuit expressa propter originem materiae ex qua fuerat facta et ad Troianorum solacium, ut patrium
25 montem secum habere viderentur positi in regionibus alienis. *hic magnus sedet Aeneas:* hic hoc est in nave quae Idam habuit et leones. magnum hoc loco Aenean dixit magni consilii magnarumque cogitationum. *secumque volutat eventus belli varios:* ecce dixit causam, ut 160
30 ostenderet cur dictus sit Aeneas magnus: primo quia

---

1 *omni* VR *omnem* ed. 2 *quod* VR *quae* ed. 3 *iungi* VR. 4 *profuit* R *posuit* V ed. | *nexuisse* VR *inter eos* ed. 5 *tenebat desiderium* VR *utrumque* interpos. ed. 7 *fatis* ed. 12 *omoeoniae* R *omoeniae* V. | *o Maeoniae* — 15 *duces* om. ed. substitutis verbis *et plura quae sequuntur*. 19 *frygio* R *frygia* V. | *subvecta* ed. 20 *profuges* VR. 21 *moverat* VR *movebatur* ed. | *raustro* R corr. r. 22 *tutaele* VR.

sedebat eo tempore quo securus de auxiliis esse debuit et quo omnes homines quieti fuerant. ipsum quoque dormire aut reficiendi corporis causa, pervigilem scilicet, iacere saltem, non sedere convenerat, sed volvebat ingentis pectore curas: dixit alteram tractatus partem, quod etiam 5 sumptis auxiliis bellorum cogitabat incerta. ergo quod ait magnus, ad animum eius rettulit. quem enim non curis omnibus solverent auxiliorum inpetrata subsidia? et tamen cum ipsis sine cura non fuerat prudentissime pertractans in eventu magis, non in multitudine hominum constitutam 10 esse victoriam, utpote quae penderet ex casibus, sperari debere prosperum, sperari contrarium. his cum animo iactaretur Aeneas, *Pallas sinistro adfixus lateri iam quaerit sidera, opacae noctis iter, iam quae passus terraque marique.* quam convenientia singulis dedit! Aenean quippe 15 induxit sedentem ac per hoc etiam noctis tempore negotiosum, pericula sua secum et futuri temporis incerta tractantem. Pallantem vero horum ignarum quae tacito herois tanti pectore volvebantur, quaerentem quae vacuis omni cura convenirent, ductum aetatis ratione et cupi- 20 ditate noscendi, quae sidera in quas terrarum ducerent partis (videbat enim ipsis ducibus ire navigia et in ipsis quasdam vias et itinera demonstrari), quaerentem quoque audire quasi a vacuo quae in terra, quae in fluctibus adversa pertulisset. adfixus, inquit, sinistro lateri: adfixum 25 debemus accipere aut ratione amoris aut cupiditate inquirendi atque noscendi; sinistri lateris locus idcirco positus noscitur, quia, si duo fuerunt, oportunum non fuit sedere ad dexteram potioris. si illic fuit etiam Achates, de

3 *pervigili scilicet acere saltem mons dedere convenerat* VR locum temere mut. ed. 9 *prudentissime* om. ed. | *pertractans* VR *iudicans* ed. 10 *non* VR *quam* ed. 11 *sperare debere prosperum sperari* VR temere mut. ed. 13 *pallas* VR *Pallasque* ed. | *lateri* R *alteri* V. 15 *quam* VR *quia* ed. 18 *vero* — 19 *quaerentem* partim om. partim mut. ed. 19 *volvebatur* VR. 21 *quae* om. ed. 25 *sinixtro* (et infra) VR. 28 *quasi duo fuerunt* VR *fuerint* ed.: prope ad verum accessit Hoppius p. 5 n. 14.

tribus poetam iudicare convenerat quomodo sedere debuissent: medius enim Aeneas fuerat constituendus, utpote qui esset duobus potior, secundi meriti sinistro lateri adplicandus Pallas, quoniam regis filius fuit et eius cuius
5 tantum beneficium videbatur extitisse, tertius dextero lateri deputandus, qui erat duobus inferior. quaerentem induxit Pallantem superflua, quae ipsa illo tempore ab illa persona, si maturi hominis adfuisset intentio, non debuerant quaeri. denique noluit conprehendere Aeneae responsum,
10 ut ostenderet eum magnis et necessariis cogitationibus, non puerilibus quaesitis fuisse districtum.

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete quae manus interea Tuscis comitetur ab oris Aenean armetque 165 *rates pelagoque vehatur:* invocatio ista tenet summam rerum
15 et speciem propositionis, ne aliud lector sperare deberet quam isti continent versus. dicturus est enim quae manus hoc est qui populi vel quanti cum Aenea ex Tusciae litoribus navigaverint. *Massicus aerata princeps secat aequora Tigri:* et quo nomine vocaretur dixit qui ductor
20 fuerat navis et eadem quae diceretur et qualis esset expressit. *sub quo mille manus iuvenum:* non mille manus, ut fiant quingenti homines, sed manus, hoc est multitudo, hominum mille. *qui moenia Clusi quique urbem liquere Cosas, quis tela sagittae gorytique leves umeris et letifer*
25 *arcus:* nomina civitatum posuit et genera armorum. *una* 170 *torvus Abas, huic totum insignibus armis agmen et aurato fulgebat Apolline puppis:* Abas navigabat in alia auratum habente Apollinis simulacrum. torvum accipere possumus

1 *potā iudicare* V *potes iudicare* R *potior iudicari* ed. *poetam iudicare* nos. | *redere debuissent* VR *s- -et* ed. 3 *sinixtro lateri appellandus* VR *dextro l. apponendus* ed. (ad *appell.* cf. 9, 171). 4 *cuius* om. ed. 5 *dextero* VR *sinistro* ed. 7 *illa* VR *ipsa* ed. 10 *magnis et* R *magis et* V *magis* omisso *et* ed. 11 *destrictum* VR *distr.* ed. 12 *chelicona* R *caelicona* V. | *daee* VR. 14 *veatur* VR corr. r. 15 *nec aliud* VR ed. *ne a.* nos cf. 152. 17 *aenea exiustitiae* V *aeneae iustitiae* R *Aenea ex Tusciae* ed. 18 *erata* VR. 24 *corytique* VR. | *laetifer* R. 26 *abbas* R (infra recte). 27 *pupis* VR. 28 *habentem* VR *habens* ed. | *appollonis simulachrum* V.

aut oculis distortis aut contracto vultu. *sexcentos illi dederat Populonia mater expertos belli iuvenes, ast Ilva trecentos:* conpendiose locutus est; nam omnis nongentos dixit expertos belli, hoc est qui haberent usum peritiamque certandi probatissimam, quam adsidua exercitatione cepis- 5 sent. *insula inexhaustis Chalybum generosa metallis:* propter usum armorum habuit occasionem . . . . quod ex eo 175 fuissent loco in quo metalla ferraria exercebantur. *tertius ille hominum divumque interpres Asilas, cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent et linguae volucrum et praesagi fulmi-* 10 *nis ignes:* Tuscum fuisse haruspicem dixit a quo audierant (8, 503) „externos optate duces". ecce et hic Tuscum dicit omnibus generibus instructum, ut ostendat in Tuscia haec genera hominum superesse. caeli cui sidera parent et cetera supra dicta ostendunt nihil ei fuisse occultum. *mille rapit* 15 *densos acie atque horrentibus hastis, hos parere iubent Alphia ab origine Pisae:* Pisae nomen est civitati quae et 180 ipsa auxilia dederat. *urbs Etrusca solo:* et ipsa, inquit, civitas in solo fuit Etruriae constituta. *sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens et versicoloribus armis:* versicolor 20 est quod dum vertitur mutat colorem. *tercentum adiciunt:* nondum dixit qui adiciunt. *mens omnibus una sequendi:* qui sunt isti qui adiciunt et quibus una est mens sequendi? *qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis et Pyrgi veteres intempestaeque Graviscae:* dixit locorum no- 25 mina in quibus isti commorabantur.

185 *Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello, transierim, Cinyre et paucis comitate Cupavo:* non ego te, inquit, Cinyre Cupavo, qui es Ligurum ductor et in bello for-

3 *insula* huic lemmati add. infra om. ed. | *nungentos* VR om. ed. 5 *probatissimus* VR corr. ed. 7 post *occasionem* lacunam signavi: *adserendi* vel simile aliquid desidero. 11 *aruspicem* V. 16 *parare* V. | *alphia* VR *Alpheae* ed. 17 *civitatis* ed. 20 *asturae quo* R. 21 *quae* VR ed. *quod* nos. 28 *cinere* VR *Cygne* ed. | *pacis* VR (ut v. 16). 29 *cynire* VR *Cygne* ed.: unum ergo hominem Cinyrum Cupavonem Don. accipit, quod infra quoque verbis *hunc autem — pauci* demonstratur.

tissimus, praeteream carmine meo. genus est transitus propter odiosam nominum continuationem, quae in catalogis semper est. hunc autem merito suo, non eorum quos ducebat voluit carminibus suis cum laude inserere;
5 erant enim pauci. hic igitur fortissimus fuit omnium Ligurum, quod cum dicitur, ostenduntur etiam illi fortes quibus praelatus esse videbatur. hoc in istis laudavit quod alio loco (5, 754) „exigui numero, sed bello vivida virtus“. venit iam ad ipsius ducis cultum. *cuius olorinae*
10 *surgunt de vertice pinnae:* olorinas pinnas dixit fuisse in eius galea, hoc est cycni. more suo Vergilius vult inducere fabulam Cycni, ut in catalogo septimi libri (765) de Hippolyto fecit; inter taedia quippe tot nominum quibus homines, montes, civitates, loca et flumina significantur
15 aut fontes aut cetera inmissa narratio legentem sublevare debet et erigere audientem. *crimen amor vestrum formaeque insigne paternae:* transfigurationem factam pro poena posuit, poena autem sine crimine esse non potuit. quod autem Cycnus amore praecedente factus est avis,
20 ipse amor fuit crimen. quod vero ille pinnas habuit ex cycno, hoc ipsius fuerat ornamentum et signum originis suae. *namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati, populeas inter frondes umbramque sororum dum canit et* 190 *maestum musa solatur amorem, canentem molli pluma*
25 *duxisse senectam linquentem terras et sidera voce sequentem:* fabularum veterum perindeque incertarum certum se auctorem non vult poeta constituere: ideo sic coepit, ut

---

1 *praeteribo* ed. 2 *catalongis* R. 11 *cyeni* VR. 12 *fabulam cycni* R *f. cyeni* V *f. cygneam* ed. | *cato loco* VR. 13 *effecit* VR corr. ed. 14 *homines* VR *ipsi h.* ed. | *civitates* om. ed. 15 *aut fortes* V *et f.* R *aut sortes* ed. *aut fontes* nos cf. 3, 706. 7, 645. | *aut cetera* VR ed. *et c.?* 16 *criminamur* VR. 19 *quod autem cycnus* VR *pater autem ex ferventi* ed. | *cuius facti* post *avis* interpol. ed. 20 *causa et sic amoris est* post *fuit* interpol. ed.: in his omnibus HOU cum VR consentiunt: Don. amorem non deum intellegit et *vestrum* ita accipere videtur, ut filium per insigne paternum criminis participem esse velit. | *habuerit* ed. 24 *solvatur* VR. 26 *certum* om. ed.

diceret ferunt, ut, si falsitas existat, alii potius mendaciorum rei teneantur. amici, inquit, fuerunt duo, Phaethon et Cycnus: sed cum Phaethon actus esset in mortem, dolens Cycnus casum familiaris sui, dum inter populeas frondes miserabilem deflet, sic in avem albam tamquam 5 in canentem senectam versus est et relictis terris volatu iuvante contendit ad sidera. dum vult Phaethontis et Cycni fabulam dicere, etiam sororum Phaethontis eiusdem exitum demonstravit; cum enim flerent fratrem, in arbores populeas versae sunt. bene posuit linquentem terras, 10 quasi hoc voluntate fecisset. invisas ergo terras reliquit, in quibus amicum ulterius videre non poterat, voce autem petens sidera, quasi invidiam faciens illis, quibus auctoribus ille perierat. *filius aequalis comitatus classe catervas:* filius eius, hoc est quem supra cum pinnis cycni descripsit, 15 ducebat catervas aequalis, aut aetate aequalis aut armorum 195 cultu. *ingentem remis Centaurum promovet:* navem quae Centaurus dicebatur et ingens fuerat promovebat. *ille instat aquae saxumque undis inmane minatur arduus et longa sulcat maria alta carina:* hominis describit levitatem, qui, 20 quia pondere et magnitudine sua navis tardius agebatur, putabat irascendum mari et undis ictu ingentis saxi minas esse tendendas.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris, fatidicae Mantus et Tusci filius amnis: Ocnus, inquit, filius fuit 25 Mantus et Tusci amnis; fatidicam dixit quae fata hominum 200 responsis aperiret. *qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen:* hic, inquit, et muros dedit Mantuae et de matris nomine Mantuam nominavit. *Mantua, dives avis, sed non genus omnibus unum:* invenit occasionem poeta qua 30

1 *ut si* VR *quod si* ed. | *existeret* ed. | *mendaciorum rei teneantur* VR temere mut. ed. 4 *casūs* R. | *familiari* VR. 5 *miserabile* ed. | *tamquam in* VR *in* om. ed. 10 *bene* VR *b. autem* ed. 11 *relinquit* V. 15 *eum* VR *cum* corr. ed. | *cycni* VR *cygneis* ed. 16 *amorum* V *arborum* R *armorum* ed. 18 *dicibatur* V. 20 *homines* VR. | *describsit* R. 23 *sese* VR *esse* corr. ed. | *intendendas* ed. post. 24 *ocnis* R. | *arboris* pro *ab oris* VR. 27 *antua* R corr. r.

aliquid diceret de patria sua. Mantua dives avis: hoc est generosis et praecipuis maioribus fulta. ipsis tamen avis non unum genus omnibus fuit, sed ex diversis originibus adunatum. *gens illi triplex, populi sub gente quaterni:*
5 sub tribus gentibus populi quaterni fuerant hoc est duodecim. *ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires:* ipsa civitas tamen omnibus fuerat caput. *hinc quoque,* id est Mantua atque ex eius populis, *quingentos in se Mezentius armat:* in se, adversum se armat Mezentius, pulchra lo-
10 cutio; hi enim ut adversus Mezentium armati vaderent ipse perfecerat. plurimum hic sibi Vergilius adplicat, quod Romano ductori etiam Mantua auxilium praerogavit. *quos patre Benaco velatus harundine glauca Mincius in-* 205 *festa ducebat in aequora pinu:* quos quingentos navi por-
15 tabat Mincius natus ex Benaco, habens harundinibus velata tempora eo more quo pinguntur flumina. *it gravis Aulestes centenaque arbore fluctus verberat adsurgens, spumant vada marmore verso:* non ipse Aulestes gravis, sed navis in qua fuerat satis ponderosa; denique centum non
20 iam remis, sed arboribus agebatur. cetera descriptionem tenent pelagi cum verberatum remorum ictibus spumat. *hunc vehit inmanis Triton:* formae maximae, pro magnitudine ipsius navis formatus. *et caerula concha exterrens* 210 *freta:* constitutus in concha, exterrens freta caerula. *cui*
25 *laterum tenus hispida nanti frons hominem praefert, in pristim desinit alvus, spumea semifero sub pectore murmurat unda:* usque ad latera praeferebat humani corporis formam, hispidam tamen hoc est asperam. reliqua pars eius in bestiam marinam mutabatur et sub semifero pectore
30 fluctus spumare videbantur. *tot lecti proceres ter denis*

---

5 *sub* R *sed* VHOU ed. 6 *viris* VR. 7 *id est* V *idem* R *dicta est* ed. 8 *atque* om. HOU ed. | *hinc quoque* lemmati praefixit ed. 9 *loquutio* V. 11 *adpliceat* R. 12 *romani* V. | *Mantuae* ed. | *prorogavit* ed. 13 *arundine* (infra *har.*) VR. 15 *micius natus* R *inimicus n.* V. 16 *auleste* VR. 18 *vadam armo reverso* V. 21 *converberatum* pro *cum v.* V. | *fumat* VR *spumat* ed. 22 *forma maxima* ed. 23 *conca* VR. 26 *spumia* VR. 27 *proferebat* ed.

navibus ibant subsidio Troiae [et campos salis aere secabant]: omnes, inquit, populorum enumeratorum principes triginta navibus pergebant, ut Troiae auxilium ferrent. non dixit Troianis, sed Troiae, quoniam in hominum conservatione patria ipsa videbatur auxilium sumere, quam 5 Troiani reparare nitebantur. propterea tanti ac tales per inmensa spatia maris secabant fluctus navium rostris.

215 *Iamque dies caelo concesserat almaque curru noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:* posuit finitum diem, posuit noctis tempus quod illustrabatur radiis lunae, quae 10 tenuerat medium caelum. supra (146) dixit „illi inter sese duri certamina belli contulerant, media Aeneas freta nocte secabat", hic dicit iamque dies caelo concesserat, cum semel dictum satis fuisset. non hoc idem dixit, sed supra descripsit initium noctis quod agebatur, quod venire 15 non posset nisi diei luce consumpta: fuit, inquit, nox, de luna tacuit; nondum quippe emerserat. secundo loco ait recessisse quidem diem et interceptam ipsius lucem venientibus tenebris, quas superveniens inlustraverat luna, quae medium tenuerat caelum. haec igitur fuerat causa repe- 20 tendae descriptionis diei consumpti, quoniam aliud desiderat prima pars noctis, aliud sequens. potest et sic: navigabat Aeneas iam die consumpto; cum vero nox ageretur et luna medium caelum tenuisset, eius tamen viri non quieverat cura: sedebat quippe ac vigilabat et 25 regebat navem et velis necessarium praebebat temperamentum, ut hoc esset quod in eo poeta laudavit, continuationem diei et noctis non fatigasse laborantem. denique sequitur: *Aeneas,* sed hic mora facienda est et sic dicendum *(neque enim membris dat cura quietem) ipse sedens* 30

1 *et — secabant* deest in VR, sed explicatur. 2 *omnis* V. 4 *in* om. ed. 7 *navium rostris* VR *primo Troiae scilicet subsidio* ed. 9 *faebe* VR. | *olimphum* VR. | *post — 10 post* VR ed. *posuit — posuit* nos. 10 *luna quae* R *lunaque* V ed. *lunae quae* nos. 11 *tenuerant* V. 12 *se* pro *sese* VR. 15 *evenire* ed. 21 *diei* VR *scilicet d.* ed. | *dederat* VR ed. *desiderat* nos. 23 *vero* om. ed. 26 *regebat* VR *gerebat* ed. | *praemebat* V. 29 *Aeneas* non pro lemmate scripsit V.

clavumque regit velisque ministrat: virtus, ut dictum est, Aeneae describitur; cum enim esset nox et luna iam medium caelum tenuisset, quoniam in tanta cura somnus eum tenere non poterat, sedebat. ecce duplex labor, et
5 non dormire illo tempore et sedere. accedebat his quod vigilans et sedens non fuit otiosus aliis duobus muneribus serviens; nam et gubernacula tenebat et velorum sinus arte moderabatur. ordinatur sensus sic: ipse Aeneas sedens clavumque regit velisque ministrat; neque enim membris
10 dat cura quietem. ipsa enim fuit causa vigilandi, quoniam navigationis et futura belli sollicitudine distentus dormire non poterat. *atque illi medio in spatio:* medium spatium et maris potest esse et interstitium quod inter eius navem et ceteras fuit. *chorus ecce suarum occurrit* 220
15 *comitum:* comites dixit navis quae cum ipso semper fuerant. chorus est numerus collectus ex plurimis. dicit iam quae essent in ipso choro: *nymphae, quas alma Cybebe numen habere maris nymphasque e navibus esse iusserat, innabant pariter fluctusque secabant.* hoc poeta non pro novo posuit,
20 ut quasi incognitam fabulam insciis lectoribus indicaret, sed commemorantis functus officio replicat gesta. ipsas, inquit, dico nymphas ad Aenean venisse quas mater deum ex navibus fecerat quibusque inmortalitatem concesserat. innabant pariter fluctusque secabant: sic ipsae nymphae
25 natantes veniebant, ut nulla praecederet alias. *quod prius aeratae steterant ad litora prorae:* litora appellavit prorae

---

4 *eum tenere* R *contenere* V *teneri* ed. 10 *datura* (supra recte) VR. 11 *futura* VR ed. *futuri*? | *bellis* VR corr. ed. 13 *inter istis* VR *interstitii* U *-tium* nos *in terris* ed. 14 *sua* V. 17 *cycebe* R *cyabe* V *Cybelle* ed. *Cybele* ed. post. 21 *commemoratis* VR corr. ed. 24 *fluctusque ferebant* (supra recte) VR. 25 *quod* VR *quot* ed.: ex interpretatione apparet Donatum *quod* in exemplari suo inventum (pro *quot* cf. ed. Ribb.) pro coniunctione habuisse eoque errore ductum tantas ineptias conflasse, quasi nymphae ad litora prorae aeratae navis constitissent. 26 *aerata ē et erant* R *aerata est erant* V *aeratae steterant* ed. | *appellavit prae* VR *a. per* ed. *per* del. ed. post. *app. prorae* nos.

partem maris quae adluebat proram. *agnoscunt longe regem lustrantque choreis:* quod primo venerunt ad finem prorae, quae aerata fuerat, agnoverunt regem. recte posuit agnoscunt longe regem; inter lunam enim et obscuritatem noctis et pelagi ab alio rex non facile potuit agnosci. 5
choreis dederunt signum matris deum, ut inde iam sciret
225 suas esse, non maris. *quarum quae fandi doctissima Cymodocea pone sequens dextra puppim tenet:* ecce quanta potentia deum matris: fecit ex ligneis nymphas et deas ire iussit in fluctus, effecit ut loqui possent et eloquentiae 10
doctrina pollerent. Cymodocea tamen, quae ceteras anteibat arte loquendi, posteriorem navis tenuit partem; in ipsa enim gubernacula Aeneas retinebat et velorum sinus certo moderamine temperabat. tenebat igitur puppim manu dextra *ipsaque dorso eminet;* cum ex hac causa undis 15
non tegeretur et dorsum eius appareret, *laeva tacitis subremigat undis:* lento motu sinistrae manus ac sine undarum strepitu subremigabat. subremigare est non plenis conatibus remigare. *tum sic ignarum adloquitur;* nesciebat enim gesta illic ubi reliquerat suos. *vigilasne, deum gens,* 20
Aenea? mirum orationis principium; recte enim dubitavit quae loquebatur, quia tempus fuit petendi somni, et dormire non debuit, quia gubernandae navis gerebat officium. vigilas, inquit, an dormis, Aenea, qui genus a numinibus ducis? in nomine una laus est, altera in generis ratione. 25
vigila et velis inmitte rudentis: persevera, inquit, et consenti flatibus, quia prosperis successibus navigas, et habenas navigii currentis ne retine, ne felicitatis tuae successus obiectu tarditatis inpedias. haec est una distinctio:

---

1 *marisque* VR *m. quae* ed. | *adluebant* R *adluebam* V *abluebat* ed. 2 *quod primo* VR *quum primum* ed. 3 *aeratae* ed. | *fuerat* V *fuerant* R ed. | *cognoverunt* ed. 4 *cognoscunt* ed. 5 *agnosci* VR ed. *dignosci?* 7 *sua* VR ed. *suas* nos. | *quarumque* V. 8 *pupim* VR. 9 *lignis* edF. 13 *ipsa* VR *iis* ed. 14 *modoramine* VR. 16 *laeva* VR *ac l.* ed. falso, quia apodosis est cf. v. 160. 17 *subremicat* VR corr. r. | *sinixtrae* R *sinistra* V ed. | *manus* VR ed. mut. ed. post. 26 *consenti* R ed. *consensati* V. 29 *obiecta tarditate* ed.

est et altera, ut sic pronuntiemus: vigilasne, deum gens? ut suppresso interim nomine divini sanguinis diceret prolem, atque ut melius ostenderet notam loqui personam, addidisse nomen eius: Aenea, vigila. si, inquit, vigilas,
5 persevera in eo et habenas omnis velis inmitte. exhortatio istiusmodi fuit in duplicatione eiusdem dicti, ut cetera attentius audiret. illud vero non erat in totum dubitantis, quod post incertae vocem subsecutum est Aenea, vigila. videtur enim removisse in quo dubia fuit dicendo Aenea,
10 vigila, quia gubernans navem dormire non debuit. sequitur personae loquentis evidens demonstratio, ut Aeneas nosset quae omnium nomine loqueretur, in quo ipso et gesta posset apertius noscere. *nos,* ait, *sumus Idaeae* 230 *sacro de vertice pinus:* quid apertius ista narratione qua
15 dictum est quae essent et unde? *nunc pelagi nymphae, classis tua:* et quae naves tuae fuimus nymphae maris sumus effectae. in perspicua brevitate totum dictum est. sed quando Aeneas id crederet fieri potuisse, nisi subsecuta cetera ignorantem docuissent tantum numinis valuisse
20 potentiam, ut possibile fieret quod humana mens non auderet admittere? nos sumus Idaeae sacro de vertice pinus, nunc pelagi nymphae, classis tua: quod secundum dici convenerat posuit tertium et quod tertium secundum ordinavit; nam primo arbores fuerant, naves postea, tertio
25 loco nymphae; sed in hac ordinatione non erravit poeta. splendidius quippe voluit loqui nec ordinationem ipsam loquendo confudit. quod enim dixit arbores fuimus dudum, nunc nymphae sumus effectae quae fuimus naves tuae, ornatius dictum est quam si diceret arbores fuimus, dehinc
30 naves, postremo nymphae. duo quae Aeneas noverat

---

1 *est et* VR *et* om. ed. | *vigilane* VR. 6 *duplicationem* VR corr. ed. 8 *incertae* VR *-tam* ed. 10 *gubernens* V. 12 *loqueretur* R *loquerentur* in ras. V. | *ipso et* VR *ipsa* ed. 13 *ideae* R. 15 *nynfae* V. 18 *fieri potuisse* R *fueri potuisset* V. 22 *quod* V *quo* R om. ed. | *dum* VR ed. *secundum* nos. 23 *dici* VR *d. primum* ed. 27 *quid* VR ed. *quod* corr. ed. post. 29 *si* om. V ed. | *diceret* VR *dicere et* ed.

strictim dixit; sciebat enim unde pinea ligna sumpsisset et quid fabricasset ex ipsis, quemadmodum vero nympharum in faciem versae sint nesciebat. hanc igitur partem latius refert: brevitate quippe institui plene non poterat qui novo et incredibili exemplo gesta non noverat. *perfidus ut nos praecipitis ferro Rutulus flammaque premebat, rupimus invitae tua vincula teque per aequor quaerimus:* inimici nomen noluit dicere, sed pro ipso conviciosa duo posuit; dixit enim perfidum, dixit Rutulum. premebat nos, inquit, hostis atque utinam aliquanti meriti! urgebat ferro, urgebat et flammis, ut naufragia de nobis efficeret aut absumptas ignibus in cineres verteret, sed haec praevenimus fugiendo melius aestimantes abrumpere conpulsas vincula tua quam ad interitum remanere. teque per aequor quaerimus: quam difficile est quaeri unumquemque per mare, in quo tanta latitudo est, nec sciri qua in parte reperiri valeat! quantus amor ostensus est tanto labore
235 suscepto! *hanc genetrix faciem miserata refecit et dedit esse deas:* ad tantam desperationem venimus, ut quod vides non nostro ingenio, sed divina miseratione mereremur. genetrix enim, hoc est deum mater, hanc nobis inposuit formam et ex mortalibus inmortalis effecit. *aevumque agitare sub undis.* a contrario positum; naves enim merguntur, ut pereant, istae mersae sunt, ut evaderent. adsignata persona sua et edito casu quo nymphae esse potuerunt incipit referre quid agatur, ut appareat quare dixerit et velis inmitte rudentis. *at puer Ascanius muro fossisque tenetur:* primam causam inmisit Ascani ostendens spem, ostendens metum: spem, ne eadem animos eius frangeret, metum, ut festinaret auxilium ferre, ne qui

---

6 *praecipites* V ed. 7 *te quae* R. 11 *naufragium* ed. 12 *absumptis* ed. 13 *existimantes* ed. | *conpulsus* V om. ed. 14 *taeque* V. 15 *quaeri* VR *quaerere* ed. 16 *scire* ed. 17 *reperire* VR corr. ed. 20 *et divina* VR *sed d.* ed. 22 *et ex* R *et* om. V *ac ex* ed. 24 *evaderent* VR *ev. nymphae* ed. 27 *dixit* V *dix̄* R *dixerit* ed. 29 *ostendensque* ed. 30 *ferens* ed. | *ne qui* R *neque* V ed.

adhuc incolumis fuerat vim pateretur obsessus. satiat hoc ipsum monstrans quomodo spes, quomodo esset metus: ex parte spei sunt murus et fossa quibus muniebatur Ascanius, ex parte autem metus puerilis aetas in qua constitutus 5 fuit. *tela inter media atque horrentis Marte Latinos:* inter ipsum tamen et mortem non plurimum dicebat interesse discriminis. debuit igitur properare, antequam ad eius interitum hostis avidissimus perveniret. *iam loca iussa tenet forti permixtus Etrusco Arcas eques:* directionem 10 istorum poeta non descripsit, sed hinc intellegitur facta. hos igitur nuntiat ea iam loca tenuisse quae in mandatis habuerant. *medias illis opponere turmas, ne castris iun-* 240 *gant, certa est sententia Turno:* unum prosperum dixit, quia pervenerant sui, dixit contrarium, quia Turni dis- 15 positio fuit medios opponere qui eos castris suorum non sinerent iungi. hoc genere ostendit omnis in periculo esse, cum alii aliis subvenire non possent. quapropter recte celeritatem suadebat, ut ante Aeneas veniret quam Turnus cogitata perficeret; potuit quippe Aeneas adveniens et 20 clausis et venientibus subvenire. *surge age:* hortatur ut surgat, sed sedentem excitat, non dormientem. surge age non est iubentis, sed urgentis ad gloriam. *et aurora socios veniente vocari primus in arma iube:* et aurora, inquit, veniente, hoc est antequam plena redeat lux, in 25 arma convocari socios primus praecipe. primum admonet facere, quae res vincendi fiduciam promittebat. *et clipeum cape quem dedit ipse invictum ignipotens atque oras ambiit auro:* consternabuntur hostes, inquit, si primum viderint incipere adgredique certamen atque armis divinis instructum. 30 *crastina lux, mea si non inrita dicta putaris, ingentis* 245 *Rutulae spectabit caedis acervos:* ecce praedicit et futura,

1 *incolomis* V. | *vim pateretur* R *ut p.* V ed. | *obsessum* ed. | *saciat* VR *sciat* ed. 3 *muros* R. 17 *aliis* om. ed. | *quapropter* VR *propterea* ed. | *recte* om. ed. 26 *vicendi* VR corr. r. | *clypeum* R. 28 *si te primum* ed. 31 *spectabis* VR *spectabit* ed. (interpretatione, ut videtur, confirmatum).

ut vere appareat dea, si non, ait, mea dicta contempseris et monita mea tenueris, probabis quantas de Rutulis strages videbit crastinus dies.

Dixerat et dextra discedens inpulit altam haut ignara modi puppim: quae navis fuisset aliquando altam navem 5 discedens inpulit dextra sua modum servans, quo sciebat tuto concitari navigia; non enim debuit plus fieri propter periculum nec minus propter tarditatem. accedens igitur ipsius loquentis adiumentum quantum profuerit sequentia probant. ait enim *volat illa per undas:* cum navis fluctibus 10 portaretur, non videbatur currere, sed volare *ocior et iaculo et ventos aequante sagitta,* atque ita volare, ut velocior esset iaculo et sagitta, quae ventorum flatibus solet aequari. *inde aliae celerant cursus:* quid enim prodesset, si sola navis in qua Aeneas fuit celerius tenderet ceteris 15 lento actu remanentibus? ibant ergo omnes celeres omni 250 tarditate submota. *stupet inscius ipse Tros Anchisiades:* his auditis et visis stupuit Aeneas ipse. *animos tamen omine tollit:* in ipso tamen stupore constitutus, quamquam gesta nesciret, tamen omnia ad omen trahens animos tollit. 20 considerabat quippe divina omnia favere partibus suis. non dixit laetus effectus est, quoniam audierat et adversa atque formidolosa, futurorum tamen meliore spe sublevatus erectis animis fuit. *tum breviter supera aspectans convexa precatur:* in necessitate enim non debuit pluribus 25 loqui. supera autem aspectans precabatur, quia non nymphis agendae fuerant gratiae, sed illi unde bona illa profecta videbantur. *alma parens Idaea deum:* tria posuit

1 *deam* VR *dea* ed. an *deam esse?* 2 *tenueris* VR *inania t.* ed. 3 *crastinos* R corr. r. 4 *discidens* V. | *aut* VR. 5 *pupim* VR. | *quod* VR ed. *quae* nos propter coniunctivum. 6 *quo sciebat* R ed. *quod sc.* V. 10 *volat per* VR *v. illa p.* nos fugit *i. p.* ed. et Verg. libri. 11 *ociore* pro *ocior et* VR. 12 *volare* VR *volabat* ed. 14 *alia celerante* VR. 17 *tro* pro *Tros* VR. 18 *stupuit* R *stupui* V *obstupuit* ed 19 *homine* V. 20 *ad omnem* V. 23 *futurorum* om. cetera temere mut. ed. | *melior* VR *meliore* nos. 25 *praecatur* VR. 26 *praecabatur* VR *precatur* ed. 27 *fuerant* VR *sunt* ed. | *unde* VR *a qua* ed. 28 *videbantur* VR *esse v.* ed.

quibus favorem eius in suas partis magis ac magis adduceret: alma, Idaea, parens deum, augmentum dehinc laudis adiecit *cui Dindyma cordi turrigeraeque urbes biiugique ad frena leones.* summam dehinc petitionis adnectit
5 deprecatione ac laude conclusa: *tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques augurium Phrygibusque adsis* 255 *pede, diva, secundo.* quae, inquit, prima actus meos fovere coepisti tua auguria ista prosperitate plena confirma et secundis accessibus meos meorumque conatus
10 attolle. *tantum affatus, et interea revoluta ruebat matura iam luce dies noctemque fugarat:* cum fine verborum eius lux clarior coeperat fieri. *principio sociis edicit signa sequantur atque animos aptent armis pugnaeque parent se:* edicere est cum auctoritate aliquid curandum iubere. quod
15 igitur militarium praeceptorum fuit, succincto sermone collegit: ut sequerentur signa, conponerent animos et hos pugnae et ingruenti certamini praepararent. hoc enim volebat efficere quod Cymodocea docente perceperat, cum diceret „surge age et aurora socios veniente vocari primus
20 in arma iube et clipeum cape quem dedit ipse invictum ignipotens atque oras ambiit auro".

Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra: in 260 quibus fuerant sui et ipse videri potuerat *stans celsa in puppi.* ad altitudinem navis accessit Aeneae quoque satis
25 eminens forma; nam cum staret, multo est altior factus ratione loci et corporis proceritate. *clipeum cum deinde sinistra extulit ardentem:* ecce multiformi altitudini accessit augmentum; erexit quippe sinistram manum cum clipeo. ardentem addidit, ut ex altitudine et clipei ardentis flamma
30 facilius occurreret oculis Troianorum properantis adventus.

---

3 *dindima* R *dyndima* V. 6 *frigibusque* VR. 7 *quae* R ed. *quam* V. 10 *affatus* R *affatum* V *effatus* ed. et Verg. libri. | *revoluta* om. V. 15 *milirium* VR *militarium* nos *multorum* ed. | *succincto* VR *subacto* ed. 18 *praeceperat* ed. 20 *in* om. V. 21 *ambuit* R. 23 *ipsi* VR ed. *ipse* nos. | *potuerat* VR *-rant* ed. 26 *cum* VR *tum* ed. 27 *sinixtra* VR. 29 *flammam* V.

clamorem ad sidera tollunt Dardanidae e muris, spes addita suscitat iras: erecti sunt qui iacebant et gaudium quod ex adventu regis sui ceperant clamoribus testabantur; tantum autem potuit spei melioris hortatus, ut irascerentur hosti quos metus paulo ante deiecerat. *tela manu iaciunt:* 5 denique et tela audebant iacere. *quales sub nubibus atris*
265 *Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant cum sonitu fugiuntque notos clamore secundo:* quemadmodum solent grues e medio atrarum nubium liberatae suam volentes nuntiare laetitiam, sic Troiani gratulantes ex- 10 clamaverant. *at Rutulo regi ducibusque ea mira videri Ausoniis:* quia Rutuli in plano fuerant, nesciebant causam gaudii Troianorum et admodum mirabantur unde illis esset repentina laetitia. *donec versas ad litora puppis respiciunt totumque adlabi classibus aequor:* dum Rutuli causas 15 cupiunt nosse laetitiae Troianorum, repente viderunt per totum aequor navis ad litus accedere. moraliter positum totumque adlabi classibus aequor; turbatis quippe repentino terrore plus apparebat quam testabatur fides rerum. ceterum quando fieri potuit ut per totum aequor navigia 20
270 haberentur? *ardet apex capiti cristisque a vertice flamma funditur et vastos umbo vomit aureus ignis:* ipse quoque Aeneas in ipsa venientum multitudine videbatur apice capitis ardenti et coruscus umbone, ita ut ex eo non fulgur, sed flamma videretur exire. *non secus ac liquida* 25 *si quando nocte cometae sanguinei lugubre rubent aut Sirius*
275 *ardor, ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris nascitur et laevo contristat lumine caelum:* quia scutum et alia quae Aeneas liberalitate Vulcani meruerat in multorum exitium fuerant facta, conparantur his sidera, co- 30 metes et Sirius, quae, cum oriuntur, morbos ferunt

---

3 *caeperant* V. 4 *autem* R om. V ed. 10 *voluntates* VR *volentes* r ed. 11 *eam ira* VR. 16 *nosset* V. 17 *positum est* ed. 21 *tristisque* VR idem error v. 701. 22 *vomet* VR. 24 *corruscus* R *corruschus* V. 26 *lucubre* VR. 27 *arbor* VR corr. r. 30 *comites* VR corr. r. 31 *syrius* V *siryus* R (supra recte). | *conmoriuntur* V *cūmoriuntur* R *quando oriuntur* ed.

hominibus et interitum plurimorum. haec dicuntur et imperii commutationem portendere. quod ait laevo lumine, tale est quale illud quod ait (9, 355) „nam lux inimica propinquat", ut ostenderet lumen non semper esse opti-
5 mum, sed aliquando exoriri contrarium. nam cometes et Sirius tanto sunt perniciosi quanto fuerint luce maiore perspicui.

Haut tamen audaci Turno fiducia cessit litora praecipere et venientis pellere terra: cum contraria partibus
10 suis Turnus aspiceret, non perdidit ex eo visu constantiam, sed audacia qua semper est usus consilium tenuit, ut ante caperet terram, ne Aeneas vel qui cum eo venerant navibus exponerentur. inducitur dictio hominis audacis et eius qui nollet suos trepidatione confundi, ad-
15 serentis prodesse potius quod potuit videri contrarium. denique sic coepit: *quod votis optastis adest, perfringere dextra: in manibus Mars ipse viris. nunc coniugis esto* 280 *quisque suae tectique memor, nunc magna referto facta, patrum laudes:* tandem, inquit, socii, quod cupiebatis effec-
20 tum est, hostem habetis in manibus, exerite dexteras, ipse Mars attulit quos caedatis. propterea sic coepit, quia, si alii turri ac fossa defendebantur et muris, isti fuerunt in aperto. in manibus Mars ipse viris: quisquis virilem, inquit, animum gerit fidat manibus suis et praesentis occa-
25 sionem temporis non omittat. dehinc oportune primam coniugum posuit causam, ut unusquisque cogitans adversa certaminis quid pati uxor hostibus dominantibus possit animo praevidente tractaret et eiusmodi ludibria virtutis auxilio praeveniret, tueretur quoque omnia sua
30 quae domi habuisset, ne inimicorum commodis cederent quae longi temporis congesserat labor. debere ante oculos

---

2 *commodationem* VR corr. ed. 6 *pernitiosi* VR *-siores* ed. 7 *perspui* V. 10 *ex* om. ed. 12 *venerant* VR *erant* ed. 16 *denique sic coepit* om. ed. 17 *immanibus* R. 20 *exerite dexteras* VR *exercete dextras* ed. 22 *muris* VR *muri* ed. 23 *videris* pro *viris* VR (supra recte). 24 *gerat* ed. | *occansionem* R. 28 *possit* R *posuit* V.

stare laudes et facta maiorum, ne degeneres inventi sese ac suorum clarissima facta veterum simul addicerent. augendam esse magis per posteros illorum gloriam fortitudinis nisu quam inertia cessantium minuendam. *ultro occurramus ad undam:* perficiendae gloriae debuit con- 5 silium dare qui audendi suadebat effectum, simul etiam aperire profutura consilii sui; tunc enim excitare potuit animos singulorum, si facilitatem in adgrediendo et ex congressu commodum perviderent. atque ut id properanter fieret, addidit *dum trepidi egressique labant vestigia* 10 *prima:* ultro occurri descensuris debuit, ne firmatis post parva momenta gressibus vestigiorum resumerent firmitatem. praestat, inquit, labantis adgredi quam excluso pedum languore firmatos. *audentis fortuna iuvat:* non iuvat fortuna torpentis, sed audentibus adest nec deserit 15 audentis ad gloriam et ausus egregios optatam perducit 285 ad palmam. *haec ait et secum versat quos ducere contra vel quibus obsessos posset concredere muros:* cum haec locutus esset, delegit quos secum contra duceret, hoc est contra eos qui navibus vehebantur, et quos obsidioni con- 20 servandae dimitteret. metui enim necessario debuit ne, dum omnes intenti litus observare contendunt, vis utrimque emergens medium agmen opprimeret.

Interea Aeneas socios de puppibus altis pontibus exponit; multi servare recursus languentis pelagi et brevibus 25 290 *se credere saltu, per remos alii:* descensus eorum qui cum Aenea venerant varie breviterque describitur et in ea

---

1 *deceneres* VR. | *esse* VR *sese* nos *sua* ed. 2 *semel addicerent* VR *simul* nos *tunc amitterent* ed. (addicere ut 9, 599 et 786). | *augenda esse* VR *augenda est* ed. 3 *gloria* ed. 4 *cessantium* VR *cessantis* ed. | *minuenda* ed. | lemma *ultro occurramus ad undam* om. edI ante *dum trepidi* add. edF. 6 *audiendi* R. 7 *profuturae* V. | *consiliis suis* ed. 9 *praeviderent* ed. 10 *egressique* VR cf. Serv. Dan. 11 *discensuris* VR *descensuris* r. 15 *audientibus* VR. 16 *et ausus* VR *sed a.* ed. 19 *elegit* ed. 22 *contendunt* VR *-derent* ed. | *utremque* VR corr. r. 25 *multis etvare* VR corr. r. | *et brevibus* — 26 *alii* om. edF. 26 *descossus* R corr. r. 27 *variae* VR corr. ed.

desperatione ostenditur quam praeviderat Turnus. Aeneas, inquit, alios adpositis pontibus exponebat, multis ambulandi desuetudine trepidis, quorum gressum natura sua infirmaverat mare, usque adeo ut relabentis undas lan-
5 guentis pelagi, hoc est placidi, metuerent, qua causa observabant earum reditum, ne remeantes in altum traherent exire cupientis. tanta fuit inconstantia gressus, ut metueretur etiam placidi aequoris motus. et brevibus se credere saltu: alii brevi saltu sese iactabant propter in-
10 firmitatem pedum, alii vero descendebant per remos. *speculatus litora Tarchon qua vada non sperat nec fracta remurmurat unda, sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu advertit subito proras sociosque precatur:* Tarchonis inpatiens virtus cum in descensum oras adverteret, visum
15 est ei ut per eam partem litoris vaderet qua omnis tranquillitas fuit nec unda inlidebatur in saxa nec aliqua venientem vada terrebant. repente igitur proras obvertit deprecans socios ad officia virtutis inplenda. plurimum enim ad effectum proficit cum prece utitur qui iubere
20 potuerat. *nunc, o lecta manus, validis incumbite remis, tollite, ferte rates:* magnum ardorem viri fortis inducit et 295 eius qui ob intentionem pugnae ipsa naufragia non dubitaret admittere in eoque quo animo ausus erat ipse esset hortator, ipse proponeret quae in contrarium venire po-
25 tuissent, ipse responderet. quis enim nesciret in vado cessare remigia debuisse? quis ignoraret frangi potuisse navigia ubi altitudo pelagi deficiens sola ipsis navibus pericula demonstraret? incumbite, inquit, iuvenes, remis: potuit dici quomodo incumbemus et deest aquae sub-

---

1 *desperatione* VR edI *desperatio* edF. 4 *undas languentis* VR *et* interpos. ed. 5 *metuerant* VR corr. ed. 6 *redditum* VR corr. ed. 8 *motus* V ed. *metus* R. 9 *brevi saltu* VR ed. non intellego, nisi forte Don. *brevius* pro *brevibus* legit. 11 *tharchon* VR. | *sperat* VR *spirant* r. 16 *inlidibatur* VR. 20 *nunc collecta* VR. 23 *quo animo auserat* VR *ut omnino auferret* ed. 25 *ipse responderet* VR *et i. r.* ed. 26 *potuisset* V. 28 *incumbimus* VR corr. r. ed. 29 *aquae* VR *inimica* ed.

stantia quae navem ab inimica terra suspendat? ille respondentis animo ait *tollite, ferte rates,* ut fortitudo praestaret hominum quod loci natura non poterat. *inimicam findite rostris hanc terram sulcumque sibi premat ipsa carina:* etsi erit, inquit, in navium amissione detri- 5 mentum, proveniet tamen omen maximum, quod inimicam terram scindimus rostris. *frangere nec tali puppim statione recuso arrepta tellure semel:* certe quid ultra navibus opus est, quando terras quas quaerebamus invenimus? *quae talia postquam effatus Tarchon:* quae cum Tarchon fuisset 10 effatus et talia dixisset quibus ultra responderi non posset,
300 *socii consurgere tonsis spumantisque rates arvis inferre Latinis:* nitebantur remis socii, ut contrario more naves non in fluctus, sed in terram surgerent. in hoc facto non stultitia, sed ultionis reportandae cupiditas probabatur. 15 quippe consecuta victoria totum quod pro ea videbatur amitti potuit reparari, si esset necessarium. *donec rostra tenent siccum et sedere carinae omnes innocuae:* iam pervenerant in siccum rostra et quod fuerat insperatum prosper eventus attulerat, ut omnes inlaesae consedissent. 20 quod dixit innocuae, non, quod ipsae cuiquam non nocuissent, dixit, sed quod ipsis nihil contigisset adversi. *sed non puppis tua, Tarchon:* omnes, inquit, evaserunt excepta ea in qua fuerat Tarchon. incipit casum eius describere: *namque inflicta vadis,* hoc est inpacta iniquis 25 litorum locis, *dorso dum pendet iniquo,* dorsum dixit locum editum, in quem acta conscenderat, iniquitas dicta est quae venientem navem servare vel sustinere non potuit, *anceps sustentata diu,* cum diu nutabunda nunc in unam partem
305 nunc in aliam urgeretur, *solvitur atque viros mediis effun-* 30

1 *naves* ed. 3 *quod* VR *id q.* ed. | *inimica* VR corr. r. 6 *omen* VR *nomen* ed. 7 *tale* VR. 8 *tellore* VR corr. r. 12 *tonsis* VR *transtris* ed. 14 *in terra* VR corr. ed. 18 *carenae* VR. | *pervenerunt* ed. 20 *adtulerat* VR *adiuvat* ed. 22 *contingisset* VR. 25 *describere* VR *narrare* ed. | *infactam* VR *inpacta* nos cf. 7, 302 *infecta* edl *inflicta* edF. 27 *acta* V ed. *coacta* R. | *conscenderat* VR *-ret* ed. 30 *urgeretur* VR *iungeretur* ed. | *effundit* VR ed. *exponit* Verg. libri.

dit in undis, repente dissoluta est et in undis adhuc posita viros quos portabat effudit. *fragmina remorum quos et fluitantia transtra inpediunt retrahitque pedem simul unda relabens:* cum se undis liberare niterentur, inpedie-
5 bantur naufragii partibus et unda retrorsus ducta nitentium gressus et vestigia revocabat.

Nec Turnum segnis retinet mora: cum hoc Turnus vidisset, nulla mora potuit retineri, *sed rapit acer totam aciem in Teucros et contra in litore sistit.* quanta fuit
10 aviditas vel quanta casus emergentis occasio! quam ne amitteret Turnus, omnis suos eo congessit ubi inpedientibus pelagi undis e diverso venientis facilius ipse ac tutius expugnare posset. *signa canunt:* signorum hortante cantu 310
itum est in certamen. *primus turmas invasit agrestis*
15 *Aeneas, omen pugnae:* primum possumus accipere non tantum primo incipientem verum etiam sine aliorum societate; magnae enim laudis instar est isse unum in exitium plurimorum. *stravitque Latinos,* occidit plurimos: cum non dicit nomina nec exprimit quantos, intellegendum
20 est multos esse prostratos et ubi dictum est agrestis turmas fuisse multos procul dubio inesse potuisse. *occiso Therone:* hunc cum nomine posuit, quod fuisset cognitus et magnae virtutis, quantum autem fiduciae extitisset sequentia probant: *virum,* inquit, *qui maximus,* illorum scilicet qui
25 strati sunt aut ceterorum etiam Rutulorum. *ultro Aenean petit:* talis occisus est qui non dubitasset ultro ire in Aeneae perniciem, sed hunc facile occisum dicit nobilitate potioris, qui ab alio non posset occidi; tantam enim sensit Aeneae virtutem. *huic gladio perque aerea suta, per tunicam*

---

2 *effudit* V ed. *effundit* R. | *frammina* R corr. r. 3 *pedes* ed. 5 *unda* om. ed. pro *ducta* substituit ed. post. 11 *concessit* VR *congessit* nos inepte mut. ed. 12 *catutius* V *actutus* R *et cautius* ed. 14 *in* om. R. | *agrestes,* sed infra *agrestis* VR. 17 *isse unum* VR *ipse unus* ed. 20 *prostratus* VR. 21 *nullus* VR ed. *multos* nos. | *potuisset* VR ed. 23 *probat* VR. 24 *inquit* om. ed. 25 *ceterorum etiam* om. ed. 26 *ultro in* VR *ire* interpos. ed. 28 *non* om. ed F. | *tantam* VR *miram* ed. 29 *hunc* VR ed. corr. ed. post. | *per qua aereas ut aper* VR.

squalentem auro latus haurit apertum: fuit quidem difficultas in adeundis munimentis eius, sed omnia potiori virtuti cesserunt. denique probata est fortitudo congredientis: non eum eminus sagitta percussit aut iaculo, quod faciunt qui formidant hostis accessum, res gladio gesta 5 est tanta fiducia et securitate ferientis, ut rupto munimento aerati vestitus plenus ictus per temerarii hominis 315 latus exisset. *inde*, hoc est deinde, *Lichan ferit exectum iam matre perempta et tibi, Phoebe, sacrum, casus evadere ferri quod licuit parvo:* propter descriptionum varietatem 10 et fastidium legentis mittuntur fabulae non necessariae descriptioni belli. dicit enim quomodo iste natus sit, nutritus quomodo. istum, inquit, non edidit incolumis mater, sed ipsa occisa exectus venit in lucem consecratusque est Phoebo, ut adiumento numinis in iuventam produci potuis- 15 set, sed cum ad Aenean venisset consecratus et iuvenis, concidit. itaque ille, cui parvo licuit ferri casus evadere, scilicet cum matris exanimis utero promeretur exectus, fortissimi herois ferrum iam iuvenis vitare non potuit. hoc loco vis fatorum ex aperto monstratur: medicorum 20 ferrum quid istum profuit evasisse? quid Apollinem habuisse propitium? iuvenis interiit qui nondum natus non potuit perire cum matre. *nec longe Cissea durum inmanemque Gyan sternentis agmina clava deiecit leto:* non longe, inquit, a Lychae funere deiecit Cisseum et Gyan 25 clava pugnantis et qui iam plurimos prostravissent. *nihil* 320 *illos Herculis arma nec validae iuvere manus genitorque Melampus, Alcidae comes usque, gravis dum terra labores praebuit:* supra dixit Lychae non profuisse Apollinis numen,

---

1 *quidem* R *quidam* VHO *quedam* U *quaedam* ed. 2 *adeundis* VR *perforandis* ed. 5 *dormidant* V. | *accensum* R. 8 *lican* VR. 9 *et ibi* R *et ubi* V. 10 *quod* VR ed. *cui*? quod interpr. habet cf. Serv. 11 *mittuntur* VR *immittuntur* ed., sed cf. ind. I sub mittere. 12 *describtionis* VR. 13 *inquit istum* R. 15 *nominis* VR. 17 *concidit* VR *decessit* ed. 18 *utero promerit promeritur execta* VR *utero exectus esset* ed. 20 *et aperto* VR. 24 *gyans terrentes* VR. | *deiecti leto* VR. 25 *deiecit essecum* VR *dei. morti Cissea* ed. 29 *profuisset* VR.

istis quoque arma Herculis, virtutem propriam et meritum paternum auxiliari nequivisse. idcirco enim Herculis insigne gestabant, quia eorum Melampus pater in tantum Herculis laboribus fuerat iunctus, ut quicquid ille esset
5 adgressus numquam iste nesciret. quo facto arbitrabantur per meritum patris invictos se esse mansuros et ad exemplum virtutis Herculeae periculo non futuros obnoxios. *ecce Pharo voces dum iactat inertis, intorquens iaculum clamantis sistit in ore:* Pharo, inquit, non ferro in certa-
10 minibus bellicis, sed clamoribus inritis existimans esse certandum, dum inertia personat, ore ipso ictum iaculi venientis excepit. *tu quoque, flaventem prima lanugine malas dum sequeris Clytium, infelix, nova gaudia, Cydon,* 325 *Dardania stratus dextra, securus amorum, qui iuvenum*
15 *tibi semper erant, miserande, iaceres:* fecerunt hyperbata obscuritatem; multa enim voluit uno sensu colligere et vel maxime ea quae semel posita non semel accipienda sunt. scribit enim per apostropham Cydonem occidi potuisse Aeneae gladio, dum amores turpissimos sequeretur,
20 qui esse iuvenum solent. viderat enim adolescentem Clytium flava lanugine malarum, hoc est iam non puerum nec tamen iuvenem plenum: quem dum securus sequitur turpis amoris ardore possessus, qui amor iuvenibus solet esse conveniens, salutis suae inmemor factus est. apparet

2 *auxiliare nequivisset* VR. 5 *arbitrabatur* VR. 7 *herculeae periculo* VR *se* interpos. ed. 8 *foron* in lemmate *faro* in interpret. VR. | *iectat* VR. 9 *clamantisisti sistit* VR. 11 *iacoli* VR. 12 *flavantem* R. 14 *secutus* R *sequutus* V infra *securus* VR. | *iuvenem* VR. 15 *ubi* pro *tibi* V. | *ficerunt* VR. 17 *vel* om. ed. 18 *potuit* VR *potuisse* ed. 23 *turis* pro *turpis* VR om. ed. | *possessus* V *perpessus* R. | *qui amore iuvenibus solet esse conveniens salutis suae* VR „qui amor execrabilis iuvenibus scelestissimis solet inesse, quo nihil naturae magis repugnare videtur nihilque deo gravius, quod plurimorum miserabiles exitus ostendunt. nec poeta aliud hic innuit quam eos qui foedissimum hoc sequuntur vitium tandem infelix pati exitium. dum igitur hoc sequitur, salutis suae etc.“ ed.: interpolatorem hoc loco iam v. d. Hoeven odoratus est p. 34, cf. quae nos in praef. p. XXXIX suspicati sumus; nullum verborum vestigium extat nec in VR nec in HOU.

autem hunc notari Vergilii carminibus, non quia adolescentis amore raptatus est, quod tunc licitum fuit, sed quia illo loco atque illo tempore de salute ei potius quam de libidinis morbo fuerat cogitandum et quia iuventutis studium flagitiosum in aliam quoque aetatem inhonesta 5 continuatione perduxerat. denique hic reprehensionem ipsam evidentius aperuit, ubi posuit nova gaudia et qui iuvenum tibi semper erant. novum enim fuit ut maturioris aetatis auderet quod iuvenum fuit. tu autem, ait, iuventa transacta in eiusdem turpitudinis amore mansisti. 10 ordinatio istius loci talis est: tu quoque, Cydon infelix et miserande, dum Clytium flaventem prima lanugine malas securus, nova amorum gaudia, sequeris, qui amores esse iuvenum solent, iaceres stratus Dardania dextera. ecce dicitur cur non sit occisus: *ni fratrum stipata cohors* 15 *foret obvia, Phorci progenies.* ostendit Cydonem, libidini etiam tum deditum cum salutis pericula tractarentur, casu potius Aeneae manibus quam propria virtute liberatum; nam eo momento temporis quo Aenea persequente poterat interire emersere filii Phorci densati simul simulque collecti. 20
330 *septem numero, septenaque tela coniciunt:* periculum in his et manifestum; quis enim unanimes, congregatos et tanti numeri non timeret uno ictu septem tela iacientis? consilium igitur fuit contemnere interim Cydonis necem, ut hosti collecto in catervam resisteretur primitus, in quo 25 maior vis periculi fuit et, si favisset eventus, magna posset de pluribus victoria provenire. *partim galea clipeoque resultant inrita:* veniebant quidem ictus omnium in Aeneae scutum et galeam, sed laedendi corporis nulla proveniebat

---

2 *aptatus* VR *captus* ed. 3 *ei* om. ed. 4 *concidandum* VR *contendendum* ed. *cogitandum* nos. 6 *perduxerat* VR *protexerat* ed. *porrexerat* ed. post. 8 *ubi* VR (supra R *tibi*). | *erat* VR ed. 10 *amorem* VR corr ed. 12 *qui dum* VR ed. *qui* delevi. 13 *securus* VR *sequutus* ed. | *amoris* VR corr. ed. 14 *iuvenum* VR *scelestorum i.* ed. | *iaceris* VR corr. ed. | *dextra* ed. 15 *sipata* VR corr. r. 18 *virtutem* VR corr. ed. 20 *filiis* V. | *densati* VR *et d.* ed. | *simul* VR *sunt* ed. 22 *his et* VR *h. etiam* ed. 23 *iaecientes* VR. 26 *favisset* VR *fuisset* ed. 28 *in* om. V. 29 *corpus* ed.

occasio. dicit causam quae magis faciebat tela inrita: *deflexit partim stringentia corpus alma Venus;* aderat enim mater filio et potentia numinis sui venientium telorum ictus violentiamque frangebat, ne corpus eius aliquatenus
5 laederent. *fidum Aeneas adfatur Achaten:* Aeneas cum vidisset constipati cunei turbam magno adversum se telorum numero certare atque contendere, adlocutus est Achaten fidum sibi et conprobatum in omnibus, ut tela in eos sibi iacienda suggereret; vi enim maiore vis maior fuerat ex-
10 cludenda. *suggere,* inquit, *tela mihi: non ullum dextera frustra torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium Iliacis campis:* quasi consuetudinem haberent illa tela 335 feriendi, sic ait suggere tela mihi quae steterunt in Graiorum corpore, cum pugnaretur in Troia, quasi sic possent
15 stare in corporibus Rutulorum. scio enim haec dexteram meam non frustra esse missuram. *tum magnam corripit hastam et iacit:* magnam hastam posse iacere quantae virtutis est! *illa volans clipei transverberat aera Maeonis et thoraca simul cum pectore rumpit:* thorax dicitur indu-
20 mentum quo bellator usque ad pectus munitur. hasta igitur missa ab Aenea et scutum et thoraca et pectus Maeonis perrupit. *huic frater subit Alcanor fratremque ruentem sustentat dextra:* cum Maeon caderet, occurrit Alcanor, qui exciperet cadentem et sustentaret, si posset.
25 *traiecto missa lacerto protinus hasta fugit traxitque cruenta* 340 *tenorem, dexteraque ex umero nervis moribunda pependit:* Alcanoris mortem hoc modo descripsit; cum enim contineret dextera sua illum qui ceciderat, alia hasta umerum eius percussit, qua causa abscisis nervis pependit manus
30 sic separata a corpore, ut mortem suam testaretur et in-

3 *nominis* VR corr. ed. 8 *in eo si* VR *in eos* ed. *in eos sibi* nos. 9 *suggerat* ed. | *ut* VR *vi* nos cf. 758 *erat* ed. | *vis* VR *vi vis* ed. | *fuerat* om. ed. 10 *non nullum* VR: 11 *stiterunt* VR. 14 *pugnarentur* VR. 17 *quanta* V. 18 *volens* R corr. r. 23 *uentem* VR corr. r. 25 *traxitque* VR *servatque* libri Verg. 26 post *pependit* V prioris paginae partis quosdam versus et alteram totam vacua reliquit, pergit fol. 139 ab *alcanore,* in R nulla intercapedo.

teritum plenum. *tum Numitor iaculo fratris de corpore rapto Aenean petiit:* Numitor, inquit, eodem rapto iaculo quo debilitatus fuerat frater Aenean petiit. *sed non et figere contra est licitum magnique femur perstrinxit Achatae:* magna comitis fides, qui dimicanti sic fuerat iunctus, ut 5 destinatum in Aenean telum ipse proximitatis occasione suscepisset. denique licet in Aenea videretur esse frustratum, femur tamen Achatae percussit, quod non fieret, 345 nisi protegendi officio ei fuisset infixum. *hic Curibus fidens primaevo corpore Clausus advenit et rigida Dryopem* 10 *ferit eminus hasta sub mentum graviter pressa:* dum illi cum Aenea concertant, superveniens Clausus comitantibus Curibus Dryopen hasta eminus missa sub mentum percussit, hoc est superiorem gutturis partem. *pariterque loquentis vocem animamque rapit;* necesse enim fuerat 15 utrumque simul auferri, cum ea pars corporis clausa est qua vox habuit exitum et qua subsidium alendae vitae reperiebat ingressum. *traiecto gutture:* hoc fecerat ictus fortior ferri, quod per illius guttur plena virtute transierat. *at ille,* hoc est idem ipse per cuius guttur transierat 20 ferrum, *fronte ferit terram et crassum vomit ore cruorem:* in faciem hunc adserit cecidisse, quando terram fronte percussit. crassum autem cruorem vomebat, utpote ex parte adhuc vivi, ex parte iam morituri; in vivis quippe corporibus non congelascit sanguis, in morientibus vero 25 constringitur: recte igitur crassum dixit quod vomebat ille, quia partem spiritus interim retinebat et amiserat partem. 350 *tris quoque Threicios Boreae de gente suprema et tris quos*

---

1 *nomitor* V *nominator* R *u* superscr. r. 2 *petit* VR. 4 *ficere* VR. 5 *dimicantis sic* VR temere mut. ed. 8 *achitae* VR. 9 *infixus* VR -*um* nos *adfixus* ed F. 10 *dryiopem* infra *dryopen* VR. 12 *cumcertant* V *certant* ed. 13 *curibus* VR *viris* ed. 15 post *rapit* in lemmate *traiecto gutture* add. ed. 16 *clausa est* VR *causa esset* ed. 17 *alendae* R *colendae* V om. ed. 18 *traiecto gutture* pro lemmate scr. VR pro interpr. ed. 24 *vivi ex* VR *et* interpos. ed. | *morituri* VR *mortui* ed. | *in vivis* V *in huius* R. 26 *vomebat* V *movebat* R corr. r. 27 *quia — amiserat partem* om. ed.: cf. 404. 28 *treieios* VR. | *boreae gentes* VR.

Idas pater et patria Ismara mittit per varios sternit casus: conpendio usus est, ut omnis simul poneret et eorum exitus sub generali significatione transiret. *occurrit Halaesus Auruncaeque manus, subit et Neptunia proles, insignis*
5 *Messapus equis:* cur isti occurrerint dicitur, *expellere,* inquit, *tendunt nunc hi nunc illi:* ad hoc catervatim con- 355 grediebantur, quoniam altera pars nitebatur retinere solidum terrae, altera ne fieret prohibebat. *certatur limine in ipso Ausoniae:* bene dixit limen provinciae finem maris et ini-
10 tium terrae. *magno discordes aethere venti proelia ceu tollunt animis et viribus aequis:* sic, inquit, illi aequis viribus inter se contendebant, quomodo nonnumquam venti animo pares et nisu se invicem conantur excludere. *non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit, anceps pugna*
15 *diu, stant obnixa omnia contra:* non sibi cedentibus ventis ea quoque non cedunt quae ipsi flatibus suis saeviendo commoverint; nam nubila ac mare, dum trudebantur aliis et e diverso aliis sistebantur, manebant uno in loco. *haut* 360 *aliter Troianae acies aciesque Latinae concurrunt: haeret*
20 *pede pes densusque viro vir:* ipsa est enim dimicatio fortior, cum non missilibus, sed gladiis res geritur, hanc dimicandi obstinationem una causa faciebat, quod victoria partium in eo constabat, ut illi contingerent terram aut illi eam teneri non sinerent.

25 *At parte ex alia, qua saxa rotantia late intulerat torrens arbustaque diruta ripis, Arcadas insuetos acies inferre pedestris ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci,* 365 *aspera quis natura loci dimittere quando suasit equos, unum quod rebus restat egenis, nunc prece, nunc dictis virtutem*
30 *accendit amaris:* in alio litoris loco describit exitum habuisse

---

3 *transiret* V *transisset* R (supplente r). | *haelaesus* R *helaesus* r. 4 *subet* VR. 5 *occurrerint* VR *-rent* ed. 6 *hii* VR. 7 *quoniam* VR *quod* ed. 9 *limen* VR *limine* ed corr. ed. post. 18 *manebant* VR *non cedebant* ed. 19 *acies* om. V. 20 *densisque* VR corr. r. | *est* om. ed. 24 *teneri* VR *tangere* ed. 25 *at parte* R *eat p.* V. 26 *arbustasque* R. 27 *lacio* V. | *dari* R.

torrentem, advexisse dirutas arbores et saxa eo infinita traxisse, Arcadas vero equites nec equos inter haec agere nec pedestri contra morem suum pugna certare valuisse, proinde in fugam coepisse converti et terga hostibus dare; hoc enim in adversis esse subsidium solet, ut salus fugiendo 5 servetur, quae dimicando non potest defensari; Pallantem, cum haec vidisset, nunc rogare eos nunc obiurgare coepisse, ne desertam gloriae paterentur pompam, praeponerent fugam et victoriam hostibus linquerent. *quo fugitis, socii?* 370 *per vos et fortia facta, per ducis Euandri nomen devictaque bella spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi:* tenuit omnia quae metuentis revocarent deditque 10 ordinationem pulcherrimam dictis suis. ait quippe primo in loco quo fugitis? hoc est dicere ad quam tenditis partem, cum omnia teneant hostes? per vos; nihil enim unicuique 15 est carum quam ipse sibi est. addidit et fortia facta: hortari ad insuetum certamen unumquemque est semper inefficax, contra commodissimum satis ad inplendos persuasionis effectus exempla propriae virtutis cuipiam demonstrare; potest enim rursum vincere qui laboribus suis 20 tenuit aliquando victorias et ne facta gloriosa ludibriis posterioribus obruat operam dare. per ducis Euandri nomen: ut cogitantes merita sua curarent, ne etiam ducis sui nomen id est triumphos et glorias flagitiis militaribus macularent. ultimo loco commendavit tirocinia sua dicens 25 spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi; aemulus aliquando invidus ut (6, 173) „aemulus exceptum Triton", aliquando imitator ut hoc loco et similibus in-

---

1 *co* VR *eo* ed. 7 *nunc obiurgare* VR *non o.* ed. 8 *nec* VR *ne* ed. | *deserta gloriae pateretur pompae ponerent* VR *deserta gloria paterentur anteponi* ed. 12 *laudi* VR *laudis* ed. | *metuentis* VR *moruentes* edI *moventes* edF. 16 *tam carum* ed., sed cf. v. 859. 17 *ad insuetum* R *adsuetum* V *ad adsu.* ed. | *et semper* VR ed. *est s.* nos. | *inefficax* VR *efficax* ed. 18 *commodissimum* VR *incommodum suum* ed. | *satis* VR *satisque* ed. 19 *propriae* R *-a* V ed. 23 *etiam* transpos. ed. 24 *id est* R *idem* V *item* ed. 25 *dicens* V *dicem* R. 26 *laudi* (et infra) VR *laudis* ed.

tellegendus est. proinde, cum dicit patriae laudi, ostendit imitatorem se paternae virtutis, non invidum. in istius verbis huiusmodi intellectus retinendus est, ut eum ponamus ex aperto dixisse: pater meus, dux vester, multa
5 bella vestra virtute confecit, gloriosus remeavit ex omnibus, cur ergo filius eius et nunc primum ductor vester effectus, cui cum paternis triumphis certamen est primum, non similis redeam? dicit iam quid facto opus sit: *fidite ne pedibus:* in certaminibus, inquit, bellicis spes omnis in
10 dextera esse quam in pedibus debet. *ferro rumpenda per hostis est via; qua globus ille virum densissimus urget hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit:* et nunc, inquit, si viam in patriam quaeritis, rumpatur ista via per hostium globos et caesorum strage perfecta iter virtus
15 quod decet inveniat, sic convenit vos redire cum novo duce, sic intrare patriam, ut qualis solet gloriosos accipiat. *numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoste mortales,* 375 *totidem nobis animaeque manusque:* haec supplementa sunt persuasionis: nullum invidet audentibus numen, una nobis
20 et hostibus nascendi moriendique condicio est, manus totidem gerimus, animae sunt quot illis et nobis. cur metuam pares? cur metuam mecum simul naturae subiectos? *ecce maris magna claudit nos obice pontus, deest iam terra fugae, pelagus Troiamne petamus?* clausit nos mare, negatur fugientibus
25 terra: inveniat virtus quod necessitas negat, ut qui navigare non possumus, Troianorum castra fusis hostibus teneamus. *haec ait et medius densos prorumpit in hostis:* magni suasoris functus est partibus, primus in hostem contendit et non extremos agminis, sed medium agmen inrupit; debuit
30 enim primus confertos invadere qui diversae partis globum

4 *dux vester* VR *d. insignis v.* ed. 5 *vestra* R om. VHOU ed. 6 *cur* om. ed. 8 *redeam* VR *redibit* ed. 10 *esse* VR *magis e.* ed. 14 *caesorum* R *cessorum* V *accedentium* ed. | *strages* VR ed. | *perfecta* VR *perferat* ed. 15 *qui decet* VR *quod d.* nos *ut d.* ed. 16 *quales* VR *qualis* ed. nos (sed accus. est). | *gloriosus incipiat* VR ed. *-os accipiat* nos. 21 *quod* VR *quot* ed. 23 *pelago* ed. 24 *petamus* VR *petetis* ed. 29 *irrumpit* ed. 30 *confertus* VR corr. ed.

380 suadebat esse rumpendum. *obvius huic primum fatis addictus iniquis fit Lagus:* dicendo fatis iniquis obvius fit Lagus ostendit periturum; denique subiunxit eius interitum: *hunc,* inquit, *magno vellit dum pondere saxum,* scilicet quod in Pallantem mitteret; vellit recte posuit, quia terra 5 retinebatur. *intorto figit telo, discrimina costis per medium qua spina dedit:* ut pronus fuit nitens saxum vellere, quod in Pallantem iaceret, sic percussus est intorto iaculo, ut perfossis spina eius et costis ultima discrimina recepisset. *hastamque receptat ossibus haerentem:* quanta ictus illius 10 vis fuerit hoc genere ostenditur, cum hasta vix reducta sit, quae prostrati ossibus penitus inhaesisset. *quem non super occubat Hisbon:* et Hisbon occisus est, sed non super 385 occisi alterius cecidit corpus. *ille quidem hoc sperans:* ille, idem Hisbon, sperabat hoc sibi posse evenire. *nam* 15 *Pallas ante ruentem, dum furit, incautum crudeli morte sodalis excipit atque ensem tumido in pulmone recondit:* cum Hisbon sodalis orbitate percussus amens fureret, Pallas ruentem et incautum excipit et in eius pulmonem ira tumidum totum ensem recondit. sic feriuntur huiusmodi securis 20 percussoribus, quoniam reciproca discrimina non timentur illis aliorsum intentis. *hinc Sthenium petit et Rhoeci de gente vetusta Anchemolum thalamos ausum incestare novercae:* origines singulorum et crimina vel certe alia idcirco addidit poeta, non quo sint locis et tempori necessaria, sed ne 25 390 solis nominibus longus narrationis textus horrescat. *vos etiam Rutulis gemini cecidistis in arvis, Daucia, Laride*

---

1 *addictus* R *addictis* V *adductus* ed. et Verg. libri: interpretatio, quia neglegit, nihil docet. 2 *fit* VR *it* ed. | *lacus* VR *lagus* r. 9 *recipisset* VR. | *reciptat* VR *receptat* r. 12 *paenitus* VR. 13 *occupat* VR, sed Don. *occubat* legisse cum M Verg. ex interpr. iam Hoppius collegit. 18 *perculsus* ed. 19 *ira* om. ed. 20 *totum* om. ed. 20 *securis* VR ed. *securi a* ed. post. (*huiusmodi* subiectum est ut alibi). 21 *quoniam* VR *quo* ed. *quando* ed. post. 22 *sthenium* VR *stelenum* r. *Helenum* ed. | *et troecidae* VR. 23 *versuta* VR *vetusto* r. | *origenis* R. 25 *poeta* VR *postea* ed. | *neces sed* R. 27 *rutuli gemini* VR *-lis g.* nos *gemini Rutulis* ed. et Verg. libri.

Thymberque, simillima proles indiscreta suis gratusque parentibus error: duos quoque fratres dicit manu Pallantis cecidisse Dauco patre uno editos partu, ita similis, ut ipsorum etiam parentum intentionem grato errore con-
5 funderent, fato quin etiam pari; illorum quippe ut uno eodemque momento provenit exortus, ita utrumque unus exitus et vivendi finis absumpsit. hunc utriusque interitum propter laudem victoris speciali descriptione signavit hoc modo: *at nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.*
10 nascendi quidem unum, inquit, vobis extitit tempus, pares venistis in lucem, similes corpore, vivendi quoque condicione coniuncti, sed genus leti diversum vobis Pallas inflixit et separatione suppliciorum dura fecit in ipsa morte dissimilis. dicit iam quomodo diversum in ambobus sup-
15 plicium fuit: *[nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis,] te decisa suum, Laride, dextera quaerit.* alter 395 caput, alter dexteram perdidit, sed abscisa dextera corpus, unde avulsa fuerat, quaerere videbatur. *semianimesque micant digiti ferrumque retractant:* morientes illius digiti
20 movebantur recusantes ferrum, quod tenere non poterant tractare est ferrum tenere et pugnare, retractare autem reicere et recusare. haec fuit supplicii diversitas, ut unus poenam dederit capite, alter abscisa obierit dextera. *Arcadas accensos monitu et praeclara tuentis facta viri*
25 *mixtus dolor et pudor armat in hostis:* Arcades, qui, ut supra meminit, pedestri pugna certare non nossent, Pallantis voce ac factis, dolore simul et respectu pudoris accensi sunt, ut hostem, quem dudum timuerant, persequerentur. ecce quantum proficiunt hortamenta verborum,
30 cum viros timiditas frangit, quantum erigit segnis alienae virtutis exemplum! audiendo ducem et adolescentis in-

---

1 *thymber quae* R. 4 *errare* VR corr. r. 7 *absumpsit* R *absum sit* V. | *hunc* VR *nunc* ed. 10 *paris* VR. 11 *similis* VR. 12 *laeti* VR. 15 *nam* — 16 *ensis* deest in VR, sed explicatur. 26 *pugna* VR *magna* ed. *manu* ed. post. 27 *respectu* VR *ratione* ed. 28 *timuerunt* ed. 30 *viros* VR ed. *vires* ed. post. 31 *ad huliscentis* R *h* del. r. *aduliscentes* V.

tuendo certamina ipsi quoque quasi subita instructi arte ire in hostem et repente gloriam quaerere didicerunt.

400 *Tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter traicit, hoc spatium tantumque morae fuit Ilo. Ilo namque procul validam direxerat hastam, quam medius Rhoeteus intercipit* 5 *optime teutra:* hastam miserat Pallas, ut illum percuteret, sed eodem momento vectus biiugis transiebat Rhoeteus, quo factum est ut medius ipse excepisset ictum in alterius eiectum interitum. teutra accipiendum est, ut veteribus placuit, velut scutum. *curruque volutus caedit semianimis* 10 *Rutulorum calcibus arva:* percussus, inquit, revolutus est curru et, cum adhuc partem aliquam spiritus retineret, spatium terrae quod eius pedibus subiacebat calcibus caedere videbatur; semianimes enim sic faciunt, dum ali-405 quem adhuc dolorem sentiunt. *ac velut optato ventis* 15 *aestate coortis dispersa inmittit silvis incendia pastor:* quemadmodum solet, inquit, voto provenire pastori ut adiuventur vento incendia quae per agros sparserit, addidit et aestatis tempus, quo nullum inpedimentum ex umore incendiis fovendis accedit. *correptis subito mediis extenditur* 20 *una horrida per latos acies Vulcania campos:* et incensa repente medietate silvarum atque consumpta extenditur per inmensam latitudinem flamma. quia de proeliis et dimicationibus loquebatur, aciem Vulcaniam dixit flammarum quae per silvas dispersae conparabantur. *ille* 25 *sedens victor flammas despectat ovantis:* pastor autem sedens et gaudens votis suis incendia suffragari, dominari videt et triumphare flammas in eorum exitium quae ipse desi-410 deravit absumere. *non aliter socium virtus coit omnis in*

1 *subito* ed. | *arte ire* VR *anteire* ed. 4 *fugit ilo* V *fuit tilo* R. 6 *optime* Don. pro adverbio habuisse videtur. | de *teutra* v. interpr. | *te fugiens fratremque Tyren* add. ed. deest in VR neque explicatur. 7 *eodem* om. spatio relicto R *illum* inseruit r. | *vectus* R *ventus* V om. ed. | *transiebat* VR cf. 12, 164. 10 *simeanimes* VR corr. r. 18 *vento* VR *voto* ed. 20 *correctis* R. 21 *vulcani* VR. 24 *dimicatione* ed. | *flammas* ed. 25 *disparse* VR. 26 *ovantes* VR. 27 *videtur* ed. 29 *absumere* VR *progredi* ed.

unum teque iuvat, Pallas: conplevit parabolam; sic enim vota Pallantis iuvabantur sociorum accedente consensu. *sed bellis acer Halaesus tendit in adversos:* sic enim audet qui propria virtute confidit, ut ire non vereatur in plurimos
5 et contra venientis. *seque in sua colligit arma:* totum se scuto communit propter vim plurimorum. *hic mactat Ladona Pharetaque Demodocumque:* illo in loco tris istos mactavit. ecce propter quod dixit bellis acrem atque in sua arma collectum, ut et fortem ostenderet in dimi-
10 cationibus et peritum. unus et solus quantos mactavit! nam et hoc verbum ad exprimendam virtutem hominis additum est; quippe tale est mactat quale fuit cum sacra Aeneas redderet; nam sic positum est (8, 84) „tibi enim, tibi, maxima Iuno, mactat sacra ferens", ut ostenderet ad vicem
15 animalium mutorum, quae in sacris sine reluctatione mactantur, inertis occisos. nec solum hic, sed multis aliis locis invenimus mactat similiter positum, cum occisa pecora significantur. *Strymonio dextram fulgenti deripit ense elatam* 415 *in iugulum:* Strymonius elata manu cum vellet gladium
20 in Halaesi iugulum figere, praeventus ab eo ipsam dexteram perdidit. *saxo ferit ora Thoantis ossaque dispersit cerebro permixta cruento:* non insidiis adpetitus est iste, sed tantum iners fuit, ut veniens saxum in faciem suam non praevidisset, ut fudisset declinando, quo ictu omne
25 eius comminutum est caput et cum ossibus cerebrum sanguisque commixta sunt. *fata cavens genitor silvis celarat Halaesum:* cognito pater quid Halaeso filio inimica fata portarent, silvis absconderat, ne inventum perimerent. *ut senior leto canentia lumina solvit, iniecere manum Parcae*

---

1 *Palla* ed. | *parabulam* VR. 3 *alesus* VR. 4 *vereatur* R ed. *revereatur* V. 6 *commonit* VR corr. r. | *maetat* V *metat* R. 7 *modoconque* VR ergo fortasse *Demodoconque*? 8 *et seque* VR *seque* ed. *atque* nos. 9 *dimicationis* R. 10 *quantos* VR *quot* ed. 11 *ver* pro *verbum* VR. | *exponendam* ed. 13 *enim tibi* om. ed. 15 *mutuorum* VR. 16 *aliis* om. ed. 18 *diripit* r. ed. 22 *iste* om. ed. 24 *ut — declinando* om. ed. 25 *et* — 26 *sunt* VR *ut — sint* ed. 26 *cavens* VR *canens* ed. | *celerat* VR. 27 *cognitu* VR corr. ed.

420 *telisque sacrarunt Euandri:* sed cum sollicitum senem longa aetas traxisset in mortem, deficiente pia custodia destituto intulerunt fata violentiam quam parabant et Euandri telis tradiderunt iugulandum. *quem sic Pallas petit ante precatus:* facta est hic nonnulla obscuritas, quia iunxit petit 5 et precatus, quasi utrumque ad deprecationem pertineat, quod non ita est. petit enim telo dictum est, non verbis. sic, inquit, in eum iecit telum adpetens eius salutem emissis ante precibus, ut futuro facto divinum proveniret auxilium. quantum huic virtutis datur, ut occidi non 10 posset, nisi percussor eius dei iuvaretur auxilio! *da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro, fortunam atque viam duri per pectus Halaesi:* rogat Pallas regionis suae deum, ut duo praestaret quae mortem conficerent inimici, fortunam, ut perveniret ictus, et viam hoc est aditum 15 plagae, quoniam supra dixit „seque in sua colligit arma“ perindeque corpus tectum penetrari non poterat. *haec arma exuviasque viri tua quercus habebit:* arma, quibus ille securus dimicat quibusque munitus est, consecrabo arbori tuae, hoc est armis atque exuviis eius tropaeum 20 suspendam in luco tuo. *audiit illa deus,* illa scilicet quae tenuit deprecatio. ecce iam praestatur via, ut esset oc-
425 casio feriendi: *dum texit Imaona Halaesus, Arcadio infelix telo dat pectus inermum:* quia extrema illi fata debebantur, quae cautus ac diligens praecaverat pater, cum 25 alium cupit a morte defendere, se ipsum nudato pectore oportunum tradidit morti. ecce praestitum est Pallanti quod deprecatione conplexus est, ut videretur nudum hominis pectus et via qua perire potuisset et fortuna, ut ictus haberet effectum. *at non caede viri tanta perterrita* 30

---

2 *traxisset* V *transisset* R. 3 *paraverant* ed. 8 *in* om. V ed. | *fecit* VR *iecit* nos *petit* ed. 9 *ante* R *antea* V ed. | *proveniret* VR *provideret* ed. 11 *deiuvaretur* VR *deviaretur* ed. *dei iuv.* ed. post. 14 *conficerent* R *non ficerent* V *facerent* ed. 15 *perveniat* ed. 16 *quoniam* VR *quomodo* ed. 17 *perindeque* VR *proinde* ed. 25 *praecaverat* VR *precatus erat* ed.

Lausus, pars ingens belli, sinit agmina: nec Lausum terruit istius caedis exemplum aut agminis multitudo, licet cecidisset vir tantae fortitudinis, in cuius salute pars ingens fuerat belli hoc est securitas. *primus Abantem oppo-*
5 *situm interemit, pugnae nodumque morasque:* Lausus occidit Abantem, qui pugnae tamquam obex oppositus inpedimentorum nexus tenebat et moras. propter deiciendum istum, qui moras et inpedimenta praestabat ne ceteri caederentur, dixit agmina praetermissa, isto autem occiso patuisse in
10 ceteros viam et omnis morarum nodos unius interitu dissolutos. denique sequitur *sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci et vos, o Grais inperdita corpora, Teucri:* 430 cum Arcadibus atque Etruscis sternebantur et Troiani, qui Iliensis belli calamitates evaserant. *agmina concur-*
15 *runt ducibusque et viribus aequis:* concurrere est agmina currendo miscere, item concurrere est pugnare adversus alium et pati pugnantem. in nullo, inquit, fuerat metus, quoniam in exercitibus fuit aequalis virtus et in ducibus fortitudo consimilis. *extremi addensant acies:* qui in ex-
20 tremo agminis fuerant densabant sese; qui enim densi constiterint melius tuti sunt. *nec turba moveri tela manusque finit:* tanta fuit multitudinis constipatio, ut nec manus quisquam nec tela movere potuisset. *hinc Pallas instat et urget, hinc contra Lausus nec multum discrepat aetas:*
25 instat et urget et ad Pallantem pertinet et ad Lausum; magna autem libra aetates eorum descripsit: primo non dixit quis quot esset annorum, quoniam natalis utriusque

---

1 *nec lausu* R corr. r. *n. lausus* V. 3 *vir* R *vis* V: hoc loco quomodo Don. verba poetae aut legerit aut coniunxerit aut intellexerit me nulla coniectura assequi fateor; rem non expedivit Hoppe p. 3. 5 *interemit* VR *interimit* ed. | *nudumque* VR. | *morasque* R om. V *moramque* ed. et Verg. libri. 8 *moras* VR *m. et* ed. | *nec* VR *ne* ed. 11 *denique* VR *deinde* ed. 12 *corpora* VR *pectora* ed. 13 *arcadius* VR. 14 *eveserant* V. 17 *motus quum* ed. 19 *addensant* V *addansant* R *densant* ed. 20 *sese* VR *se* ed. 23 *Pallas hinc* ed. 27 *quis quod* VR *q. quot* nos *quis* om. ed. | *essent* ed. | *quoniam* VR *quum* ed.

non noverat, nec dixit aetatum ipsarum definitam distantiam nec quis alterum numero praeiret annorum, inter aetates,
435 inquit, amborum non plurimum fuit. *egregii forma:* ad omnia pertinet laus ista formae et talis intellegi potest qualis Euryali fuit, de quo dixit (5, 344) „et pulchro 5 veniens in corpore virtus". *sed quis,* hoc est sed quibus, *Fortuna negarat in patriam reditus:* ambo enim mox fuerant morituri, quod futurum idcirco praedixit poeta, quoniam noverat ordinationem carminis sui. *ipsos concurrere passus haut tamen inter se magni regnator Olympi:* cum pro suis 10 partibus starent, non eos permisit Iuppiter inter sese confligere. *mox illos sua fata manent maiore sub hoste:* servabantur enim, ut sub hoste maiore procumberent; alterum enim Turnus, alterum Aeneas occidit.

440 *Interea soror alma monet succedere Lauso Turnum,* 15 *qui volucri curru medium secat agmen:* dum talia gererentur, Iuturna admonuit Turnum ut Lauso succederet, qui turbidus illo tempore volucri curru medium agmen secabat. volabat, inquit, curru et tanti agminis nullo tenebatur inpedimento: ita cedebant omnia properanti. *ut vidit socios,* 20 *tempus,* † *desistere pugna:* vidit bis accipiendum, ut sit vidit socios, vidit et tempus; ut ad socios, inquit, venit et vidit quid ageretur, scilicet quod in praesenti esset Pallas tempus oportunum nanctus, ut omnium conquiesceret pugna, *solus,* ait, *ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas* 25

---

1 *novisset* ed. 2 *quis* VR *qui* ed. | *praeire tannorum* R *prae ire tantorum* V *praeiret. tantorum* ed. *pr. tantum* ed. post. 3 *plurim* VR. | *egregia* ed. 4 *omnia* VR *omnes* ed. 5 *euryalia* V. 6 *sed* erasum in R. 7 *in patria reditum* VR. 8 *quoniam noluerat* VR *qu. noverat* nos cf. 11, 565 temere mut. ed. 11 *eos* om. ed. | *sese* VR *se* ed. 12 *magore* V. 15 *succurrere* ed. 16 *currum medium* VR. | *talia* VR *alia* ed. 17 *succideret* (in lemmate recte) VR *succurreret* ed. 20 *praeparanti* R. 21 post *tempus* distinxi propter interpretationem. | *desistere pugna* VR *d. pugnae* ed. et optimi Verg. libri. sed infinitivo quid faciamus in interpretatione Donati non video, *desistite* eum legisse puto. 24 post *Pallas* distinxit ed., ego non distinxi. | *omnium* om. ed. 25 *ait* om. ed.

debetur, cuperem ipse parens spectator adesset. solus, inquit, ibo in Pallantem; soli enim mihi eius debetur interitus. ego ab ipso debitum supplicium petam, atque utinam pater eius praesens esse potuisset, videret orbi-
5 tatem suam, videret quem Troianos suscipiendo contempsit. loquebatur quasi iam sperata perfecisset, vellem, ait, ipse parens (ipse non dubium est quanta significet: ipse amator scilicet hostis mei, ipse qui adversario meo procuravit auxilia, ipse qui tantum favit inimico, ut etiam filium,
10 quem unicum habuit, in augmentum auxiliorum daret) spectator adesset, ipse probaret virtutem meam, ipse suis oculis cerneret orbitatem suam et omne generis ac posteritatis suae nomen extinctum, ipse non audiret interitum fili, sed cerneret, ureretur videndo funus suum et poenas
15 animi et corpore daret. hic quoque Vergilius firmat graviora esse mala quae perpetiuntur videntes, aliquanto vero leviora quae audiunt. *haec ait et socii cesserunt aequore iusso:* cum iussionis fine praecepta conpleta sunt, cesserunt omnes socii, ut patefieret spatium. *at Rutulum* 445
20 *abscessu iuvenis tum iussa superba miratur:* auctoritatem iubentis ac superbiam miratus est Pallas, quam probavit in abscessu Rutulorum. *stupet in Turno:* et hoc magis in Turno stupuit, quod sic obsequenter auditus est. *corpusque per ingens lumina volvit obitque truci procul omnia*
25 *visu:* inimicis oculis singula inimici membra pendebat. *talibus et dictis it contra dicta tyranni:* ut se ostenderet Pallas verbis Turni non territum, sic contra respondit: *aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis aut leto insigni:* 450 *sorti pater aequus utrique est. tolle minas.* quia dixit
30 contra dicta tyranni talibus respondit, exponit in responsione Pallantis quid sit contra dicta. Turnus quippe in

---

1 *expectator* VR. 4 *videret* VR *ut v.* ed. 6 *loquitur* ed. 11 *spectator* VR *si sp.* ed. 15 *animi* VR *-mo* ed. 16 *quae*— 17 *audiunt* temere mut. ed. 20 *miratur* VR *miratus* ed. et optimi Verg. libri. 24 *per* om. V. 25 *perpendebat* ed. 26 *econtra* pro *it c.* VR. | *se* post *Turni* transpos. ed. 27 *territum* VR *esse deterr-* ed. 29 *sorte* VR. 31 *dicta* VR *eius sententiam* ed.

eo ponebat ex morte Pallantis gloriam suam, ut pater eius orbitatis supplicia penderet. quod igitur pro magno habuit Turnus Pallas respondendo vacuavit; dixit enim duo, quae sperantur in pugna, facere pro partibus suis, atque ex his quod eventus adferret laturum aequis animis 5 patrem. quae autem sint duo ipsa cum suis commodis disserit. aut occidam te, inquit, et habebo de morte tua maximam spoliorum et victoriae gratiam aut, si adversa occurrerint, ero insignis inter ceteros viros fortis, quos condicio fortunae adversantis invenit. certe, inquit, quic- 10 quid acciderit feret pater meus, qui scit esse gloriosum vincere et non indecorum occumbere in campo dimicantem; quippe ille genuit virum fortem et utrique fortunae commisit paratum animum ad omnis eventus gerens: quapropter frustra spargis vanos inanisque terrores. *fatus* 15 *medium procedit in aequor:* qui in medium campum procedit, hoc est separatus a suis porro accedit, ostendit se nihil metuere. *frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis:* cum hoc Pallas fecisset, obriguit sanguis sociorum eius et recedens ex toto corpore ad singulorum praecordia revo- 20 catus est. hoc vult dicere, quod prope exanimes starent; videbant enim inpar fore certamen. *desiluit Turnus biiugis, pedes adparat ire comminus:* tanta in Turno fuerat spes certa vincendi, ut relicto curru et biiugis, quibus fidebat, pedes comminus certare maluisset. *utque leo,* 25
455 *specula cum vidit ab alta stare procul campis meditantem in proelia taurum, advolat, haut alia est Turni venientis imago:* ficta per parabolam species pro personis et facto; sic enim Turnus desiluit biiugis, quomodo leo advolat, cum in campo viderit taurum proelia meditantem: Turnum 30 conparat leoni, Pallantem tauro, ut ex hoc iam praevideri possit cuius dicturus sit provenisse victoriam. adiecit

---

5 *aequo animo* ed. 8 *gratiam* VR *gloriam* ed. 11 *ferit* VR *feret* r ed. 15 *minas ac* post *spargis* interpol. ed. 17 *hoc est* VR *quum* ed. 24 *relictis* ed. 27 *in proelia* VR ed.: in interpr. deest *in* fortasse variandi causa. 29 *disiluit* V.

meditantem proelia, quia et Pallas tunc primum belli
certamina coeperat meditari. *hunc ubi contiguum missae
fore credidit hastae, ire prior Pallas, si qua fors adiuvet
ausum viribus inparibus, magnumque ita ad aethera fatur:*
5 Pallas ubi processit, ut dictum est, et se a suis progre-
diendo discrevit et medium, quod inter se et Turnum
remanserat, spatium ratus est ictui posse sufficere et
hostem iaculo posse contingi, ire voluit prior, ne forte
virtute inparem aliqua ratione posset iuvare fortuna. pro-
10 inde fundendam credidit precem, ut favore rogati numinis
faceret quod humana virtute et adhuc parva conplere non
poterat. *per patris hospitium et mensas quas advena adisti* 460
te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis: non illum con-
venit ut deum, sed convenit ut hospitem patris; recepisse
15 enim hospitio venientem, solum, incognitum, peregrinum,
suscepisse parietibus, humanitatem praebuisse, communi-
casse mensas, ubi omnis religio amicitiaque firmatur,
quanti est meriti! quasi illud diceret quod in evidenti est
noscere: etsi deus factus es meritis tuis, fuisti tamen ali-
20 quando homo, fuisti hospes patris mei, fuisti conviva,
habes ubi vicem reddas. post deprecationis necessarium
textum subnectit summam petitionis suae. *cernat semineci
sibi me rapere arma cruenta victoremque ferant morientia
lumina Turni:* videat me moriens Turnus sibi rapere arma
25 sanguine suo perfusa et, antequam mors plena eius oculos
claudat, victorem ferat quem crediderat periturum. *audiit
Alcides iuvenem magnumque sub imo corde premit gemitum* 465
lacrimasque effundit inanis: audiit rogantem Alcides et,
quod fatis obstantibus prodesse perituro non posset, in-
30 gemuit et flevit. inanis lacrimas ait quae periturum iuvare
non possent. *tum genitor natum dictis adfatur amicis:*
dolentem filium Iuppiter consolabatur dictis suis. vult

7 *ictus posse efficere* ed. 10 *credit* ed. | *pavore* VR
favore ed. 16 *parietibus* VR *domi ac omnem* ed. 17 *re-
legio* V. 18 *quanti inest* V *qu. est* R ed. *qu. id est?* 22 *tex-
tum* VR *contextum* (ut solet) ed. 29 *quod* VR *in quo* ed.
30 *inanis* VR *effudit i.* ed. 32 *vult* VR *unde* ed.

Vergilius pro loco ostendere nullum deum contra fatorum sententiam aliquid posse praestare, cum nec Hercules prodesse potest Pallanti nec Iuppiter cuiquam subvenire. *stat sua cuique dies, breve et inreparabile tempus omnibus est vitae:* inducit ex generalitate consolationem, pertinentem 5 tamen ad specialem causam. unicuique, ait, stat dies sua, hoc est decreta et semel adscripta. breve et inreparabile tempus omnibus est vitae: atque hoc ipsum vivendi tempus angusto clauditur fine et, cum fuerit lapsum, non potest reparari. *sed famam extendere factis, hoc virtutis* 10 *opus:* proinde quia vita hominum brevis et sine reparatione est, humana industria repperit ut virtus extendat memoriam, quae alio genere invidente natura non valuit dilatari. ab exemplis auget consolationem et a maiore 470 ad minus: *Troiae sub moenibus altis tot nati cecidere deum:* 15 si, inquit, aliquid mutari post fata potuisset, tot deorum filii non morerentur in Troia. *quin occidit una Sarpedon, mea progenies:* haec probatior adsertio fuit, cum ipse Iuppiter, qui divina omnia atque humana moderatur et regit, dicit se filio suo, ne periret in Troia, prodesse ne- 20 quisse ac per hoc ait: nec Sarpedon illic occumberet filius meus, si fatorum cursum vel ipse mutare potuissem. *etiam sua Turnum fata vocant metasque dati pervenit ad aevi:* per occasionem leti Pallantis ostendit etiam Turnum fatis iam urgentibus periturum, cum eum dicit ad vitae suae 25 metas pervenisse, quasi hoc genere solaretur dolentem, si interfector Pallantis mox esset secuturus occisum. *sic ait atque oculos Rutulorum reicit arvis:* et dictis finem fecit et ab arvis Rutulorum reiecit oculos suos. quid enim prodesset videre eum cui non potuit ope aliqua subveniri? 30 475 *at Pallas magnis emittit viribus hastam vaginaque cava*

---

1 *voluit* post *ostendere* interpol. ed. post. 3 *potest* VR *posset* ed. 12 *est* om. ed. | *repperit* VR *reperit* ed. 16 *post fata* om. edF. 19 *atque humana* VR *humanaque* ed. 20 *perire* VR corr. ed. | *in troiae* R. 22 *vel* om. ed. 23 *turnum sua* VR. 26 *quasi* VR *qui* ed. 29 *ab arvis* VR *ad arva* ed. 30 *prodesse* VR corr. ed.

fulgentem diripit ensem: simul duo fecit ad necem Turni necessaria: hastam misit et eduxit vagina gladium, ut, si hasta optatum tenuisset eventum, mox ille parato mucrone plenum de hoste supplicium reportaret. *illa volans umeri*
5 *surgunt qua tegmina summa incidit atque viam clipei molita per oras tandem etiam magno strinxit de corpore Turni:* hasta, cum volaret, sic cecidit, ut per summas oras clipei, qua tegebat umeros Turni, post aliquantulas moras viam in corpus hostile reppererit non solum traiectis muni-
10 mentis verum etiam vulnerato ipso qui se plurimum praeferebat. *hic Turnus ferro praefixum robur acuto in Pallanta* 480 *diu librans iacit atque ita fatur:* Turnus, ubi ex vulneris causa violentior factus est, hastam diu librans in Pallanta iecit contemplatus diu ubi Pallantem oportunius ferire de-
15 buisset, simul haec prosecutus est verbis: *aspice num mage sit nostrum penetrabile telum:* proba, inquit, exitio tuo cuium magis sit penetrabile telum, hoc est tuum an meum. *dixerat, at clipeum, tot ferri terga, tot aeris, cum pellis totiens obeat circumdata tauri, vibranti cuspis medium*
20 *transverberat ictu loricaeque moras et pectus perforat* 485 *ingens:* hastam dixit in scutum Pallantis fortissimo ictu pervenisse atque, ut melius probaret hoc ipsum, scuti primum firmitatem voluit nosci. cum multa, inquit, scutum terga habuisset aeris et ferri corioque esset circumdatum
25 plurimo, sic tamen perfossis omnibus et loricae dissolutis inpedimentis pectus Pallantis, quasi nihil obstitisset, plena virtute perruptum est. cum in medio posuit, nos ponamus in capite et in medio et erit nulla confusio: cum clipeum quem Pallas gestabat tot ferri terga, tot aeris ambirent,
30 cum pellis tauri totiens oras eius circumdaret, sic tamen

1 *facit* ed. 3 *illo* ed. | *mugrone* VR corr. r. 6 *oras* VR *ossa* ed. corr. ed. post. 8 *quae* VR ed. *qui* ed. post. *qua* nos. 9 *reperiret* ed. | *munumentis* V *monum.* R. 11 *ferrum* VR (sed R ipse corr.). 12 *diui* pro *diu* V. | *ibi* V. 16 *magis* VR *mage* r. 17 *cuium* VR *cuius* ed. 18 *feri* VR. 20 *perfoderat* VR. 23 *primum* VR *prius* et transpos. ed. 27 *praeruptum* VR ed. | *cum* VR *quod* ed. | *inponamus* R. 30 *ora* VR ed. *oras* nos.

evictis omnibus ingens pectus hasta veniens patefecit. *ille rapit calidum frustra de vulnere telum, una eademque via sanguis animusque secuntur:* existimans Pallas se sibi auxilio fore rapuit infixum telum corpori suo ratus id ipsum saluti retinendae profuturum, sed id factum est 5 frustra; nam educto telo mox anima cum sanguine effusa est. *conruit in vulnus:* non revolutus est moriens, sed in faciem concidit. *sonitum super arma dedere:* cum ille conrueret, non solum eadem corpus eius verum etiam scutum maximum sonum dedit. *et terram hostilem moriens* 10 *petit ore cruento:* ecce ubi apertius demonstratus est quia in faciem concidit. occisus enim premebat hostilem terram, quam persequebatur incolumis. cruento ore, inquit, quia unusquisque vulnere letali percussus etiam per os sanguinem fundit. 15

490 *Quem Turnus super adsistens,* hoc est super quem Turnus adsistens, *Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte Euandro: qualem meruit Pallanta remitto:* insultans Turnus et victoriae successu superbior factus tenete, inquit, Arcades, memoria verba mea et retenta 20 ad Euandrum ferte: revoco ei filium suum non qualem optavit, sed qualem meruit. *quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est largior:* fieri non potuit ut hostis et Euandro et Pallanti infensus pro malefactis benivolentiam redderet, unde sub imagine humanitatis, dum 25 sponte patri reddit occisum, etiam patrias poenas conatur exigere. supra enim professus est quid animi gereret; nam dixit „solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas debetur, cuperem ipse parens spectator adesset". quod

---

2 *alidum* VR. | *de* om. V. 3 *sanguisque* ed. | *animaque* VR. | *exaestimans* VR. 4 *corpore* ed. 7 *in vulnus* VR *in vultus* ed.: hoc Don. legisse interpretatione non efficitur, quia vulnus adversum fuit. 9 *eadem* VR edI *cadens* edF: *eādem* post *scutum* expectes, emendatio Fabr. admodum placet. 11 *demonstratus* VR ed. *-tum*? 13 *quam — incolumis* (*incolumes* VR) om. ed. 14 *sanguinem* om. R. 21 *revoco* VR *remitto* ed. | *qualem optavit* VR *qu. ipse o.* ed. 22 *honestumuli* VR. 28 *ferar* (supra 442 *feror*) VR.

quia factum non est, alio genere cupiebat inpleri, ut qui cadentem filium spectare in campo non potuit in sedibus suis positus videret occisum. levius enim, ut supra dictum est, dolentur audita mala, gravius vero, si videantur. ad-
5 didit qualem meruit Pallanta remitto, ut evidentius appareret non benivolum illum gerere animum, sed amari hostis durum inmaneque commentum. *haut illi stabunt Aeneia parvo hospitia:* parvis opibus rex quaesiit Troia- 495 norum foedera: quod factum est mox probabit stare non
10 posse. hoc dictionis genere potuit intellegi quod spem gereret etiam Euandrum persequendi, scilicet superatis Troianis et auxiliis quae Aeneae fuerant iuncta. *et laevo pressit pede talia fatus exanimem rapiens inmania pondera baltei:* et talia locutus laevo pede corpus defuncti Pallantis
15 pressit, rapiens ei gravissimi ponderis balteum. expressit conatum retrahentis balteum; supra enim iacebat Pallas nec extrahi potuit, nisi manus nitentis iuvisset pedis auxilium. habuit species ipsa etiam proprium pondus, quod veniebat ex auro. unde apparuit duplicem causam fuisse
20 rapiendi, unam propter insigne victoriae, alteram propter speciei meritum, quod augebat auri taxatio et artis industria. *inpressumque nefas:* inpressa in auro fuit admissi sceleris fabula continens haec: *una sub nocte iugali caesa manus iuvenum foede thalamique cruenti:* magnum
25 in hoc facto sceleris fuit exemplum, quod usque adeo poetae displicuit, ut acerbitatem eius diversis exprimat rebus: a numero, una inquit; a tempore, sub nocte; ab adfectu, iugali; a persona, quod inter eos qui fuerant

---

1 *factum est* VR ed. *f. non est* ed. post. | *cupiebant* VR *cupiebat* ed. 2 *expectare* VR corr. ed. | *potuisset* ed. 4 *dolentur audita* VR temere mut. ed. 8 *quaesiit* VR *quae sunt* ed.: Don. *parvo* cum *illi* coniungit. 16 *conatum* VR *ornatum* ed. | *retrahentis* VR *detrahentis* ed. | *supra* VR *s. balteum* ed. | *iacebat pallas* R *trahentis baltheum* interpos. V (item HO) oculis in superiorem lineam aberrantibus *iacebat defuncti corpus* ed. 17 *nitentis* VR *intentis* ed. | *pedis* R *pedes* V *pedibus* ed. cum prava distinctione. 20 *insignem* V. 28 *a persona* — 356, 1 *vis* partim om. partim mut. ed. | *quod* om. VR.

iugali religione coniuncti tanta extiterit vis. ait ergo quis speraret nocte una et prima, qua ad coniunctionem matrimonii perficiendam dulcior nulla est, scelus in sponsos et iuvenes virginum manu conpleri potuisse? quis hoc non nefas appellet? quis sine gemitibus referat tot valentis 5 aetate femineis turpiter interemptos insidiis, deceptos reverentia thalami et circumventos illic ubi amores pii, non odia execranda vertuntur? *quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro:* caelatura nomen est artis, quae illic intervenit ubi substantia minor est, ut latitudinem non multa 10 species, sed producta in tenuiorem laminam vestiat. in balteo isto regali caelaturae opus occurrebat, sed plurimo ex auro, non ut in aliis operibus ex parvo perfecta. denique ipsa Turno extitit causa rapiendi, quod arte praestaret 500 et pondere. *quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus:* 15 *nescia mens hominum fati sortisque futurae et servare modum rebus sublata secundis:* hoc, inquit, Turnus spolio arbitrabatur factum se esse gloriosum et laetabatur ex eo ignarus suae sortis et fati, quod iam urgeretur in mortem, cum in rebus secundis et in altitudinem prosperam repente 20 sublatis debuerit servari modus et adversae quoque fortunae considerari condicio. *Turno tempus erit magno cum optaverit emptum intactum Pallanta et cum spolia ista* 505 *diemque oderit:* gaudebat in praesenti futuri nescius exitus sui, non prosperis suis rebus, sed inde magis unde laeta- 25 batur adversis. faciebat hunc mentis errorem inprudentia futurorum. ceterum inminebat iam tempus quo idem Turnus Pallantem optaturus esset incolumem sumptibus

---

1 *religioni* V. | *tanti* V. | *qui speraret* VR ed. 3 *sponsus* V *-sum* ed. 4 *manum complere* ed. 5 *sine gemitibus* VR temere mut. ed. 8 *vertuntur* VR *virtutum* ed. | *clonus* V in *bonus* corr. R vel r. 9 *celaverat* V. 10 *minor est* R *minorem* V *inest minor* ed. 12 *regali* VR *r. et* ed. | *cocurrerat* V *cuc-* R *conc-* ed. *occurrebat* nos. 13 *aliis* om. ed. | *reiecta* VR ed. *perfecta* nos (*re* pro *per* cf. 9, 391 *i* pro *f* cf. 8, 176). 17 *sublatis* V. | *Turnus* om. edF. 18 *ex* om. ed. 19 *fortis* V. 20 *cum* VR *quem* ed. 21 *servare modum* ed. 22 *considerare* VR ed. corr. r. | *condicio* VR *-nem* ed. 23 *temtum* VR corr. r.

magnis et ingenti pretio revocatum et quo spolia ipsa ipsumque momentum quo rapta sunt fuisset oditurus. haec proponendo praenuntiabat poeta evasurum fuisse Turnum, si Pallanta non peremisset aut balteo eius non fuisset 5 accinctus. interea si quaeramus causam descriptae fabulae, quae auro baltei tenebatur inpressa, nulla alia coniecturae occurret nisi quia et ipse Turnus in causa non concessarum nuptiarum fuerat moriturus. *at socii multo gemitu lacrimisque inpositum scuto referunt Pallanta frequentes:* verus 10 hic dolor expressus est, cum funus Pallantis multo gemitu atque uberioribus lacrimis frequentes prosecuti sunt socii. scuto, inquit, referunt: quantus fuerat dolor, ut quo defendi incolumis solet portaretur occisus! *o dolor atque decus magnum rediture parenti:* duo proposuit, utrisque 15 respondit; dolor enim ad personam patris pertinet, decus vero ad memoriam mortui, qui dixerat „aut leto insignis" et qui scierit gloriae dari, si adverso vulnere cadat in bello vir fortis. denique sequenti dictione ipse aperit poeta quid adferret dolorem, quid ostenderet decus: *haec,* 20 inquit, *te prima dies bello dedit, haec eadem aufert:* pars ista pertinet ad dolorem; gemendum enim fuit optimae spei iuvenem eodem die oppressum quo auspicia est dimicationis ingressus. ecce dicuntur partes gloriarum propter malorum consolationem et ut ostendatur decus eius: *cum* 25 *tamen ingentis Rutulorum linquis acervos.* etsi, inquit, acerbum est quod cecidisti, dum fortiter facis, sic tamen incurristi ultimum fatum multis hostibus in acervum strage facta congestis. addidit acervos ingentis, ut cumularet

---

1 *et quo* VR *quo* ed. | *ipsa diemque oderit ipsumque* VR ed. *diemque oderit* delevi ut ex lemmate inepte iteratum. 2 *oditurus* VR *osurus* ed. 3 *pronuntiabat* ed. 4 *eius* VR *ipsius* ed. 6 *coniectura occurreret* ed. 7 *congessarum* VR corr. ed. 14 *utriusque* V. 17 *scierit* VR ed. *scierat?* 19 *adferit* VR *afferat* ed. | *quidque decus ostendat* ed. 20 *dedit* om. V. 21 *ingemendum* ed. 22 *auspiciae* V *auspice* ed. | *dimicationem* ed. 24 *malorum* VR *maiorum* ed. 25 *linques* V. 28 *congestis* VR *coniectis* ed.

laudem quaesitam in adversis ex acervorum infinito numero et magnitudine generaliter posita.

510 *Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor advolat Aeneae:* hoc malum non fama, quae solet nonnumquam pro veris falsa conponere, sed certus auctor et nuntius ad 5 Aenean fideliter vexit tanta maturitate, ut ipsam quoque famam celeritate praeverteret. addebat ille nuntius: *tenui discrimine leti esse suos,* hoc est inter ipsos et mortem modicum remansisse morae discrimen. *versis tempus succurrere Teucris:* tempus esse suggerebat quo versis suis 10 Aeneas idem subvenire debuisset. bene temperavit versis tempus succurrere, quasi qui suadebat subveniendum, ut esset metus et spes; facile enim extingui possent, si nullus succurreret utpote versis, facile vero evadere interveniente maturo auxilio, quoniam non ad plenum fuerant superati. 15 *proxima quaeque metit gladio latumque per agmen ardens limitem agit ferro:* quid faceret qui properabat ad suos, cui dictum fuerat subveniendi tempus urgere et hostibus in medio positis transire non poterat? quae igitur proxima fuerant metit gladio. metere dicimus secare falcibus segetem, 20 quae, cum absciditur, non resistit et ferro tota facilitate subiecta est. et iste caedebat medios non occidendi adfectu, quoniam properabat, sed ardore transeundi. idcirco addidit latumque per agmen ardens limitem agit ferro. quantae fuit virtutis per infinitam bellantium latitudinem 25 aperire caesorum funeribus viam et incolumem transire 515 per medios! *te, Turne, superbum caede nova quaerens:*

---

2 *magnitudinem* VR corr. ed. 5 *conponere* VR *nuntiare* (transpositum) ed. 6 *vexit* VR *venit* ed. 7 *celeriter* ed. 8 *leti* R *lecti* V. 9 *remansisset* VR corr. ed. | *tempus versis* VR, sed in interpretatione *versis tempus,* unde correxi. 13 *fallire* VR *fallere* r. *facile* corr. ed. 15 *quoniam* VR *quum* ed. | *fuerant* VR *fuerint* ed. 18 *cui* VR *et cui* ed. 20 *meti* VR. | *medere* VR. | *segitem* VR. 21 *abscinditur* ed. | *facilitate* VR *fato facile* ed. 22 *cedebat* VR. 23 *quoniam* VR *quum* ed. | *properabat sed* VR ed. *sed* ante *quoniam* expectes. 25 *per* R *pro* V ed. | *infinitam b. latitudinem* VR *-ta b. -ne* ed. 26 *cessorum* V ut 372.

occidendus fuit ante omnis qui illo tempore causas tanti doloris inflixerat. bene positum quaerens: cum enim inter plurima quod magis necessarium est quaeritur, negleguntur cetera et removentur in partem, ut ad id perveniatur 5 investigando et scrutando quod necessitatem inquisitionis invexit. quaerebat igitur Turnum occisi Pallantis causa et hunc caede nova hoc est exquisito supplicii genere cupiebat extinguere. *Pallas, Euander, in ipsis omnia sunt oculis, mensae quas advena primas tunc adiit dextraeque* 10 *datae:* volvebat Aeneas omnia in animo suo, ante eius oculos stabant universa, primus Pallas, quem bellis inmature miserrimus crediderat pater, aetas adolescentis et spes, vel quod unicus seni, Euander pater, scilicet orbatus filio, pater in occidua aetate deceptus, benivolus 15 hospes, humanus, utilis, commodus, largitor auxiliorum, in dando facilis, in providendo praecipuus; mensae quas advena primas tunc adiit dextraeque datae, communicatio mensarum, quas primas ei exhibuit in Herculeis sacris, quas adiit primas, ad quas venit incognitus quibusque 20 advena, cum veniret, exceptus est. harum quanta religio, quam mensis ceteris potior, quarum reverentiam humanitas hominis et dei praesentis testimonium duplicaverat, iunctarum etiam dexterarum fides, iura initae societatis amicitiaeque sine difficultate susceptae! haec omnia divisit, 25 ne continuata foedarent dictionis ornatum, et interposuit in ipsis omnia sunt oculis. nos hoc ipsum ponimus in capite, ut ordinatio inlustriorem faciat intellectum, hoc modo: in ipsis omnia sunt oculis, Pallas, Euander, mensae,

---

2 *inflixerat* VR *invexerat* ed. 7 *caede nova* R *de nova* VHOU *de novo* ed. | *haec est* R. | *exquesito* V *exquaesito* R. 8 *extinguere* R *ex genere* VHU *invenire* ed. 9 *primus* VR ed. ex interpr. correxi. | *dextrae quae* VR. 11 *immaturum* ed. 13 *seni* VR *senit* pro *senis* ed. unde *fuit* ed. post. 17 *primas tunc* VR *primus t.* ed. 18 *quas primas* VR *quas* ed. | *Herculis* ed. 19 *primas* in *-us* corr. V *primus* R ed. *primas* hic quoque scripsi, nam *incognitus* non obstat, quia Don. *primas* non primas in Latio, sed primum intellegit. 20 *harum* VR *horum* ed. | *relegio* VR. 21 *quam* VR *quantum* ed.

dextraeque datae, ut haec sint omnia quae ille ponebat ante oculos suos et pro praesentibus recensebat. *Sulmone creatos quattuor hic iuvenes, totidem quos educat Ufens*
520 *viventis rapit, inferias quos inmolet umbris captivoque rogi perfundat sanguine flammas:* Sulmonis filios quattuor et 5
Ufentis totidem, hoc est quattuor, sicut vivi fuerant, rapuit. in octo hominibus non abductis, sed raptis quanta Aeneae virtus ostenditur! quantum obsequium propter honorandam memoriam mortui! hoc idcirco faciebat, ut hostium nece manis placaret occisi et captivorum sanguine rogi per- 10
funderet flammas.

Inde Mago procul infensam contenderat hastam, ille astu subit ac tremibunda supervolat hasta: posteaquam illos rapuit vivos, hastam misit in Magum, sed cum illa altior vaderet, ille per astutiam humilem se fecit et supervolante 15
iaculo ictum quem fuerat excepturus evasit. *et genua amplectens effatur talia supplex:* et, quoniam transmissa hasta Aenean in totum evadere non potuerat, ad genua eius cum huiusmodi prece confugit: *per patrios manis et spes surgen-*
525 *tis Iuli te precor, hanc animam serves gnatoque patrique:* 20
duo deprecationis commoda tenuit, patris memoriam et spem fili surgentis, alterum quod consecratum esse apud Aenean debuit, alterum quod contemplatione fili esse debuit pium; petiturus autem pro se etiam fili sui nexuit causam, propter quem vivere cupiebat. recte a similibus personis prin- 25
cipia petitionis induxit. si peperceris, inquit, mihi, servabis me et filium meum perindeque non unum, sed duos. ecce rogabat eum cui filius esset et nosset quomodo posset exoriri deceptio, si filius perderet patrem, vel quid boni, si liberari meruisset. verum ne solae preces inpetrationem ob- 30

---

7 *adductis* ed. 10 *rogi* VR *regi* O *regis filii* edI *rogi filii* edF. 13 *tremebunda* r. ed. 14 *magnum* VR *n* del. r *Magonem* ed. 15 *evaderet* ed. 16 *accepturus* ed. | *genuam plectens* VR. 17 *effatus* ed. | *quum* — 18 *potuisset* ed. 18 *genua* VR *genus* ed. 19 *spes urgentis tulite praecor* VR *spem* ed. 23 *alterum quod contemplatione filii esse debuit* R om. VHMOU ed. 25 *a* om. ed. 29 *deceptio* VR *detrimentum* ed.

tinere non possent, promittit et praemium. *est domus alta,* hoc est locuples et magnarum divitiarum. magna ars dicendi ut promissurus pretium pro conservatione sanguinis sui primo in loco ostenderet esse dandi substantiam; frustra
5 enim promittitur ubi non suppetit quod inpendi possit aut debeat. in eo ipso quoniam dici potuit sed non tanta facultatum copia est quae redemptionem congrua largitione possit inplere, addidit *iacent penitus defossa talenta caelati argenti:* et obrutum dixit, ut magnam materiae osten-
10 deret copiam, et ab arte duxit laudem, ut pulcherrimum demonstraret. *sunt auri pondera facti infectique mihi,* hoc est in speciebus et massis. de modo ac pondere nihil dixit, ut generalitas tantum coniecturae tribueret quantum forsitan deposita non haberent. *non hic victoria Teucrum ver-*
15 *titur aut anima una dabit discrimina tanta:* rationabilis persuasio et conplexa omnis partis quae optatos possent exitus procurare: prima humanitatis fuit, sequens quae sponderet ex divitiis adfluentibus commodum. quid ergo, si parcere et sumere incommodum fuit? occurrit deprecans et
20 ait victoria tua non unius nece conficietur nec in uno consistunt quae e diverso metuenda sunt. *dixerat:* finem ille 530 suis precibus fecerat. *Aeneas contra cui talia reddit:* cum dicit contra, ostendit non esse preces rogantis admissas. *argenti atque auri memoras quae multa talenta gnatis parce*
25 *tuis:* admiranda responsio pro persona eius qui eo tempore nulli decreverat esse parcendum propter Pallantis ultionem et commodum victoriae suae; illud enim quod promittebatur ad victoris opes cum ipsa victoria fuerat transiturum. proinde sic coepit: divitias tuas parce liberis tuis, hoc est
30 serva. inde enim parci dicuntur qui non multum erogant, quia quod habuerint servant; nam et salem parcum Vergilius idem dixit alio loco (ge. 3, 403), quia tradita sibi

---

3 *conservationem* VR. 6 *quum dici potuisset* ed. 8 *agent* VR *iacent* r. 15 *aut* VR *haud* ed. 16 *optatos* VR *ad o.* ed. 17 *procurare* VR *provocare* ed. 21 *mutuenda* R. 27 *promittebat* edF. 28 *victores opes* VR *opes* om. ed. *quaerat* R *querat* V *fuerat* nos cf. 8, 10 *erat* ed. 29 *coepit* VR *incipit* ed.

custodit. ait enim „aut parco sale contingunt hiemique reponunt“. *belli commercia Turnus sustulit ista prior iam tum Pallante perempto:* humanitatem, inquit, poscis, quae inter partis solet aliquando praestari, sed istam mihi tuus ille sustulit Turnus et inhumanitatem plenam morte Pallantis 5 docuit. saevire non erat meum et fuit misereri promptissimum, sed magisterio partis vestrae didici quod mihi non dedit natura nascenti, factus sum quod non eram et in contrarium versum est quod aliquando praestabam. *hoc patris Anchisae manes, hoc sentit Iulus:* magis hoc factum 10 placebit manibus patris mei, placebit et filio; ex hoc enim facto ad utrumque perveniet gratia, si orbitas Euandri vin-
535 dicetur et interitus Pallantis. *sic fatus galeam laeva tenet atque reflexa cervice orantis capulo tenus abdidit ensem:* ubicumque ponit ensem usque ad capulum in corpus homi- 15 nis mersum iratum significat facientem.

Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos, infula cui sacra redimibat tempora vitta, totus conlucens veste atque insignibus armis: non longe a Mago Haemonides apparuit, quem dicit Phoebi et Triviae fuisse sacer- 20 dotem, quem quis esset prodebat habitus capitis; vittas quippe gestabat, quas non nisi sacerdotes habere consue-
540 verunt. fuit idem etiam armis et veste conspicuus. *quem congressus agit campo lapsumque superstans inmolat,* exagitatum et lapsum inmolavit; pulchre non occisum, sed in- 25 molatum dixit adludens ex officio ac nomine sacerdotis. *ingentique umbra tegit:* quia dixit Aenean super lapsum constitisse, dixit iacentis corpus percussoris sui umbra contectum. *arma Serestus lecta refert umeris, tibi, rex Gradive, tropaeum:* caesi, inquit, arma sustulit Serestus non cupi- 30

---

1 *ut* VR ed. *aut* nos. 6 *et fuit* VR *sed f.* ed. | *prumptissimum* VR *mihi* add. ed. 9 *versum* om. ed. 12 *pervenit* ed. 13 *sic factus* VR. 14 *at reflexa* V. 16 *versum* VR ed. *mersum* nos. | *tractum* VR ed. *iratum* corr. ed. post. 17 *hemonides* VR. 18 *redimebat* V. 19 *Magone* ed. 26 *a nomine* ed. 30 *tropeum* VR. | *caesi — arma* temere mut. ed.

ditate quaestus, sed ut Marti, bellorum deo, tropaei ostentatione sacraret, utpote quia supra dictum est „totus conlucens veste atque insignibus armis“, perindeque digna quae viderentur in templo; atque ita temerarius, qui inmemor
5 officii sui Apollinem Dianamque deserens processit in campum, morte poenas exolvit et templum dei bellatoris suis spoliis ornavit.

Instaurant acies Vulcani stirpe creatus Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro: duo isti, cum viderent
10 Aenean sic saevire in multorum necem, instaurabant acies, quae fuerant Aenea turbante confusae. *Dardanides contra* 545 *furit:* quis enim non moveretur in inmensum modum iri obviam nisibus suis? *Anxyris ense sinistram et totum clipei ferro deiecerat orbem:* Aeneas hoc viso, cum fureret,
15 Anxyris sinistram manum amputavit gladio, quae abscisa cum ipso quod gestabat concidit scuto. *dixerat ille aliquid magnum vimque adfore verbo crediderat caeloque animum fortasse ferebat canitiemque sibi et longos promiserat annos:* reprehendit hunc Vergilius, quia contra condicionem ge-
20 neris humani, quod futurorum est nescium, fidebat promissi spe sibique cessurum effectum credebat, quod ad canitiem et longos annos pervenire potuisset. in eo autem ad caelum ferebat animos, quod solus esset maiore senectute victurus. *Tarquitus exultans contra fulgentibus armis, sil-* 550
25 *vicolae Fauno Dryope quem nympha crearat, obvius ardenti sese obtulit:* huius nomen dixit et genus et quemadmodum ingentis animos gerens ultro sese obtulit ardenti quasi Aenean certamine superaturus. *ille reducta loricam clipeique ingens onus inpedit hasta:* ille, idem Aeneas, retror-
30 sum ducta hasta clipeo et lorica inpedientibus, cum cor-

1 *marti* VR *armati* ed. | *trophei* VR. 6 *suis* R ed. *sui* V. 7 *expoliis* VR *spoliis* r. (recte cf. 7, 427 *expeciebus*) *ex spoliis* ed. 14 *visu* R. 15 *abscissa* ed. 19 *contra conditionem* R ed. *contradicionem* V. 21 *spe sibique* R *spes ibique* V *spei sibique* ed. 27 *ingentem animum* ed. | *ultro* om. ed. 28 *aenea* R. | *reductam luricam* VR. 29 *ille* — 30 *hasta* om. ed. 30 *cum* VR *omne quum* ed.: interpr. Don. obscurissima, nisi forte *lorica* legit et *lorica* — *inpedit* pro parenthesi accepit.

pus hostile ferire non posset, *tum caput orantis nequicquam*
555 *et multa parantis dicere deturbat terrae truncumque tepentem provolvens:* caput orantis frustra et parati multa addere conversa intentione sua provolvit terrae et truncum reddidit. *super haec inimico pectore fatur:* expressit irati per- 5
sonam; nam casurum perdito capite provolvit, hoc est inpulit, quasi casurus non esset. addidit et verba post factum qualia furens promere debuit et victor inimicus effundere. breviter dicit *istic nunc, metuende, iace:* sic, inquit, iacere meruisti, qui te talem arbitratus es, ut ti- 10
meri debuisses. *non te optima mater condet humi patriove onerabit membra sepulchro: alitibus linquere feris aut gur-*
560 *gite mersum unda feret piscesque inpasti vulnera lambent:* Meruisti, inquit, capitis supplicium, erit tibi alia poena: post mortem funus tuum non prosequetur mater tua nec 15
humabit exanimem nec sociabit ossibus patris. praeter haec addidit alia et quae ista sint dixit. alitibus linquere feris: cum, inquit, te nulla terra contexerit, aves te ferae consument, aut si in gurgitem fueris mersus, non latebis; portabit quippe te unda sublimem et piscium famem oportuna 20
praeda satiabis.

Protinus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni, persequitur fortemque Numam fulvumque Camertem, magnanimo Volcente satum, ditissimus agri qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amiclis: non Antaeus et Lucae soli primi 25
hoc est virtute praestantes fuerunt in Turni exercitu, sed et ceteri quos postea nominavit, et tamen, cum ad Aenean venissent, virtuti eius armisque cesserunt, denique persequebatur eos. hoc quod dixit persequitur non ad unum, sed ad omnis pertinet, ut illorum neminem vivum dimisisse 30
565 videatur. *Aegaeon qualis, centum cui bracchia dicunt centenasque manus, quinquaginta oribus ignem pectoribusque*

---

2 *parantes* VR. | *petentem* VR. 3 *parati* VR *parantem* ed. 6 *casurum* VR *illum* ed. 11 *patriove oneravit* VR. 15 *prosequitur* VR corr. ed. 16 *patriis* ed. | *praeter* VR *pater* ed. 17 *et alia* ed. | *feris* om. ed. 22 *Anthaeum* ed. 25 *ami///clis* cum ras. V. 27 *ad* om. V. 31 *egeon* VR.

arsisse, Iovis cum fulmina contra tot paribus streperet clipeis, tot stringeret enses: morem suum etiam hoc loco poeta servavit, ut quod incredibile fuerat et fabulosum non se proferret auctore. qualis, inquit, Aegaeon fuisse perhibetur,
5 quem dicunt centum brachia habuisse et totidem manus (brachia et manus non unum atque idem significant; nam brachia vult esse ab umeris usque ad eam partem quae in digitos dividitur, manus vero digitos ipsos), ora quoque quinquaginta, omnibus solitum incendia mittere, arsisse
10 autem quinquaginta pectoribus Iovis incendiis, cum contra contenderet quinquaginta gladiis et scutis quinquaginta. dicunt ad omnia pertinet, proinde non semel accipiendum est, ut sit: Aegaeon qualis, centum cui brachia dicunt centenasque manus dicunt, quinquaginta oribus ignem dicunt
15 pectoribusque arsisse dicunt, tot paribus clipeis gladiisque contra Iovis fulmina certasse dicunt. *sic toto Aeneas desaevit in aequore victor, ut semel intepuit mucro:* conpleta 570 est parabola per Aeneae personam, dum dicit eum sic in hostes saevisse per campos et in tanta multitudine extitisse
20 victorem, quasi habuisset centum brachia et manus centum, gladios quinquaginta et scuta quinquaginta et ignem quo cunctos incenderet; tantum autem caesorum adseruit numerum cecidisse, ut gladius eius sanguinis calore tepuisset. *quin ecce Niphaei quadriiugis in equos adversaque bracchia*
25 *tendit:* in equos Niphaei adversa tendit brachia, scilicet ut hunc cum equis adpeteret. *atque illi longe gradientem et dira frementem ut videre, metu versi retroque ruentes effunduntque ducem rapiuntque ad litora currus:* equi, inquit, ut Aenean viderunt sic frementem, ut nihil ei posset ob-
30 stare, quamvis essent muta animalia, longe intellexerunt

---

3 *quod* VR *eius quod* ed. 4 *auctorem* ed. | *aecon* VR. 6 *atque idem* VR *idemque* ed. 7 *humeris* VR (plerumque *umeri*). 9 *omnibus* VR *ac ex o.* ed. 12 *dicunt* VR *quod dixit* cum prava distinctione ed. 13 *cum* VR (supra *cui*) *cui* r. 15 *tot* VR *atque t.* ed. 18 *parabula* VR (ut solent). | *aenea* V. 24 *brachia* VR ed. *pectora* Verg. libri, *que* quomodo Don. explicet obscurum est. 26 *et dira* VR *et* om. ed.

eius vim se ferre non posse: qua causa fugerunt ad litora effuso domino. effusum intellegere debemus etiam occisum, quia de nece eius perfecta nihil dictum est.

575 *Interea biiugis infert se Lucagus albis in medios fraterque Liger, sed frater habenis flectit equos, strictum rotat* 5 *acer Lucagus ensem:* interea significat ad alia transitum, ut continuatio interrupta narrantis legentis taedium relevet removeatque ex varietate fastidium. et alia similiter propter hanc causam inventa sunt, ut velut quandam novitatem narrationis inducant. biiugis albis, inquit, Lucagus et eius 10 frater Liger uno curru vecti sese intulerunt hoc est ingesserunt se Aeneae. exposuit autem ipse quid officii singuli gererent in curru constituti: Liger, inquit, regebat equos, Lucagus autem pugnabat. *haut tulit Aeneas tanto fervore furentis:* Aeneas istos sic inpune saevientis pati non po- 15 tuit; tanta enim fiducia veniebant, ut, sicuti supra dictum est, mediis sese inserere hostibus non timerent. *inruit adversaque ingens apparuit hasta*: quod dixit inruit, celeritatem facti significat, denique consecutum est apparuit; mox enim ut inruit, apparuit; nam repentinum et inspera- 20 tum fuit quod Aeneas effecerat; contenta quippe hasta ingens 580 ipse gestator subitus ante biiugos stetit. *cui Liger: non Diomedis equos nec currum cernis Achillis aut Phrygiae campos:* ter intellegendum quod supra dictum est cernis, ut sit: non Diomedis equos cernis aut Achillis currus cer- 25 nis aut Phrygiae campos cernis. *nunc belli finis et aevi his dabitur terris:* elegit eorum nomina qui inter Graecos praecipui fuerant et haec non pro merito suo, sed iniuriose signavit, ut et illos et Aenean obtrectatione perfunderet, quasi ipse cum equis suis esset omnibus potior. non isti, inquit, 30 Diomedis equi sunt aut Achillis, quos evadere potuisti; nec in Phrygiis campis constitutus es: et hoc pro convicio positum, quasi in quibus nascerentur inbelles. ecce et terrarum

---

8 *removeratque* VR corr. ed. | *ex varia etate* V. 9 *quendam* VR corr. ed. 21 *contenta* VR ed. *intenta*? 28 *signavit* R *significavit* V ed.

fecit conparationem, quasi ipsae proferant fortis, ipsae debilis faciant. et melius, inquit, factum est ut tu nobis occurreris, ut salus tua simul cum isto bello terminum sumat. *vaesano talia late dicta volant Ligeri:* huiusmodi verba Liger
5 fundebat vaesana mente, utpote qui iam fatis ultimis trahebatur in mortem. *sed non et Troius heros dicta parat contra;* 585 *iaculum nam torquet in hostis:* Troius heros laudis causa positum est; adsignavit quippe ei prudentiam, denique cum adverteret in bello non lingua, sed manu esse certandum,
10 non verba in hostis, sed iaculum paravit nec voluit referre convicia, quae animum lacerare, non vitae discrimen inferre potuissent, sed hastam iecit, quae ipsos homines cum suis verbis extingueret. conplevit sapientis bellatoris laudem, qui illo tempore atque illo loco non ventosis vocibus, sed
15 ferro debuit et neci hostium operam dare. *Lucagus ut pronus pendens in verbera telo admonuit biiugos, proiecto dum pede laevo aptat se pugnae, subit oras hasta per imas fulgentis clipei, tum laevum perforat inguen:* Lucagus, qui pugnandi tenebat officium, dum equos admonere nititur
20 telo et sese ad certamen schemate specioso conponit, dum unum pedem reducit, alterum porrigit, laevo inguine sub imas clipei partis ictum hastae subeuntis excepit. *excussus* 590 *curru moribundus volvitur arvis:* nam quomodo potuit eximi curru qui fulmineo ictu fuerat petitus, nisi inde illum
25 vis facti excuteret morientem? iacet autem moribundus in campo qui superbia ferebatur in curru. *quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:* ecce consilium viri fortis, confecto certamine et unius interim procurata morte ipse quoque amaris usus est verbis egressus pietatis suae modestiam,

---

1 *ipse* R. 2 *ut tu* VR *tu* om. ed. | *occurreris* R *occurreres* V ed. 4 *legeri* (infra *liger*) VR. 6 *contra* om. VR add. r. 7 *hostis* VR *hostem* ed. | *Troius* — 10 *hostis* om. *non dicta* interpol ed. 12 *ipsum hominem* ed. 13 *conplevit sapientis* ultima verba in R cf. praef. 14 *vocibus* V *verbis* ed. 15 *et nec hostium operam* V *neci* nos *et nece operam hostium* ed. 18 *et* pro *tum* V. | *inguem* V. 19 *nitetur* V. 20 *schemate* V *habitu* ed. 21 *sublimas* V *sub imas* ed. 22 *subeuntis* V *euntis* ed. 25 *iacit* V. 27 *adfatus* V. 29 *egressus* V *e. praeter* ed.

quoniam iniuriosis vocibus fuerat provocatus. tractatus ipse quam etiam in hac parte praecipuus, ut illum primo peteret quem videbat armatum! ipsius enim mortem interitus facile sequebatur alterius qui non arma quibus fideret, sed habenas tenebat equorum. *Lucage, nulla tuos* 5 *currus fuga segnis equorum prodidit aut vanae vertere ex hostibus umbrae:* loquebatur quasi cum eo qui posset aliquid audire vel sentire post mortem, quod ipsum non inprudenter, sed insultantis animo faciebat. Lucage, inquit, nihil est quod equos peccasse causeris: illi non erant segnes 10 nec eos aliqua fefellit imaginatio, hoc est dicere nihil te prodidit nisi inertia tua. *ipse rotis saliens iuga deseris:* verbis suis iocum voluit iungere dicens eum non excussum curru, sed quasi voluntate excidisse. excussum ubicumque ponit maiorem vim intervenisse significat, ut est illud (1,115) 15 „excutitur pronusque magister volvitur in caput"; describebatur enim magna fluctuum vis et tumor intolerabilis pelagi. 595 *haec ita fatus arripuit biiugos:* aliter inermem, aliter petiit armatum. ubi enim Lucagus fuit eminus hasta pugnatum est, cum autem Liger nudatus esset fratris auxilio, ipsos 20 equos Aeneas tenuit quibus fugiendo ille posset evadere. *frater tendebat inertis infelix palmas curru delapsus eodem:* fratre occiso et cum ipsis armis superato ac retentis equis quorum auxilio et fuga Liger potuerat liberari quid supererat nisi ut ipse quoque poenas pro conviciis daret? quod 25 ipsum cum vidisset, relicto curru infelix sese convertit ad preces tendens supplices manus eo facilius, quia illas nulla occupaverant arma: quocirca inermi parci potuisset, nisi infelicem linguae protervitas decepisset. *per te, per qui te talem genuere parentes, vir Troiane, sine hanc animam et* 30 *miserere precantis:* convicia necessitas in obsequium vertit et laudari coepit cuius ante paululum vituperatio dicebatur.

---

1 *quum — esset* ed. | *iniuriosus* V. 2 *ipse* V *eius* ed. 5 *quorum* pro *equorum* V. 11 *aliqua fefellit aliqua* V alterum *aliqua* delevi cum ed. 13 *iniocum* V. 14 *muro* V *curru* nos *iugo* ed. 17 *tumur* V *aestus* ed. 31 *in* om. V. 32 *laudari — paululum* temere mut. ed.

pluribus oranti, in offensa quippe constitutus non potuit ad
miserationem brevi textu deprecationis adduci, sed dicturus
fuerat plura, *Aeneas* non passus actus suos inmeriti ho-
minis multiloquio diutius detineri occurrit necessario ser-
5 mone et quid doleret brevi elocutione testatus est: *haut
talia dudum dicta dabas:* preces, inquit, tuas maledicto 600
superiore damnasti nec talem te praebuisti iamdudum, ut
nunc inpetrare salutis tuae beneficium merearis. *morere et
fratrem ne desere frater:* potius moriendum est tibi, ne
10 fratrem deseras frater; decet enim ei te mortis sorte con-
iungi quo adversum me usus socio venire potuisti. *tum
latebras animae pectus mucrone recludit:* definit quid sit pec-
tus, in quo, inquit, anima latet et tuta est, quo patefacto
proditur et interempta consumitur. cum igitur haec Aeneas
15 dixisset, omnem commotionem suam in ictu quo Ligerum
perdidit evidenter expressit aperiendo ingenti plaga pectus
eius animamque fundendo. *talia per campos edebat funera
ductor Dardanius torrentis aquae vel turbinis atri more fu-
rens:* sic, inquit, Aeneae furentis actus et gesta ducebantur,
20 sic per campos edebat funera, ut torrentis saeviunt undae,
ut turbinibus mos est, cum inmenso furore raptantur.
tandem erumpunt et castra relinquunt Ascanius puer et 605
nequicquam obsessa iuventus: ecce quantum valuit Aeneae
praesentia, quantam fiduciam dedit obsessis illius ad-
25 ventus! non iam parietibus detinentur, non clausos sese
patiuntur ulterius, exeunt tandem et relictis castris uno
impetu omnes feruntur in campum arbitrantes procul
dubio Aeneae praesentiam meliorem vicem obtinere cast-
rorum et se melius tutos fore in aperto campi, quam
30 si parietibus tenerentur et vallo. huius viri tanta fiducia
ducebantur, ut non soli iuvenes hoc fecisse viderentur

---

1 *oranti* V *Aeneas* add. ed. | *offensa* V *offensis* ed. *in offensa* nos cf. 2, 451. 3 *aeneas* V *Ae. vero* ed. 7 *superiore* V *priori* ed. 8 *hunc* V *nunc* nos *hoc* ed. 11 *quod* V *quo* ed. | *otio* V ed. *socio* nos. 15 *ligerum* V ed. *Ligerem*? 18 *atque* pro *aquae* V. 28 *vicem* V *partem* ed. 29 *se* om. ed. | *tutus* V. 31 *solum* ed.

verum etiam Ascanius puer, quos omnes frustra obsederant Rutuli.

Iunonem interea conpellat Iuppiter ultro: cum haec agerentur aut haec cerneret Iuppiter, talia Iunoni intulit verba: *o germana mihi atque eadem gratissima coniunx:* duobus 5 vocabulis mero de adfectu venientibus conpellandam Iunonem credidit Iuppiter, scilicet quod uxor esset et soror. quid enim his carius quam iungi conubio et ratione sanguinis sociari? *ut rebare, Venus, nec te sententia fallit,* 610 *Troianas sustentat opes, non vivida bello dextra viris ani-* 10 *musque ferox patiensque pericli?* non, ait, videris tibi falli sententia tua, qua arbitraris Venerem fovere Troianos? ipsa pugnantis sublevat an virtus sua et vigilans animus et, quod in rebus gerundis est maximum ad dissimulandos labores, consuetudo tolerandi? *cui Iuno submissa:* idcirco 15 submissa, ne pro commodo animi sui fratris ac mariti mentem ab aequo et vero potuisset avertere; humilem quippe esse decet unumquemque ubi petendi beneficii necessitas adest. submissa tamen non corpore, sed mente ac voce accipiendum est nec respexisse quae esset vel apud quem 20 verba faceret, sed quid esset petitura. intellegebat enim iniustum desiderium suum et inde germanae et coniugis fiduciam non habebat, existimabat tamen humilitate sermonis inpetrare se posse quod petitionis suae contemplatione mereri non poterat cui vera obiciantur oculisque subiecta. 25 *quid, o pulcherrime coniunx, sollicitas aegram et tua tristia dicta timentem?* magna subtilitas Iunonis in ipso principio et satis artificiosa. adserit enim se anxiam ex casibus Rutulorum et se fingit Iovem timere magis maritum quam fratrem; et cum ille et sororem dixisset et coniugem, illa mariti 30 tantummodo personam interposuit, quae esset erga muli-

1 *obsiderant* V. 4 *intulit* V *inquit* HO *dixit* ed. 6 *de adfectu* V *dei a.* ed. 9 *sotiari* V. 11 *tibi* V *tibi te* ed. 13 *virtus sua* V *eorum v.* ed. 14 *gerendis* ed. 16 *patris ac meriti* V corr. ed. 17 *averteret* V. 23 *tamen* V *tantum* ed. | *humilitatem* V. 24 *se* transpos. ed. 25 *obiciantur* V ed. *-ebantur*? 26 *tristitia* V. 31 *erga* om. ed. | *mulieris* ed.

eres maximae auctoritatis, ideoque fingit intentionem suam, ut sentiat Iuppiter illam Rutulos fovere potuisse, nisi maritalis vigoris reverentia prohiberet. aegra sum, inquit, animo et aegritudinem ipsam dictis tuis, marite, conduplicas. pul-
5 cherrimum dixit non corpore, sed praestantem animo et vera benignitate pectoris insignem; debuit enim verborum officio flectere quem iam videbat Troianorum esse fautorem. et tua tristia dicta, id est imperiosa et quae prohibentis habeant minas; meminerat enim, ut in nono libro positum est, Irim
10 ab ipso ad se missam cum mandatis haut mollibus, ut favorem Rutulorum desereret. sic enim positum novimus (9,803) „aeriam caelo nam Iuppiter Irim demisit germanae haut mollia iussa ferentem, ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis". eo autem inpetraturam se magis credebat optata, si
15 ostenderet auxilia sua prohibentibus mariti iussionibus quievisse. *si mihi, quae quondam fuerat quamque esse decebat, vis in amore foret,* blanda obiurgatio, ait enim si sic me amares, ut soles, et nunc usque, ut fieri decuit, superioris temporis integer duraret adfectus, *non hoc mihi namque ne-*
20 *gares, omnipotens:* mihi cum . . . . . dicit quam dilexisti 615 antea, mihi uxori tuae, mihi, timenti iussa tua. verum quia dici potuit inpossibilia et inlicita obtinere contendis, dixit Iovem omnipotentem, ne hoc ei Iuppiter posset obicere. qui enim omnipotens esse diceretur facile debuit uxori quae
25 vellet officiose praestare et quae illa cuperet, licita inlicitave, concedere. *quin et pugnae subducere Turnum et Dauno possem incolumem servare parenti:* ecce aperuit quod dicebat occulte. nisi te, inquit, timerem et iussa tua reverentia plenissima custodirem, si vincere inlicitum est Turno,
30 illum tamen et certamini subducere potui et incolumem patri

---

1 *maxime* V. 2 *sententia* pro *sentiat* V ut 9, 787 *sentiret* ed. 3 *vigoris* V ed. *rigoris*? | *aegra sum* V *aegram* ed. 8 *idem* V *id est* ed. | *prohibentes* V ed. 10 *aud* V. 12 *aeream* (in IX *aeriam*) V. | *iam* (in IX *nam*) V. 15 *marti* V. 18 *soles* V ed. *solebas*? | *hucusque* ed. 19 *effectus* V corr. ed. | *hoc* V *haec* ed. 20 *dixit* ed.: *dicit,* quod habet V, bis scribendum puto, ne *cum* apodosi careat cf. 1, 349 an *ait dicit*? 25 *cupiret* V. | *et illicita* ed. 28 *occultae* V. 30 *patrio* V *patri* ed.

servare. quantum ponderis ex humanitate venientis hoc dictionis genus conplectitur! quam religiosum videtur servare filium patri! *nunc pereat Teucrisque pio det sanguine poenas:* hoc invidiosum est; non enim ad hoc dixit pereat, quod revera eum vellet interire, et in eo magis concitavit in- 5 vidiam, quia dixit Teucrisque pio det sanguine poenas. cum dicit Teucros et pio sanguine, hoc videtur sensisse: aut si hoc putatur iustum, pereat innocens et consequantur scelerati victoriam. *ille tamen nostra deducit origine nomen* 620 *Pilumnusque illi quartus pater et tua larga saepe manu mul-* 10 *tisque oneravit limina donis:* ne indigno videretur postulare beneficium, ad ipsius quoque Turni commendationem multa congessit: dignus est, inquit, qui habeat beneficia sua, primum nostram originem ducit, hoc est deorum, Pilumnusque illi est quartus pater, antiqua et veteri origine. vult 15 ostendere istius maiores a numinibus traxisse prosapiam; nam dicti sui, quo ait nostra deducit origine nomen, voluit reddere rationem subdendo Pilumnusque illi quartus pater, ut hanc per multos ostenderet cucurrisse. et tua larga saepe manu multisque oneravit limina donis: ornavit eum alio- 20 rum meritis, ornat et propriis; ornamenta quippe maiorum frustra unicuique iunguntur, nisi adiciant propria. et larga manus et multorum largitio et oneravit ostendunt plenum fuisse cultorem, accedente etiam eo quod saepe id fecisse videbatur. ille est enim devotione insignis qui frequenter 25 et copiose obsequitur diis. *cui rex aetherii breviter sic fatus Olympi:* propter moram, quae gerundis rebus fieri non debuit, brevem orationem inducit. sic igitur breviter coeperat Iuppiter loqui: *si mora praesentis leti tempusque caduco oratur iuveni meque hoc ita ponere sentis, tolle fuga Turnum* 30 *atque instantibus eripe fatis:* ne videretur Iuppiter totum denegasse poscenti, concedit quod fatorum cursum vexare

---

1 *veniens* ed. 6 *de* pro *det* V. 10 *pilunusque illique quartus* V. 14 *nostra* V. 15 *ille est* V *est illi* ed. 17 *voluit* V *vult* ed. 18 *ille* V. 22 *adiciant* V ed. *adiciantur*? 23 *manu* ed. | *largicio et* V *largitione* ed. | *ostenderunt* V ed. *ostendit* ed. post. *ostendunt* nos. 25 *frequenter* V *ferventer* ed. 29 *orator* V.

non posset et uxoris postulata non laederet. patior, inquit, ut illum interim ingruenti iam subtrahas morti quem caducum esse manifestum est. caducum dicitur quicquid inmaturo tempore cadit ac perit, ut sunt arborum fructus, 5 quorum pars appellatur caduca quae in usus hominum non venit, propterea quod non adepta sui maturitatem prosternitur ac perit. inde translatum est ut caduci dicantur homines qui in pueritia aut iuventa moriuntur. hic tractat poeta dilatari posse aliquantum hominis vitam, perpetuari 10 vero non posse. ait ergo si moras vis interponi, ut aliquanto tardius cadat qui iam fuerat periturus, *hactenus in-* 625 *dulsisse vacat,* id est huc usque potest inlaesa fatorum lege praestari; *sin altior istis sub precibus venia ulla latet totumque moveri mutarive putas bellum, spes pascis inanis:* sin 15 vero plus aliquid speras ac sub precibus tuis latet aliud quod concedi non possit et putas aut poni bellum posse aut mutari pactionibus, vana duceris spe, quia fieri necesse est quod fatis definientibus cautum est. spem pascere est quasi aliquo cibo promissis inanibus optata nutrire. ecce 20 bonus largitor beneficii: et moras promisit et quemadmodum procurari possent possibili consiliorum remedio demonstravit, ut fuga subtraheret aliquantum quem iam ingruentis leti premebat acerbitas. *et Iuno adlacrimans:* praeeuntibus verba lacrimis sic Iuno respondit. *quid, si quae voce gravaris* 25 *mente dares atque haec Turno rata vita maneret? nunc ma-* 630 *net insontem gravis exitus, aut ego veri vana feror, quod ut o potius formidine falsa ludar et in melius tua qui potes orsa reflectas:* quantum, inquit, distat inter petitionem meam et promissionem tuam! cur non studio tamen a te prae- 30 statur ut Turno rata maneat vita hoc est firma ac stabilis

---

1 *et uxoris* V *ut u.* ed. 4 *deperit* ed. 6 *adeptam* V. | *sui* V *propriam* ed. | *prosternitur ac pereat* V *prosternatur ac p.* ed. 9 *hominis vitam perpetua vero non posse* V *perpetuari* nos temere mut. ed. 14 *mutari neputas* V. 18 *factis* V. 22 *iam* om. ed. | *laeti* V. 23 *cui I. illacrimans* ed. 24 *si quod* ed. 25 *da* pro *dares* V. 27 *o* om. V. | *laudar* V. 29 *te* V *a te* nos *tuo* ed.

et inconcussa radice perdurans? nunc nihil ei prodest quod rectius vivit, aut ego veri vana feror, id est nescia eorum quae geruntur, et dispositiones tuas mendacio tegis, ut me falsa formido discruciet et tunc in melius tua dicta convertas ac Turni fata laetifices. conplevit partis suas Iuno, 5 temptavit omnia et sic abscessit, ut adhuc speraret Iovem aliquid melius pro inducta petitione facturum.

Haec ubi dicta dedit, caelo se protinus alto misit agens 635 *hiemem nimbo succincta per auras Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit:* ubi Iuno haec dixit, et caeli 10 partibus descendit ad terras et perrexit eo ubi Troiani et Itali fuerant constituti. *tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram in faciem Aeneae (visu mirabile monstrum) Dardaniis ornat telis clipeumque iubasque divini adsimilat* 640 *capitis, dat inania verba, dat sine mente sonum gressumque effingit euntis:* invenit Iuno consilium quo secundum 15 permissum Iovis Turnum pugnae subtraheret, finxit inanem hominis formam, finxit arma qualia fuerant quibus Aeneas utebatur, haec umbrae induit ornavitque caput eius galea, prorsus ut qui eam vidisset Aenean esse arbitraretur, dedit 20 ei aliquantulam vocem, ut, inaniter licet, daret tamen velut viventis hominis sonum. quod ait in faciem Aeneae, nos in similitudinem debemus accipere. *morte obita qualis fama est volitare figuras aut quae sopitos deludunt somnia sensus:* talis illa umbra fuerat quales dicuntur esse post 25 mortem aut quales videntur dormientibus, cum sopitis sensibus elusi falluntur. cognito et probato iunxit incognitum et quod probari non possit. si enim solum propter exprimendam similitudinem poneret quod fertur esse post mortem, quid illud esset non posset intellegi, 30 quoniam incolumes hoc scire non possunt. sociavit huic aliud exemplum, somniorum scilicet, quae omnibus nota

---

1 *nunc* V *num* ed. 2 *idem* V *id est* ed. 6 *ut* V *quae* ed. 10 *et caeli* V *e caeli* ed. *ex c.?* 12 *fuerunt* ed. 14 *adsimilat* V *assimulat* ed. 15 *gressusque* ed. 17 *promissum* ed. | *e pugna* ed. 19 *umbra* V ed. 21 *ut — daret* temere mut. ed. 22 *nos* V *non* ed. 24 *sopitus* V. 31 *cum — possint* ed.

sunt, ut exinde appareat quod esse dicitur post depositam vitam. *at primas laeta ante acies exultat imago:* ideo laeta, ideo exultans, ut provocaret in iracundium Turnum. denique sequitur *inritatque virum telis et voce lacessit,* ut 5 laetitia hostis et exultatione, voce et inritatu telorum tamquam ad veram pugnam totis Turnus animis armaretur. inritare prorsus dicimus feras provocare: inde sumptum est ut et homines inritari dicantur, cum in aliquam partem asperitatis urgentur. hoc igitur agebat umbra illa, ut 10 Turnum non ipsa, sed Aeneas provocare videretur. *instat* 645 *cui Turnus stridentemque eminus hastam conicit:* sumpsit audaciam Turnus, qui tot modis fuerat provocatus, et verum existimans hostem iecit hastam, sed hoc eminus fecit; congredi enim comminus non audebat. *illa dato* 15 *vertit vestigia tergo:* illa, inquit, hoc est umbra, mox in fugam versa est. *tum vero Aenean aversum ut cedere Turnus credidit atque animo spem turbidus hausit inanem:* licet antea Aenean putasset Turnus in quem hastam miserat, tum magis ipsum esse credidit quem fugisse perviderat. 20 illa dato vertit vestigia tergo: more, inquit, timentis in fugam versa est. tum vero Aenean aversum ut cedere Turnus credidit atque animo spem turbidus hausit inanem: ipse fuit verus error in sensibus Turni ut crederet Aenean terga vertisse. quo factum est ut vana spe ductus super-25 bam iret in vocem dicens haec: *quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos:* quid, inquit, fugis, Aenea? expecta, ut servata pactorum fide optatam ducas uxorem. *hac dabitur* 650 *dextra tellus quaesita per undas:* ego tibi mea dextra dabo terram quam diu quaesisti per maria. *talia vociferans* 30 *sequitur strictumque coruscat mucronem nec ferre videt sua gaudia ventos:* clamabat et sequebatur fugientem, gaudebat quoque et strictum gladium portabat utpote paratus ad

---

2 *ante* om. V. 6 *toto — animo* ed. | *armaretur* V ed. *asperaretur*? 8 *inritare* V corr. ed. 15 *in fuga* V. 16 *adversum* (et infra) ed. 18 *ante* ed. 19 *tum* V *tamen* ed. | *praeviderat* ed. 22 *ausit* (supra recte) V. 23 *verus* V *vanus* ed. 25 *haec* om. ed. 31 *ventos* om. V. 32 *utpute* V.

feriendum nec intellegebat omnia haec in ventos exire, hoc est inania esse et vacua quae clamabat. *forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi expositis stabat scalis et ponte parato:* umbra illa cum fugeret, habuit fortuna procurante oportunitatem navis, quam posset ascendere, vel maxime 5 quia habuit substantiam pontis; nam stabat iuxta crepidinem saxi. crepidinem accipere possumus partem saxi quae respicit mare; nam huic saxo colligatus fuerat funis 655 qui navem tenebat. *qua rex Clusinis advectus Osinius oris:* hac navi a Clusinis finibus vectus advenerat Osinius rex. 10 *huc sese trepida Aeneae venientis imago conicit in latebras:* huc, id est in navem, contendens velut Aeneae imago trepidantis sese latebris dedit. *nec Turnus segnior instat exuperatque moras et pontis transilit altos:* Turnus in ascendendo non fuit segnis; nam superatis omnibus moris pontem 15 tota celeritate transcendit. *vix proram attigerat,* statim, inquit, ut Turnus navis tetigit proram, *rumpit Saturnia* 660 *funem, avulsamque rapit revoluta per aequora navem:* quod dixit rumpit funem, non solvit, et avulsam inquit, non simpliciter separatam a saxo, ostendit magnam inter- 20 venisse necessitatem. adhibenda quippe facto fuerat vis, quo citius fieret quod fuerat necessarium, antequam Turnus adverteret inane esse quod gesserat et rediret. ubicumque poeta posuit rumpere ostendit maiorem necessitatem. denique ait in libro tertio (639) „atque ab litore funem 25 rumpite", ne interveniente solvendorum vinculorum mora manibus Cyclopum navigia tenerentur; item cum fugam Caci in octavo libro (225) describeret, ait „ruptisque inmane catenis deiecit saxum", si enim solvere voluisset, velocitate praeventus Herculis poenas facilius daret, si 30 speluncae occuparetur ingressus. tale est et rapit; nam hoc quoque celeritatem facti significat. si enim paulatim

3 *crepidini* V. 6 *quā* V *quae* ed. *quia* nos. 10 *a* om. ed. | *clusini* V. | *rex* om. ed. 11 *venientis* V ed. *fugientis* Verg. libri. 12 *id est* om. ed. 19 *rupit* ed. | *inquit* V *id est* ed. 24 *potuit* V *posuit* ed. 29 *sic* V *si* ed. 30 *daret* post *speluncae* repetit V. 31 *nam* V *nam et* ed.

navis in altum duceretur, et escendendi et exiliendi repperisse Turnus remedium posset: nunc rapta est, ut ante in altum perveniret quam sentiretur nexibus libera. quasi inhaesisset saxo, sic dixit avulsam; avellitur enim
5 quod sine vi non potest separari. *illum autem Aeneas absentem in proelia poscit:* verus Aeneas absentem ignorans quaerebat Turnum et petebat in proelia. *obvia multa virum demittit corpora morti:* cum quaereret Turnum, quicumque illi obviam fuerunt morti sunt traditi. *tum levis*
10 *haut ultra latebras iam quaerit imago, sed sublime volans nubi se inmiscuit atrae:* levis umbra, quae Aenean simulaverat fugientem, conpleto eo quod fuerat necessarium ulterius latebras non quaesiit, sed se nubibus miscuit et eo unde venerat remeavit. *cum Turnum medio interea* 665
15 *fert aequore turbo:* interea commotum pelagus turbine trahebat longius Turnum.

Respicit ignarus rerum ingratusque salutis et duplicis cum voce manus ad sidera tendit: pro adverso aestimans Turnus quod pro ipsius fuerat salute perfectum et ge-
20 storum pro se nescius tetendit manus ad sidera et haec gemibundus effudit, quo in facto potuisset ingrati crimen incurrere, nisi gesta nesciret. *omnipotens genitor, tanton me crimine dignum duxisti et talis voluisti expendere poenas?* hocine tibi, Iuppiter, placuit? hac me poena dig-
25 num esse duxisti? haec ut diceret, ostenditur intellexisse fraudem quam passus est. incipit enumerare omnia quae illi poenas animi adferebant. *quo feror unde abii?* 670 nescio, inquit, quo feror, unde tamen recesserim scio. *quae me fuga quemve reducet?* qualis sum, cum fugisse
30 videor, qualis ad eos quos deserui rediturus? *Laurentisne*

---

1 *ascendendi* ed. | *repperis veturnus* V corr. ed. 7 *quaerebatur num* V *Turnum quaerebat* ed. | *patebat* V corr. ed. 8 *demitti* V *dimittit* ed. 18 *tollit* V ed. propter *tetendit* in interpr. *tendit* scripsi, quod optimi Verg. libri habent. | *existimans* ed. 21 *gemebundus* ed. 27 post *ferar* non distinxi, quia Don. *unde* pro inde unde accipere videtur. 28 *feror* V ed. *ferar* expectes. 30 *rediturus* V *r. sum* ed.

iterum muros aut castra videbo? si rediero, qua fronte iterum videbo muros et castra Laurentum, unde fugitivus abscessi? *quid manus illa virum qui me meaque arma secuti? quos . . . (nefas) omnis infanda morte reliqui?* quid, ait, dicent illi qui armis meis suas opes fortunamque 5 iunxerunt? quos prodidi deserendo, quos fugiendo decepi, quos dimisi ad necem. *et nunc palantis video gemitumque*
675 *cadentum accipio:* moralitatem tenuit; nam cum in incertis relinquimus quemquam vel ad incerta dirigimus, cito mala speramus evenire posse quam bona. videre se 10 cadentis dicit et gemitus audire pereuntium, et totum tamen ab oculis et auribus longe est. cernebantur haec animo et animo audiri putabantur, cum imaginationes ipsae sensibus tractantis occurrerent. *quid ago? aut quae iam satis ima dehiscet terra mihi?* desiderabat recipi 15 hiatibus terrae et in fluctibus eam requirebat quae non erat et cuius copiam non habebat. *vos o potius miserescite, venti:* ecce intellexit ipse frustra se desiderare terrae divortia et apostropha ad ventos facta rogare supplicium coepit et poenam pro beneficio postulare. *in rupes, in* 20 *saxa (volens vos Turnus adoro) ferte ratem saevisque vadis inmittite Syrtis, quo neque me Rutuli nec conscia fama sequatur:* o vota adversa! pro prosperis naufragia optantur, ut sit perire beneficium, misericordia dicitur ut navigium feratur in rupes et conlidatur in saxa (non quo 25 revera interire commodum videretur, sed lucis taedio) et ludibriis caruisse pulcherrimum. certe, si malum, inquit, putatis esse quod posco, tamen, quia hoc cupio pro bono sumere, date quod iudicatis esse contrarium, volenti mori misericordiam portat qui ei procuraverit mortem; aut si 30

4 *quos* V *quosve* ed.: *quos* metro excluditur, *quosne,* ut videtur, interpretatione, quae ad *quosve* vel *quosque* spectat. | *morte* V ed. *in m.* optimi Verg. libri. | *relinqui* V. 8 *cadentem* V. | *mortalitatem* ed. 10 *cito* V edI *potius* edF. 13 *et animi* ed. 14 *occurreret* V. | *ago* V *agam* ed. 21 *volans* V. 23 *prosperis* V ed. *pro pr.* nos. 24 *misericordia* V *misereri esse* ed. 25 *navium* V *navigium* nos *navis* ed. 29 *suae det* V *sumere* (cf. 7, 261) *date* nos om. ed.

me malueritis contra mea vota servare, date Syrtis saevas et Syrtium vada. illic traham infelicem vitam quo nullus sequi valeat et unde opinio nominis mei ad meos omnis venire non possit. *haec memorans animo nunc huc nunc* 680
5 *fluctuat illuc, an sese mucrone ob tantum dedecus amens induat et crudum per costas exigat ensem, fluctibus an iaciat mediis et litora nando curva petat Teucrumque iterum se reddat in arma:* cum haec animo volveret et animo fluctuaret (apto verbo usus est fluctuat; adlusit
10 enim, quoniam in fluctibus fuit, ut mente quoque fluctuare videretur huc atque illuc vertens tractatus suos omnis instabilis et vagos), incipit dicere qui sint ipsi tractatus et in quantas sint species sub incerto divisi: aliquando enim parabat sese percutere gladio et ferro abolendum
15 decernebat dedecus suum, aliquando ut iret in fluctus et nando perveniret ad litora, sed hoc cum armis efficere non valebat; quando enim natare posset armatus, inermis autem quomodo veniret ad terras, si arma reiceret armis hostium pleno ardore ferventibus? *ter conatus utramque* 685
20 *viam, ter maxima Iuno continuit iuvenemque animi miserata repressit:* quotiens voluit adgredi alterum de duobus totiens Iuno ardores animi iuvenalis oppressit. quid enim prodesset morti esse subtractum, si se in mari perimeret aut necatus in pelago ferretur ad terram? *labitur alta*
25 *secans fluctuque aestuque secundo et patris antiquam Dauni defertur ad urbem:* ecce quantum potuit Iuno: cum diversos tractatus excutit Turnus et deliberationis sententiam existentibus atque occurrentibus contrariis figere vel ordinare non sinitur, navis sine rectore, sine arte, suffragio
30 prosperante ventorum ad antiquam urbem secundis lapsibus venit. conpletum est quod apud Iovem (615)

---

5 *obstantum* V. 7 *iaceat* V ed. 10 *quó = quoniam* V *quomodo* ed. 13 *in* transpos. ed. 16 *cum* om. ed. 17 *quando* V *non* ed. 20 *viam* om. V. 22 *iuvenilis* ed. 24 *negatus* V. 25 *aestu fluctuque* ed. 28 *fingere* ed. 29 *sinitur* V *permittitur* ed. | *suffragio* V *sine s.* ed. 30 *addant* V *ad antiquam* corr. ed.

prosecuta est Iuno; ait enim „quin et pugnae subducere Turnum et Dauno possem incolumem servare parenti?“
690 *At Iovis interea monitis Mezentius ardens succedit pugnae Teucrosque invadit ovantis:* inimicum suis adserit Iovem, ut Mezentium virtute acrem, natura calidum et 5 in armis ardentem Teucris inmitteret certaminis successu feliciore gaudentibus. *concurrunt Tyrrhenae acies atque omnibus uni, uni odiisque viro telisque frequentibus instant:* omnibus, inquit, odiis ac frequentibus telis uni viro omnes instabant. *ille velut rupes, vastum quae pro-* 10 *dit in aequor, obvia ventorum furiis expostaque ponto* 695 *vim cunctam atque minas perfert caelique marisque ipsa inmota manens:* ille sic omnibus resistebat inmobilis ut opposita pelagi fluctibus rupes, quae producta in mare vim caeli ac minas perfert manens fixa viribus suis. *pro-* 15 *lem Dolichaonis Hebrum sternit humi:* incipiunt describi quos Mezentius occidit. primum stravit Hebrum Dolichaonis filium. *cum quo Latagum Palmynque fugacem:* huic adiunxit Latagum et Palmyn fugacem. *sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis occupat os faciemque adversam,* 20 700 *poplite Palmyn succiso volvi segnem sinit:* occupat Latagum saxo et faciem eius adversam occupat; nisi enim bis intellegatur occupat, non erit locutio integra nec plena descriptio. ingenti fragmine montis: et virtutem voluit monstrare gestantis et saxi pondus ostendere, cum dicit 25 ingenti fragmine. fragminis significatio ostendit saxum illud quasi quosdam gladios habuisse, ut inlisum in illius faciem et acuminibus crebris necem hominis conpleret et pondere. Palmynque fugacem non occisum dixit, sed succiso poplite, ne ulterius fugeret, inplicatum. *Armaque* 30

1 *prosecuta es* V corr. ed. 5 *callidum* ed. 8 *unio diesque* V. | *sequacibus* V *frequentibus* ed. et omnes Verg. libri item nos propter interpr. 10 *pelagi rupes* V *pelagi* vel ex interpr. vel ex 7, 586 interpolatum delevi. | *vastumque* V. 11 *obviam* V. | *expositaque* V. 16 *describus* V *describi hi* ed. 18 *laetagum* infra *lactagum* inferius *latagum* V. | *Palmymque* ed. | *fagacem* (et infra) V. | *huic* — 19 *fugacem* om. ed. 21 *signem* V. 23 *occurrat* (supra *occupat*) V. 30 *fugiret* V.

Lauso donat habere umeris et vertice figere cristas: scutum et galeam retracta hosti dono dedit filio suo; non enim numini cuiquam haec servare potuit aut consecrare qui deos contemnere perpetua obstinatione didicerat. *nec non* 5 *Euanthen Phrygium Paridisque Mimanta aequalem comitemque:* etiam isti intelleguntur occisi. *una quem nocte Theano in lucem genitori Amyco dedit et face praegnans Cisseis regina Parim creat: [urbe paterna occubat, ignarum* 705 *Laurens habet ora Mimanta]:* ludit inter duorum nomina 10 et nativitates ac parentes et mortes. occidit enim Mezentius duos, Euanthen et Mimanta, qui Paridis aliquando fuisset aequalis et comes. ex Theano et Amyco dicit hunc natum, Paridem vero ex Cisseide, posteaquam facem se peperisse somniavit, qui Paris in urbe paterna 15 occubat, id est in Troia, Mimanta autem Laurentes terrae exceperunt cadentem. *ac velut ille canum morsu de montibus altis actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos defendit multosve palus Laurentia silva pastus harundinea,* 710 quemadmodum, inquit, morsu canum montibus aper ex- 20 clusus, quem Vesulus mons pineis arboribus densus multos per annos defendit ac tenuit aut palus Laurenti silva aluit atque nutrivit, *postquam inter retia ventum est, substitit infremuitque ferox et inhorruit armos, nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus, sed iaculis tutisque* 25 *procul clamoribus instant: haut aliter iustae quibus est Mezentius irae, non ulli est animus stricto concurrere ferro,* 715 *missilibus longe et vasto clamore lacessunt, ille autem inpavidus partis cunctatur in omnis dentibus infrendens et tergo decutit hastas.* quemadmodum aper inter retia

---

1 *tristas* V. 2 *retracta* V *detractam* ed. 3 *nomini* V. 5 *euathen* V. | *immanta* V. 8 *Parin* ed. | *urbe* — 9 *Mimanta* deest in V, sed explicatur. 10 *mortes* V *mortuos* ed. 11 *mimantam* V. 12 *aequales* V. | *ex th.* V *et* ed. 13 *paridam* V. | *cisseida* V. 15 *terrae* om. ed. 17 *pinnifer* V. 18 *multosque* V propter *aut* in interpr. *multosve* scripsi. | post *Laurentia* non distinxi, quia hoc Don. contra metrum cum *silva* coniungit. | *pastus* quomodo construat non intellego. 21 *laurenti silva* V *cum* interpos. ed. 24 *tuisque* V. 26 *ire* V.

positus substitit et armos excutit ac dentibus frendit et nullus audet propius accedere, sed iaculis ex longinquo missis insistit, ita quos Mezenti scelerum iustus dolor angebat, quamquam illi omnes infesti incurrerent, non tamen audebant certare comminus, sed, quod tutum fuit, 5 missilibus ex longinquo iactis et clamore certabant. ille vero, non Mezentius, sed aper (ad ipsum enim remeavit, ut parabolam clauderet) omnis partis observans hastas excutit et propellit.

720 *Venerat antiquis Corythi de finibus Acron, Graius* 10 *homo, infectos linquens profugus hymenaeos:* nihil horum ad bellorum pertinet causam, sed, ut saepe iam dictum est, reficiendo lectori proficiunt, vel ne turpetur dictio, si puris ac solis nominibus conparatur. iste igitur quanto bellandi ducebatur adfectu, ut Graecus se veteribus hosti- 15 bus iungeret plusque intentus esset in proelium quam in nuptias novas! *hunc ubi miscentem longe media agmina vidit purpureum pinnis et pactae coniugis ostro, inpastus stabula alta leo ceu saepe peragrans (suadet enim vaesana* 725 *fames), si forte fugacem conspexit capream aut surgentem* 20 *in cornua cervum, gaudet hians inmane comasque arrexit et haeret visceribus super incumbens, lavit inproba taeter ora cruor: sic ruit in densos alacer Mezentius hostis:* etiam parabolae propter ornatum dictionis interponuntur, ne horrescat totum, si nomina sola iungantur. cum igitur 25 Graium istum longe conspexisset Mezentius (adicit causam quae fecerat ut longius appareret: habuit, inquit, purpureas pinnas et uxoris veste perindeque feminea conspicuus fuit, quoniam in talibus inertia potius quam virtus ostenditur), mox in eum inruit Mezentius aviditate 30

3 *scelerum* V *facta cum* ed. | *iusto dolore* ed. 4 *angebat* V *agebant* ed. 10 *corynthi* V. 13 *deturpetur* ed. 14 *conparetur* ed F. | *quando* V ed. 15 *grecus si* V corr. ed. 16 *plusque* V *magisque* ed. 17 *tibi* pro *ubi* V. 18 *pictae* V. | *austro* V. 20 *ut* pro *aut* V. 21 *comas* ed. 22 *accumbens* ed. 23 *alacer* V *acer* ed. 26 *gaium* V *Graium* nos *Graecum* ed. | *adigit* V *adicit* nos *addidit* ed. 29 *cum* — 30 *ostendatur* ed.

tanta quanta esuriens leo in cervum aut capream fertur, in duo scilicet animalium genera quae nec pugnare sciunt nec habent aliquam in resistendo virtutem. cetera ad pompam descriptionis pertinent, ut leonis aviditas osten-
5 datur, qui tunc gaudet cum eius ora copia nimia cruoris horrescunt. licet illius causa qui veste ac pinnis conspicuus fuit Mezentius advolasset, tamen, quoniam per acies ad eum pervenire potuerat, multos ex ea occasione prostravit. *sternitur infelix Acron:* bene dixit infelix, ut- 730
10 pote qui derelicta otiosarum deliciarum parte perrexit ad certamen Martium, quod inplere non poterat, et inde infelix, qui nec nuptiis novae coniugis potiri potuit nec salute. *et calcibus atram tundit humum expirans infractaque tela cruentat:* expirans tundebat calcibus terram, sic
15 enim faciunt occisi tundendo terram pedibus dolorem monstrantes quem interim sentiunt, quoniam alia ratione non possunt. sanguine autem proprio tela infracta cruentabat: infracta non fracta debemus accipere; alias enim infractum satis fractum solet significare. *atque idem,*
20 hoc est Mezentius, *fugientem haut est dignatus Oroden sternere:* non dignum arbitratus est Oroden sternere fugientem; quantae enim gloriae esse potuit aversum ferire? *nec iacta caecum dare cuspide vulnus:* aut non videnti letale vulnus inferre. quid igitur fecit? *obvius*
25 *adversoque occurrit:* vicit eius fugam et ei adversus apparuit qui paulo ante posterior fuit. *seque viro vir contulit* 735 *haut furto melior, sed fortibus armis:* virtute potius vir viro melior quam furto contulit manum et aperto certamine superavit eum qui se fugiendo speraverat evasurum.
30 *tum super abiectum posito pede nixus et hasta: pars belli haut temnenda, viri, iacet altus Orodes. conclamant socii laetum paeana secuti:* huius mors magnum suae parti

3 *virtutum* V corr. ed. 7 *quoniam* — 8 *potuerat* mut. ed. 16 *cum* — 17 *possint* ed. 20 *autem* pro *haut est* V. 22 *quanta enim gloriae* V *q. e. gloria* ed. 26 *gotulit* V in *obtulit* corr. m. II. 27 *potius via viro* V om. ed. 29 *fugientem* ed. 30 *penixus* V. 32 *letum* V.

attulerat detrimentum; perierat enim in quo pars maxima victoriae fuit et per quem in magna pugnandi desperatione pars diversa esse potuerat et qui maiorem partem belli valeret inplere iacebat. Orodes altus: aliquando, hoc est sublimis. alti significatio plenam tenet laudem, denique 5 in laude urbis Romae exprimenda, cum nihil fortius poeta repperisset, ait (1, 7) „atque altae moenia Romae". laetum autem clamorem socii dabant, quod vir tantae fortitudinis pede atque hasta Mezentii premebatur. *ille* 740 *autem expirans: non me, quicumque es, inulto victor nec* 10 *longum laetabere, te quoque fata prospectant paria atque eadem mox arva tenebis:* qualiscumque es, inquit, hoc est quantumvis te arbitrare fortissimum, mortis meae non evades ultionem nec erit longi temporis laetitia tua; nam te quoque confestim videbunt ista arva prostratum. 15 hoc ideo positum est, quoniam dicuntur divinare morientes. denique expirantem ostendit haec locutum et eiusmodi dicta probavit exitus rerum; quippe Aeneae manu mox interemptus occubuit. *ad quem subridens mixta Mezentius ira:* Mezentius cum haec exaudisset, iratus est propter 20 maledicta et subrisit, quia proferebantur ab eo qui suum videret interitum. subridere non plenum ridentis adfectum demonstrat; neque enim gaudentis esse potuit risus ille. idem Mezentius, quia laetabatur victoris voto, *nunc,* ait, *morere, ast de me divum pater atque hominum rex viderit:* 25 interim, inquit, tu morere nec cures ulterius quid mihi Iuppiter infensus praeparet. *hoc dicens eduxit corpore telum:* cum hoc diceret, eduxit telum e corpore hostis, 745 quoniam eius perfecerat necem. *olli dura quies oculos et ferreus urget somnus, in aeternam clauduntur lumina* 30 *noctem:* illius oculos ferreus somnus urgebat et quies saeva, non ventura iterum aut iterum recessura, sed quae

---

2 *desperationem* V. 3 *adversa* ed. 4 *iacebat* om. ed. | *hoc est* V *dicitur* ed. 16 *cum dicantur* ed. 20 *audivisset* ed. 21 *quod proferebatur* ed. 23 *neque* — 24 *voto* om. ed. 24 *ait* om. ed. 25 *est* pro *ast* V. 29 *quoniam* V *quo* ed. 30 *ferreos* (infra recte) V.

in aeternam noctem duceret quod penitus clauserat. *Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen [Messapus Cloniumque Lycaoniumque Erichaeten]:* semel positum obtruncat non semel accipiendum est hoc modo: Caedicus
5 Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen obtruncat, Messapus Cloniumque Lycaoniumque Erichaeten obtruncat: sed hoc foeditatis vitandae causa praetermissum est, ut intellegatur potius quam legatur. *illum infrenis equi* 750 *lapsu tellure iacentem, hunc peditem pedes:* diversis modis
10 hos dicit occisos; alterum quippe ferit pedestri congressu, alterum iacentem, cum esset infrenis equi dorso deiectus. *et Lycius processerat Agis, quem tamen haut expers Valerus virtutis avitae deicit:* cum etiam Lycius Agis processisset in bellum, hunc Valerus avitae virtuti respondens deicit.
15 *at Thronium Salius Saliumque Nealces:* et hic deicit et ad Salium pertinet et ad Nealcem. subnectit diversitatem necis ipsorum: *insidiis,* inquit, *iaculo et longe fallente sagitta:* insidiis ambo perierunt, alter iaculo et sagitta alter.

20 *Iam gravis aequabat luctus et mutua Mavors funera:* 755 luctus et funera iam gravis Mars et gravis exitus dimicationis aequabat; paria quippe detrimenta utriusque partis extabant. dicit iam quomodo mutua funera, quomodo aequalia: *caedebant pariter pariterque ruebant victores victique,*
25 *neque his fuga nota neque illis.* cum utriusque partis caderent viri et alternis vincerent atque alternis vincerentur, nullus vertebatur in fugam et averti non noverat: tanta cupiditas

---

1 *reduceret* ed. 2 vv. 748—749 non extant in V, sed 749 explicatur, quare hunc addidi cum ed. 4 *hoc modo* V *sed h. m.* ed. 6 *cloniumque* V *que* om. ed. | *ericheten* V. 9 *lapsum* V: hoc interpr. affirmare videtur, sed *dorso* unde petat non apparet. 10 *fuit* V ed. om. ed. post. *ferit* nos. 12 *hagis* V. 13 *deiecit* in lemm. V *deicit* scripsi ex interpr. | *cum* — 14 *deicit* om. ed. | *lyctius* (in lemm. *lycius*) V. 15 *aithronium* V *at Thr.* nos *Arronium* ed. 17 *ipsorum* V *eorum* ed. | *ipsidiis* V *insignis* ed. | *inquit* om. ed. interpretationem temere mut. ed. 20 *fenera* (in interpr. *funera*) V. 23 *mutua* — *quomodo* om. ed. 25 *ex utraque parte* ed.

obtinendi in partibus fuit. *dii Iovis in tectis,* hoc est in caelo positi, *iram miserantur inanem amborum et tantos mortalibus esse labores:* dii de superna parte haec cernentes miseratione ducebantur et dolebant sic tantos errare, ut propter inanem causam iracundiae catervatim caderent tales 5 ac tam multi, et ad mortem licet natos vi potius interire 760 quam lege. *hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno, pallida Tisiphone media inter milia saevit:* strages tantae sub oculis erant Veneris et Iunonis, quae partium studiis ducebantur, Tisiphone autem Furia illis de summo spectan- 10 tibus inter virorum discordantium milia saeviebat. pallidam dixit, quod pallidos faciat quos furore commoverit, aut ipsam vere pallidam in qua inesset perpetuus furor. *at vero ingentem quatiens Mezentius hastam turbidus ingreditur campo:* Mezentius ingentem hastam turbidus commovebat in campo 15 ambulans. parabola inmittitur, ut ostendatur quomodo turbidus ambulabat in campo. *quam magnus Orion, cum pe-* 765 *des incedit medii per maxima Nerei stagna viam scindens, umero supereminet undas:* quam magnus est, inquit, Orion, cum per medium mare iter facit et ambulans umeris suis 20 undas excedit. *aut summis referens annosam montibus ornum ingrediturque solo et caput inter nubila condit:* aut, si per terras ire maluerit annosam perindeque ingentem orni arborem summis e montibus referens, caput habet in nubes usque porrectum. *talis se vastis infert Mezentius armis:* sic 25 ibat Mezentius cum armis ingentibus.

770 *Cui contra Aeneas, speculatus in agmine longo, obvius ire parat:* contra hunc Aeneas parabat ire obvius, cum eum longae vidisset multitudini permixtum. *manet inperterritus ille hostem magnanimum opperiens et mole sua stat:* Mezen- 30 tius autem, cum videret Aenean magnis animis venientem, manebat interritus et virtute sua confisus stabat. *atque*

---

6 *ut* pro *vi* V cf. 332. 17 *ambulat* ed. | *magnis* (infra recte) V. 20 *ipse facit* V *i. f. viam* ed. *iter f.* nos. 23 *ornum* ed. 24 *et montibus* V. 27 *cui* V ed. Verg. libror. nullus. 29 *longe* V ed. *longae* nos propter *longo* in lemmate, ubi *longe* susp. Hoppius. 31 *magno animo* ed. 32 *imperterritus* ed.

oculis spatium emensus quantum satis hastae: atque ita aestimato oculis spatio quo in corpus hostis pervenire hasta potuerat *dextra,* inquit, *mihi deus et telum quod missile libro nunc adsint.* quia omnibus locis contemptor divum
5 dictus est, perseverat in eo ne deum aliquem roget adserens sibi nullum esse necessarium ubi esset dextera sua et hasta quam gerebat, quia iam multos occiderat. contrarium est huic omnis deos inbellibus prodesse non posse, si sua virtute non fidant. iste hoc videtur dixisse: deus mihi est
10 dextra mea, cur ad ulterius adminiculum quaeram? deus mihi est telum meum, quo possum inimici sanguinem fundere, cur aliquem rogem? sint alii supplices qui non habent proprium quo tuti esse in periculis possint et hostem superare certando. *voveo praedonis corpore raptis indutum spo-* 775
15 *liis ipsum te, Lause, tropaeum Aeneae:* solent viri fortes, cum aliquem virum memorabilem fundunt, diis aliquibus et Marti vel maxime tropaea muneris et gloriae causa conferre et, cum id faciunt, deligere arboris truncum eique occisi arma suspendere, in tantum ut armati hominis spe-
20 ciem mentiantur. Mezentius, qui deos suos dixit esse hastam et dextram suam atque omnis semper et ubique contempsit, cui se conlaturum spondet quae se sperabat Aeneae superato posse detrahere? tropaeum, ait, te faciam, Lause, induam te spoliis quae Aeneae rapuero et ad vicem inanis
25 numinis tibi consecrabo melius quicquid dederit hostis occisus. *dixit stridentemque eminus hastam iecit:* ubi haec dixit, stridentem hastam eminus iecit. quod ait eminus, ostendit metuentem; nullus enim ex longinquo iacit telum nisi qui hosti congredi comminus timet. *at illa volans clipeo est*
30 *excussa proculque egregium Antorem latus inter et ilia fixit:* missa hasta dum volat, obiectu clipei occurrentis excussa est et quae Aenean perimere non potuit in Antoris corpus,

---

5 *ne deum aliquem roget* V temere mut. ed. 7 *quia* V *qua* ed. 10 *adulterius* V *alterius* ed. 12 *sunt* ed. 13 *possent* V corr. ed. 15 *trofaeum* V (infra *tropea*). 17 *numeris* V. 19 *ut tantum* ed. 22 *spondit* V. 29 *cum hoste* ed. 30 *antorem* infra *antoren* V, sed *Antor Antorem* poscit. | *et* om. V.

cum proximus staret, excussa pervenit atque eum inter ilia et latus vulnere letali confixit. dicit iam quis fuerit Antor et unde et cuius meriti. *Herculis Antorem comitem,*
780 *qui missus ab Argis haeserat Euandro atque Itala consederat urbe:* Antor est qui merito virtutis fuisset Herculis 5
comes, missus ab Argis ad Euandrum et amicitiam cum eo iunxerat et in urbe Itala esse potius maluerat quam ad suos reditum procurare. *sternitur infelix alieno vulnere:* huius exitum poeta non inaniter gemuit; non enim vir tantus in congressione ceciderat, quod optabile est magnis. 10
sternitur, inquit, infelix: unde infelix? quia alieno vulnere fuerat stratus. *caelumque aspicit:* quasi inimicum in morte sua deorum iudicium reprehendens. *et dulcis moriens reminiscitur Argos:* veniebant Argi in mentem morientis, quasi hoc vel alio genere apud suos non esset moriturus, si reme- 15
asset aut a suis in totum non recessisset. *tum pius Aeneas hastam iacit:* si pium hoc loco misericordem voluerimus accipere, cum non pro loco positum reperietur, quid poetae faciemus omnia circumspecte ordinanti? quomodo ait pius qui hominem quamvis inimicum volebat occidere? piorum 20
enim officium est execrari hominis necem et miserere potius cum severitatem ratio temporis flagitat. considerata igitur Mezenti persona contemptoris divum et eius qui frustra hastam miserat, utpote qui nullo numine iuvabatur, poterimus scire qua ratione hoc loco Aenean dixerit pium, qui 25
sitiebat hominis necem et eius sanguinem volebat effundere. accipiamus Aenean pium officiosum in sacris deorum omnium antistitem numinumque cultorum et hoc exemplo discamus quid sacrilegi et quid religiosi mereantur. sternitur, ut infra positum est, contemptor divum et deorum cultor 30
abscedit de congressione superior spoliaque rapta Mezentio

---

1 *cum* V *quum is* ed. 2 *iam* V *autem* ed. 3 *antore unde* V. 7 *potius* om. ed. 10 *magnis* V *magis* ed. 12 *in* om. ed. 14 *morienti* ed. 18 *loco* V *eo* ed. | *repperietur* V *reperiatur*? 19 *ait pius* V ed. *est pius*? an *ait pium*? 21 *misereri* ed. 29 *mereamur* ed. 30 *positum sit* V ed. *p. est* nos: potest in archetypo *positumst* scriptum fuisse.

consecrat Marti qui colebat deos et interiit qui pro deo habuit dexteram et hastam suam et inprovidus spolia promiserat filio. hoc ita esse et pium religionis causa dicendum conplet exemplum secundo conditum libro (163); ait
5 enim „inpius ex quo Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes fatale adgressi sacrato avellere templo Palladium, caesis summae custodibus arcis corripuere sacram effigiem manibusque cruentis virgineas ausi divae contingere vittas“. item in octavo (84) „quam pius Aeneas tibi enim, tibi,
10 maxima Iuno, mactat sacra ferens“. ecce ostendimus pium religionis contemplatione dictum. si enim inpii dicti sunt qui in deos tam nefanda commiserant, merito pii appellandi sunt qui integro ritu deorum cultus observant. tum pius Aeneas hastam iacit, *illa per orbem aere cavum tri-*
15 *plici,* hoc est triplici aere firmatum, *per linea terga* (accipiunt enim scuta lineam texturam, cum fiunt) *tribusque transiit intextum tauris opus:* transiit, inquit, et opus ro- 785 boratum tribus coriis taurorum. *imaque sedit inguine:* pervenitque ima pars ferri ad inguen seditque illic consumpto
20 impetu. *sed viris haut pertulit:* nec viris plenas pertulit scuti firmitate inpedita et, licet necem hominis inplere nequisset, vulnus tamen intulit tale quod debilem redderet. *ocius ensem Aeneas viso Tyrrheni sanguine laetus eripit a femine et trepidanti fervidus instat:* Aeneas laetus effectus,
25 quoniam hostis sanguinem viderat, eduxit gladium et animo fervGenti insistebat, ut vulnerati plenam perficeret necem. *ingemuit cari graviter genitoris amore, ut vidit, Lausus la-* 790 *crimaeque per ora volutae:* huius casum Lausus ingemuit (tetigit enim eum paternus dolor) et quid maestitiae in-
30 terius gereret uberrimis lacrimis indicavit. videbat quippe quid paterno corpori iam esset inflictum et quid perficiendae necis eius causa hostis acerrimus praepararet.

---

3 *religiosum* V *et r.* ed. *religionis* nos. | *causa* V *illud* ed. | *dicendum* V om. ed. *dictum* expectes ut infra. 7 *argis* V. 8 *manibus qui* V. 19 *adingine* V corr. ed. 21 *sicuti* V ed. *scuti* nos. | *inplere* V *impedire* ed. 24 *feminae* V. 25 *quum — vidisset* ed. 27 *lacrime quae* V. 30 *quippe* V *enim* ed.

Hic mortis durae casum tuaque optime facta, si qua fidem tanto est operi latura vetustas, non equidem nec te, iuvenis memorande, silebo: duram mortem ad aetatem rettulit, adolescentis facta vero deputavit laudi, quoniam in defensione patris occubuit, et, quia tale exemplum transire ad posteros debuit, ait poeta non silebo facta tua, memorande iuvenis; confido enim futurum te in laude maxima, si libri mei habuerint fidem. *ille pedem referens et inutilis inque* 795 *ligatus cedebat clipeoque inimicum hastile trahebat:* cum se Mezentius consideraret debilem redditum atque ex eo ultimam sibi superesse fortunam, referre pedem nitebatur et nexibus vulneris inpeditus paulatim cedere. prudenter autem faciebat ut non aversus nudaret terga incaute, sed retrorsum cedens praesens vitaret exitium; trahebat interea infixam hastam clipeo nec carere ea poterat quam senserat inimicam. *proripuit iuvenis seseque inmiscuit armis:* sese bis accipiendum, ut sit proripuit iuvenis sese seseque inmiscuit armis. quod quia duplicare odiosum fuit, [ita posuit,] ut superiore simul inferiorique serviret. *iamque adsurgentis dextrae plagamque ferentis Aeneae subiit mucronem ipsumque morando sustinuit:* exposuit quod dixit proripuit iuvenis sese; iam enim Aeneas paratus fuerat ut feriret, denique iam levaverat dexteram et ferisset, ni ille celerius ictum venientem praevidens patris corpus iugulumque texisset. 800 *socii magno clamore secuntur, dum genitor nati parma protectus abiret, telaque coniciunt proturbantque eminus hostem [missilibus]:* egregium factum fili secuti socii clamoribus missilibusque hostem terrebant expellentes procul eius accessum, donec subtraheretur qui ex causa vulneris saluti suae non

---

1 *optime* V cf. Serv. hoc Don. ut 402 contra metrum pro adverbio habuisse interpr. docet: Serv. Dan. recte pro vocativo accipit. 2 *nonne quidem* V. 3 *memorandae* V. 4 *depudavit* V. | *quoniam* V *quum* ed. 12 *caedere* V. 13 *ut non* V *ne* ed. | *autem* V *incaute* nos om. ed. 14 *sedens* V ed. *cedens* nos. 18 *fuit ut* V aliquid excidisse patet, *ita posuit* inserui *addit que* inepte ed. 20 *dextrae* V ed. sic etiam Serv. et deteriores Verg. libri. 22 *enim* om. ed. 24 *texisse* V corr. ed. 27 *missilibus* deest in V, sed explicatur.

valebat adsistere. *furit Aeneas tectusque tenet se:* quid enim facere potuisset obsistentibus tantis nisi adversus multitudinis vim sese contegere? furebat tamen, quod plenam de tanto hoste victoriam reportare non poterat. *ac velut effusa*
5 *si quando grandine nimbi praecipitant, omnis campis diffugit arator omnis et agricola et tuta latet arte viator:* quemad- 805
modum, cum e nubibus grandinis nimbi funduntur, cedunt campis aratores et agricolae et contra maiorem vim arte sibi viator consulit. dicit iam artis ipsius industriam: *aut*
10 *amnis ripis,* in lateribus quippe amnium inveniuntur loca quae hominem tegant, aut exesorum laterum receptaculis *aut alti fornice saxi*, hoc est aut suffugio saxei fornicis vitat quod aliter non potest tolerare. fornices dicuntur curvaturae quae aut arcus aut cameras faciunt, sive sint natu-
15 rales sive hominum manu perfectae. *dum pluit, in terris ut possit sole reducto exercere diem:* hunc locum cum pronuntiamus, ibi moram facere debemus ubi dixit dum pluit et sic addere in terris ut possit sole reducto exercere diem, ut rusticus vel viator fugiens grandinem tamdiu se abscondat
20 quamdiu pluit, reducto vero sole exeat de lateribus et in terris exerceat diem, scilicet ut operetur rusticus et viator reliquum itineris adgrediatur ac repetat. ceterum si ita pronuntiemus, ut pluit in terris velimus esse, fiet vitium, non poetae, sed male pronuntiantis; pluit enim in terras
25 dicimus, non pluit in terris. *sic obrutus undique telis Aeneas nubem belli, dum detonet omnis, sustinet et Lausum incre-* 810
pitat Lausoque minatur: sic, inquit, se Aeneas tuebatur adversus nubem belli; quia in parabola grandinem inferri posuit, quae non existit nisi contractis undique nubibus,
30 idcirco eadem et nubem belli dixit et detonet. et Lausum

2 *obsistentibus tantis* V *tot obsidentibus* ed. 6 *agricolae* V. | *et tutu* V *tuta* omisso *et* ed.: *et — viator* ad interpretationem traxit librarius. 9 *consulet* V. 12 *sufugi* V corr. ed. post. 15 *cūpluit* V, sed in interpr. *dum pluit.* 16 *possint* V ed., sed in interpr. *possit.* 23 *pronuntiamus* ed. | *velemus* V. 25 *obruptus* V. 26 *ac* V ed., sed interpr. *et* habet ut omnes Verg. libri. 28 *infra* V ed. *inferri* nos. 30 *et* V *ac* (ut supra) ed.

increpitat: omnem vim telorum cum depelleret, nihilominus increpabat Lausum, hoc est frequentibus vocibus arguebat et tendebat minas his verbis: *quo, moriture, ruis maioraque viribus audes?* bene, inquit, pro patris salute succederes, si mecum aequo Marte certare potuisses; non victurus, sed 5 moriturus ruis in proelium; audere quod inplere non possis extremae dementiae est; dum cupis egregii fili probare pietatem, sic et ipsa eadem incautum et inprovidum deceptura est. hoc est quod ait *fallit te incautum pietas tua. nec minus ille exultat demens,* transductus errore dementiae, 10 dum Aenean metu duci inprudenter existimat, exultare potius maluit saluti suae magis et vitae contrarius. *saevae iamque altius irae Dardanio surgunt ductori extremaque* 815 *Lauso Parcae fila legunt:* supra dixit furit Aeneas tectusque tenet se, habuit ergo iracundiam, quod Mezenti necem 15 non sinebat inplere, sed, cum Lausus insultaret elatus dementia, ira superior cumulata est. convenerant autem duo, ira Aeneae saevientis et inminens terminus Lausi. *validum namque exigit ensem per medium Aeneas iuvenem totumque recondit:* expressit irati percussoris mentem et facilitatem 20 caedis ostendit; nam qui potuit adire medium quam oportunum habuit quem feriret! qui vero totum gladium condidit quantum fuerat ira crescente commotus! *transiit et parmam mucro, levia arma minacis et tunicam, molli mater quam neverat auro:* transiit non semel accipiendum est, ut 25 sit transiit parmam, transiit levia arma, non solida propter aetatem; minacis quasi ad terrorem conpositi; et tunicae commemorationem facit, ut ostenderet pulchre potius vestitum quam armis fortioribus tutum. denique non scutum habuit, sed parmam nec loricam, sed auro claram vestem. 30 neverat, inquit, non fecerat, quod primo fit: ante texturam hoc posuit, ut perfectam speciem demonstraret; quomodo enim posset in usum venire hominis, nisi et netum aurum

---

6 *audere* V *audes* ed. | *posses* V *possis* nos *potes* ed. 9 *fallite* V. 12 *salutis* V corr. ed. 14 *parce* V. 18 *iraeneae* V. 23 *transit,* sed in interpr. *transiit* V. 30 *nec loricam* V *non l.* ed. | *clavam* V. 33 *possit* V corr. ed. | *et netu-*

fuisset et textum? descriptione peracta percussi subnectit et imaginem morientis: *inplevitque sinus sanguis:* quia medium iuvenem dixit esse percussum hoc est supra cingulum, addidit eius sanguinem sinum morientis inplesse. *tum vita*
5 *per auras concessit maesta ad manis corpusque reliquit:* 820 unde, ait, sanguis effusus est recessit et vita.

At vero, vultum ut vidit morientis et ora, ora modis Anchisiades pallentia miris, ingemuit miserans graviter dextramque tetendit et mentem patriae subiit pietatis imago:
10 Aeneas, ut vidit vultum morientis miris modis pallore confusum, ingemuit graviter plena miseratione commotus et tetendit dexteram. cur hoc fecerit multis interpositis dicitur (831), interea redit ad miserationis partis, ut ostendat ex qua causa miseratio ipsa videatur extitisse: mentem
15 ipsius, inquit, commovit ratio pietatis, quia fuerat pater et patri religioso servierat neque fugiebat eum quid filii parentibus, quid parentes debeant liberis. *quid tibi nunc,* 825 *miserande puer, pro laudibus istis, quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum? arma, quibus laetatus, habe tua teque*
20 *parentum manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto. hoc tamen infelix miseram solabere mortem, Aeneae magni dextra* 830 *cadis:* deliberabat Aeneas quid conferret mortuo, cui salutem volens praestare non potuit. volui te, inquit, puer miserande, servare, invidisti ne facerem: quid nunc praestabo
25 prostrato, quem vivum servare contendi? quid restat pietati quod conferat ei scilicet cuius morte gaudere non possum? aetatis tuae iuvenis non potest accedere titulis meis, non possum gloriari de puero et de eo qui mori potius maluit quam patrem videre confectum. ferre non potest
30 animus ut armis tuis tropaea conponam. arma, quibus laetatus, habe tua; non enim convenit haec alicui deo conlata

---

marum fuisset et textum V temere mut. ed. 2 *sinus,* sed in interpr. *sinum* V. 4 *addit* ed. 7 *ut vultum* ed. et Verg. libri. 8 *dextram* sine *que* V. 13 *partis* V *causam* ed. 14 *exquae causam* V corr. ed. 16 *religioso* V *-se* ed. 25 *prostrato* V *tibi* ed. 27 *infinis* V *inde finis* ed. *iuvenis* nos. 29 *malluit* V *voluit* ed.

suspendere; teque parentum manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto: remittam te, inquit, ut porteris ad tuorum sepulchra maiorum, praestabo haec manibus tuis, si tamen aliquod beneficium sentiunt mortui, humanitas mea vel occiso proficiat. verum quia ex morte tua nihil adquiri potest 5 gloriae meae, accedat tuae quod te magnus Aeneas occidit. est quippe memorabile in adversis solacium nomen meritumque victoris et ea cecidisse dextera qua multi viri fortes absumpti sunt. *increpat ultro cunctantis socios:* cum accedere metuerent Rutuli, ut prostratum tollerent, ultro eos obiur- 10 gabat tamquam tardos et neglegentis. *et terra sublevat ipsum sanguine turpantem comptos de more capillos:* hoc loco conplevit quod superius reliquit inperfectum; illic enim dixit „ingemuit miserans graviter dextramque tetendit", hic exposuit causam propter quam tetendit dexteram: et terra, 15 inquit, sublevat ipsum sanguine turpantem comptos de more capillos. sublevabat iacentem comas suas ex more ad pulchritudinem conpositas terrae pulvere et sanguinis sui ubertate turpantem.

Interea genitor Tiberini ad fluminis undam vulnera sic- 20 835 *cabat lymphis corpusque levabat [arboris adclinis trunco]:* truncus proprie dicitur robur arboris, quod relinquitur sine ramis et capite, hoc tamen loco integrae arboris truncum dixit, partem scilicet quae in imo ramis est vacua. istud ita esse ex consequentibus probat. ipse, inquit, gravitate 25 vulneris et salutis suae desperatione defessus sustentabatur arboris trunco. *procul aerea ramis dependet galea:* galea autem eius ramis suspensa pendebat: tangendo truncum et ramos procul dubio arborem integram significavit, cuius imae parti se Mezentius dabat, quae ramos non habebat. 30

2 *ea* om. V (in lemmate habet). | *remittam te* V *remitto te* ed. 4 *humanitas* V *ut h.* ed. 9 *accederem etuenerent* V *accederent et venirent* ed. 11 *negligentes* V. | *et terre* V. 12 *comtos* V. | *hoc* — 17 *capillos* om. ed. 15 *dextera* V. 21 *lynfis* V. | *lavabat* V ed., sed *sustentabatur* interpretationis *levabat* poscit. | *arboris* — *trunco* deest in V, sed explicatur. | *acclivis* ed. 22 *rubor* V. 25 *graviter* ed. 26 *disperationem* V. 27 *proculere armis* V. 30 *partis semelentius* V.

et prato gravia arma quiescunt: galea, quia non magni ponderis fuit, pendebat ex arbore, arma, quia gravia fuerunt, prato reposita quiescebant. *stant lecti circum iuvenes:* qui solarentur aegrum et debilem tuerentur. *ipse aeger, anhelans*
5 *colla fovet:* adiutus arboris trunco reficiebat colla, quae fuerant dolore lassata. *fusus propexam in pectore barbam:* hoc ex abundantia est positum. *multa super Lauso rogitat multumque remittit qui revocent maestique ferant mandata* 840 *parentis:* considerans ex adversis suis quantam vim pertu-
10 lisset Aenea certante, tractans quoque fili personam aetatemque considerans quaerebat plurimum quid ageret Lausus et plurimos mittebat ac saepe qui reducerent inprudentem et maesti patris mandata perferrent. maesti merito, utpote qui ex vulneris causa satis saucius et de fili esset magis
15 magisque salute sollicitus. *at Lausum socii exanimem super arma ferebant flentes, ingentem atque ingenti vulnere victum:* missi autem veniebant flentes, non reducentes vivum, sed scuto portantes occisum. *agnovit longe gemitum praesaga mali mens:* cum venientum gemitum sollicitus accepisset,
20 antequam nati funus cerneret oculis suis, quid mali accidisset agnovit. praevidet quippe animus praesagio mala et quid futurum sit infelici cogitatione denuntiat. *canitiem inmundo deformat pulvere:* bene posuit inmundo pulvere; est enim et mundus. *et ambas ad caelum tendit palmas:* 845
25 quantum dolor inmemorem sui Mezentium fecit! tetendit ad caelum palmas qui deos semper et ubique contempsit. *et corpore inhaeret:* verus viventis est dolor cum mortui funus amplectitur, non est ulla in amplexu funeris delectatio, sed quaedam medicina plangentis. *tantane me tenuit*
30 *vivendi, nate, voluptas, ut pro me hostili paterer succedere dextrae quem genui? tuane haec genitor per vulnera servor morte tua vivens? heu, nunc misero mihi demum exitium* 850

---

1 *galea qui* V. 2 *fuerant* ed. 3 *quiescebat* V. | *laeti* V. 6 *dolores* V. 8 *multosque* ed. 10 *aeneai* V. 13 *ac moesti* ed. 14 *et* om. ed. 15 *ast* ed. | *exanimum* ed. 18 *scuto* V *super arma* ed. 20 *accedisset* V. 25 *quantum — 26 contempsit* om. ed. 28 *dilectatio* V.

infelix, nunc alte vulnus adactum: huncine habuit exitum sors mea et optatum vivendi desiderium? hunc ordinem tenuit, ut infelix pater per fili servarer interitum? o miser ordo moriendi: vivo quem priorem convenerat mori et interiit qui superesse debuerat patri. servor infelix per fili interi- 5 tum et letum carissimi pignoris inpudentibus oculis cerno. ego ista miserrimus feci et malum omne quod aetatis tuae fata dirupit ego conflavi. non te sinerem cum tanto hoste certare et ab inpari pugna cautior revocarem. o hominum miseranda condicio, praesentium caeca, nescia futurorum! 10 si hostilem impetum virtutemque nescieras, facere te debuerat mea calamitas cautiorem. pergis non defensurus patrem, sed pro patre moriturus. cui adhuc servor infelix, cui non vivendi voluptas, quae in te tantummodo fuit, sed luctus accrevit et poena? haec est sortis meae plaga de- 15 terior, hoc perniciosissimum vulnus, quod nullum temporis spatium, nulla potest medicina sanare. insedit altius et tota penitus interna possedit, nihil dolore est vacuum, totum luctibus fetum est, totum sibi orbitatis duritia mancipavit. *idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen:* nec me fugit 20 male gesta mea et obrutam multis criminibus vitam nomen tuum et innocentiam maculasse. incipit iam causas enumerare quibus fili sui salus videretur oppressa: *pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis:* exclusus, ait, patrio regno per invidiam civium. cum dicit invidiam, vult osten- 25 dere non se meruisse quae passus est. *debueram patriae poenas odiisque meorum:* aut, si iuste petebar ad poenam, tradere me suppliciis debui. duo latera tetigit: aut nihil adversi de civibus merui aut, si digna repetebantur, contentum esse convenerat; non enim vivendum fuit cum odio 30

---

2 *mors mea* V ed. 3 *interitum servaretur* ed. 4 *moriendo* V corr. ed. | *ego* ante *quem* add. ed. | *interii* V corr. ed. 7 *ego* V *esto* ed. 8 *dirripuit* corr. in *dirrupuit* V *diripuit* ed. 9 *pugna* V *p. te* ed. 10 *condici* V. 15 *placa* V. 16 *pernitiosissimum* V. 18 *totum* — 19 *mancipavit* om. ed. 21 *gestam meam* ed. 22 *enumerare* V *criminari* ed. 25 *civium* om. ed. 29 *contemptum* V *contentum* ed.

cunctorum civium. *omnis per mortis animam sontem ipse dedissem:* consentirem adversis meorum studiis et me qua vellent poena conficerent. *nunc vivo neque adhuc homines* 855 *lucemque relinquo. sed linquam:* nunc, inquit, vivo qui olim
5 debueram mori; vivere enim non debui qui universis civibus meis qualibet ratione displicui. neque adhuc homines et lucem ipsam relinquo: cum deliberat et per incerta consilia rapitur, fixit sententiam et extremis tandem aliquando consensit dicens sed linquam: faciam, inquit, serus quod
10 olim differendo non feci. *simul hoc dicens attollit in aegrum se femur:* cum ipso ultimo verbo sententiae suae qua iudicavit sibi esse moriendum in aegrum se extulit femur. *et, quamquam vis alto vulnere tardet,* et, licet tardaretur alti vulneris violentia, *haut deiectus,* non tamen in totum de-
15 bilitatus animo, *equum duci iubet,* ut eo veheretur debilis quo uti solitus fuerat cum floreret. *hoc decus illi, hoc solamen erat, bellis hoc victor abibat omnibus:* ipse ornamentum 860 domino fuit, solacium ipse, ipsius auspicio remeavit bellis ex omnibus victor. ecce non solum corporis vitium equi
20 auxilium flagitabat, talis etiam fuit qui ad ultionem duci debuisset; non enim vincere Mezentius cupiebat quam fili interitum vindicare, tali ergo equo uti voluit qui non nisi cum palma remeare consuesset. *adloquitur maerentem,* quasi mala domini etiam ipse sentiret, *et talibus infit,* et hunc
25 talibus verbis adfatur: *Rhaebe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est, viximus:* qui videbatur tristis sentiebatur posse dominum audire loquentem. diu est, inquit, quod viximus, Rhaebe, si tamen durat aliquid mortalibus diu et diu dici potest quod clauditur fine. *aut hodie victor spolia illa cru-*
30 *enta et caput Aeneae referes Lausique dolorum ultor eris mecum aut, aperit si nulla viam vis, occumbes pariter:* 865

---

7 *cum* om. ed. | *deliberabat* ed. 10 *haec* ed. 11 *suae* om. ed. 13 *tardat* ed. | *haud — iubet* post. *tardat* interpol. ed. 14 *non tamen* V *tamen neque* ed. 18 *ipse solatium* ed. 19 *vitium equi auxilium* V in absurdum mut. ed. 21 *vincere* V *tam v.* ed. cf. v. 369. 23 *consuisset* V. 25 *affatus est* ed. | *rahebe,* infra *rhaebe* V. 28 *diua et diu* V.

prospera simul et adversa proposuit, quoniam habent haec incerta bellorum, sed tamen desiderio non vivendi, sed vindicandi filium. haec primo constituit quae cupiebat inpleri secutumque est quod poterat esse contrarium cumque hoc ipsum diceret, addidit solacium ipsius eventus adversi: aut 5 remeabimus, inquit, gloriosi post factum et fili mei vindicabimus mortem aut erit nobis perisse beneficium. *neque enim, fortissime, credo, iussa aliena pati et dominos dignabere Teucros:* neque enim dignum est ut in potestatem hostilem venias et servias Teucris. prosperum, ut diximus, 10 posuit et adversum, sed falsa spe in alio ductus est, in altero praesagium protulit. nam qui fieri potuit ut Aeneae manus debilitatus evaderet qui bene valenti corpore tam graviter potuit vulnerari? aliud tamen, quod praesagii loco conplexus est, accidit; nam uterque in secundo certamine 15 ceciderunt.

Dixit et exceptus tergo consueta locavit membra: non dixit ascendit, quoniam hoc facere non potuit, sed exceptus est inquit, ut ostenderet ex superiore loco in equi terga esse susceptum. *manusque ambas iaculis oneravit* 20 *acutis:* quantum timorem procedentis expressit, qui, cum se adverteret viribus parvis, ambas manus telis multis et acutis oneravit, quasi cessante substantia dimicantis telorum rigor aut numerus hostem superare potuisset! *aere caput fulgens cristaque hirsutus equina:* quid debili 25 prodesse posset aut fulgens galea aut saetosa a capite 870 crista? *sic cursum in medios rapidus dedit:* equi cursum in medios dedit, non suum. *aestuat ingens uno in corde pudor mixtoque insania luctu:* exposuit cur dictum sit cursum rapidus dedit; duobus enim animi motibus aestu- 30 abat, pudoris, quia invenerat fortiorem et cuius virtutem

---

1 *quoniam* V *quae* ed. 10 *hostilem* V *hostium* ed. 11 *alio* V *altero* ed. 13 *be valenti* V *praevalenti* ed. 15 *utrique* ed.: *uterque* codicis non mutavi, quamquam Don. talia vitiosa dicit 11, 145. 18 *abscendit* V. 19 *equi erga* V *t* superscr. man. II. 24 *rigor* V *vigor* ed. 25 *debili* V *debilitato* ed. 26 *saetos acapite* V *setosa in c.* ed. 28 *uno* V *imo* ed.

in vulneris atrocitate persenserat, luctus quoque, quia talem perdiderat filium. *atque hic Aenean magna ter voce vocavit:* debuit non provocare eum cuius virtutem senserat et timere potius quem exemplo suo probaverat fortiorem,
5 sed cur metueret cui aequis votis aut vincere optabile fuit aut perire? vocavit igitur Aenean magna voce et tertio hoc fecit tria monstrans signa constantiae: quod enim primus sese ingessit, quod clara voce provocantis expressit audaciam, quod tertio hoc fecit, ostendit mag-
10 nam in se post vulnus acceptum animi perseverasse constantiam nec de suis aliquid conatibus deminutum. *Aeneas agnovit enim laetusque precatur:* mox ut Aeneas Mezentium vidit venientem et vocem totiens clamantis audivit, intellexit quae causa debilem revocasset ad campum;
15 sciebat enim dolore perditi fili hostem venire conpulsum, quae res attulerat gratulationem maximam, ut in congressu perficeret quod inpedientibus plurimis primo conplere non potuit. remisit tamen etiam ipse responsum, ne timorem aliquem silentio testaretur: *sic pater ille deum* 875
20 *faciat, sic altus Apollo, incipias conferre manum:* idcirco ait incipias conferre manum, quia hastis supra certatum est et inde videbatur evasisse, quia plurimorum defensus auxilio certamen vulneratus effugerat, accedente etiam eo quia apparebat eum non conlaturum manum qui equo
25 potius fideret, non pedibus suis. *tantum effatus et infesta subit obvius hasta:* magnam animi ac virtutis fiduciam monstrat qui in hostem primus tela contendit. quod Aeneas non dubitavit perficere pergens obvius cum infesto ictu hastae, ne habens tanti equi subsidium iterum
30 verteretur in fugam. *ille autem,* id est Mezentius, dixit: *quid me erepto, saevissime, nato terres? haec via sola*

---

1 *luctus quoque* V *et l.* ed. | *qua* V *quia* corr. ed. 4 *timeri* V corr. ed. 7 *tertio* V *ter* ed. | *tria* — 9 *fecit* om. ed. 12 *enim* V *eum* ed. 16 *in congressu* V ed. an *II congressu* i. e. *secundo c.* in archetypo fuit? 17 *plurimis* V *multis* ed. 20 *facit* V. 25 *pedibus suis* V *suis viribus* ed. 26 *magna* V. 30 *dixit* V *inquit* ed.

880 *fuit qua perdere posses. nec mortem horremus nec divum parcimus ulli. desine! nam venio moriturus et haec tibi porto dona prius:* orbatum filio frustra territas patrem; plus enim post illius excessum cupio mori quam me ipse cupis occidere; sed in hanc partem saevitiam tuam potius 5 contendis exercere, cum formidulosis vocibus terres cui votum est post filium mori. odi hanc lucem in qua incolumem natum meum videre non possum. invenisti viam qua Mezentium perderes; alia enim superare non posses. tunc vita mea consumpta est cum caderet Lausus, tunc 10 perii cum funus eius infelicibus oculis vidi. non horreo mortem, quin potius amo. haec enim dabit finem doloribus meis, haec mihi misericors filium reddet et manibus eius patrem miserum benigna coniunget. nihil est, saeve hostis, quod me ulterius terreas. mors mihi beneficium 15 est cuius minaris adventum. non parco diis, quos ipse veneraris et colis, nec superstitiosis precibus rogabo quos contemno. habes aemulum studii tui: si religiosus es, feri sacrilegum, si perniciosus hostis, macta captivum. sileat iam protervitas linguae et sermo, quo te plurimum 20 iactas, terminum sumat. una mihi eademque sententia est, moriturus potius quam victoriam quaesiturus advento. sume tamen morituri munusculum et, antequam id fiat quod provenire iam cupio, excipe hastas meas, ut irascaris et ferias. *dixit telumque intorsit in hostem, inde* 25 *aliud super atque aliud figitque volatque ingenti gyro:* post haec quae dixit iacere hastas plurimas coepit circumiens Aenean ingentibus gyris, ne aversum ferire potuisset. *sed sustinet aureus umbo:* occurrebat Aeneas omnibus telis et haec excipiebat scuto. ecce probatum est qua causa 30 Mezentius ambas acutis telis oneraverat manus. tanta enim non mitteret, nisi hoc consilio primitus praeparasset.

1 *hor* pro *horremus* V. 2 *illi* pro *ulli* V. | *desinam* V *desine iam* ed. 4 *plus* V *magis* ed. | *quamquam* V ed. *quam* nos. 6 *cum* V *quando* ed. | *formidolosis verbis* ed. 18 *aemulos* ed. 27 *cepit* V. 29 *aureos* V. 31 *tanta* V *tecta* ed. *tela* ed. post. 32 *mittebat* ed.

ille igitur multa tela mittebat, figebat multa, sed haec scuti ambitus sustinebat, excipiebantur resistentis arte, nullum veniebat in corpus. *ter circum adstantem laevos* 885 *equitavit in orbes tela manu iaciens:* cum Aeneas uno in 5 loco consisteret, ter Mezentius laevos in gyros circumiit stantem manu dirigens tela. *ter secum Troius heros inmanem aerato circumfert tegmine silvam.* quotiens Mezentius circumiit Aenean gyris totiens heros Troius occurrit scutum obiciens, quod iaculis iam fuerat infinitis insertum 10 et silvae faciem praeferebat. *inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet vellere et urgetur pugna congressus iniqua:* ubi tantae extractae sunt morae, ubi pudebat tantum telorum numerum scuto portare tantaque † essent, ut haec velli vel portari non possent, et cum urgeretur ini- 15 quo certamine (iniquum certamen ideo fuit, quia Mezentius equi praesidio iuvabatur et e summo pugnabat, Aeneas vero in plano positus maiore laboris pondere gravabatur), *multa movens animo iam tandem erumpit.* 890 multa quae facere deberet ipse conferens secum tandem 20 reperto consilio erumpit in factum; arte enim opus fuit, ut ipsa peteretur causa quae iniquitatem certaminis fecerat. denique moris abruptis *inter bellatoris equi cava tempora conicit hastam:* magno hoc consilio factum est; noverat enim Mezentium idcirco equi auxilium petivisse, 25 quia ipse debilis fuit. recte igitur Aeneas de equi prima pernicie cogitavit; ipso enim occiso non magni laboris fuerat ad ipsius equitis interitum pervenire. *tollit se arrectum quadrupes,* hoc est erectis primo per aera pedibus primis posterioribus stetit. *et calcibus auras verberat:* 30 intellegitur hoc mutato schemate posterioribus pedibus fecisse et, cum dolore pernicioso turbaretur, obsequium

---

11 *specula* V. 12 *ettractae* V *tractae* ed. 13 *tantamque* V corr. ed. | *essent* V ed. corruptum puto: *esse videbat?* 14 *ū = vel* V *aut iam* ed. 15 *inicum certamine ideo* V corr. ed. cf. 901. 16 *iubatur* V om. ed. | *summo* V *e s.* nos *in s.* ed. 20 *reporto* V corr. ed. 21 *ipse* V corr. ed. | *faceret* ed 30 *mutatos cemate* V.

solitum et portandi consuetudinem perdidisse. *effusumque equitem super ipse secutus implicat:* aut ruina corporis sui equus dominum implicavit aut quia sic deiecit, ut ille se explicare non posset. *eiectoque incumbit cernuus armo:* praeter letale quod exceperat vulnus alius ei casus ac- 5 cessit, ut eiecto armo cecidisset. cernuum dicunt qualem ipse Vergilius demonstravit porrecto uno pede, hoc est altero ex primis, reliquis vero collectis, capite quoque in terram coartato. huic accesserat malo quod etiam armum perdiderat, ut nec ausus ipse reparatione aliqua 10
895 iuvare potuisset. *clamore incendunt caelum Troesque Latinique:* quis enim non miraretur aut consilium viri fortis aut facti ipsius et fortunae proventum? *advolat Aeneas:* celeritate quippe opus fuerat, antequam ille se forte colligeret aut iterum subveniretur a sociis. *vagi-* 15 *naque eripit ensem et super haec:* et advolat et eripit totum ad celeritatem demonstrandam pertinet; utrumque enim simul factum intellegitur et super terrorem educti gladii haec addidit insultantibus verbis: *ubi nunc Mezentius acer et illa effera vis animi?* quam brevis dictio 20 eius qui properabat ad exigendam poenam? quo nunc, inquit, Mezenti fortitudo discessit? quomodo semel tua tecum feritas periit? quid profuit sic vixisse aut male meruisse de sociis? quid deos tota temeritate tempsisse? haec Vergilius non specialiter posuit, ne longum faceret 25 dictionis tractum, quem brevem esse convenerat, tamen in eo quod dixit effera vis animi tui ubi est possunt etiam illa quae diximus et multa alia coniecturaliter colligi. *contra Tyrrhenus, ut auras suspiciens hausit caelum mentemque recepit:* ecce propter quam causam 30

---

4 *ceruus* V (et infra). 10 *ausus* om. ed. 11 *iuvari* ed. | *intendunt* V. 12 *miseretur* V *miraretur* U nos *miretur* ed. 13 *eventum* ed. 14 *opus spreverat* V *o. fuerat* nos *erat* ed. 18 *enim* om. ed. 21 *properabat* V *se praeparabat* ed. 22 *semel* V *simul* ed. 23 *tecum* transpos. ed. | *perit* V corr. ed. | *si* V *sic* corr. ed. 24 *temsisse* V *contempsisse* ed. 25 *nec longum* V corr. ed.

Aeneas properavit: recepit sensum Mezentius, sed iam sub gladio positus quid auderet? quid faceret iacens? quid debilis? quid oppressus? potuit tamen loqui et locutus est quae necessitas exigebat. *hostis amare, quid increpitas* 900
5 *mortemque minaris?* duo mala, et hostem esse et amarum: hoc genere et gladio stricto et insultationi respondet; denique sequitur quid increpitas, quoniam hoc ad insultationem et verba pertinet, mortemque minaris, quia hanc stricto mucrone minabatur: si occisurus es, inquit,
10 iam feri, quid verbis protrahis moriturum? saevitia est hostem diu cruciare sub gladio, saevitia est verbis amaris adpetere. *nullum in caede nefas:* an numquid idcirco dexteram gladiumque suspendis, quod existimas nefas esse, si ferias? nullum crimen est, si hostis tuus quod parabat
15 excipiat. *nec sic ad proelia veni:* non sic hoc est non ea intentione repetivi certamen, ut vincerem. probatio huius dicti addenda fuerat, idcirco adiecit *nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus. [unum hoc per si qua est victis venia hostibus oro]:* Lausus me perire
20 voluit, Lausus tecum pactum meae mortis induxit, non rogo, quoniam non libet superesse post filium, non rogo quod mereri contrarium est, unum tamen peto, quod victi semper inpetrare consueverunt et quod ipse sponte praestitisti filio meo: *corpus humo patiare tegi.* verebatur
25 enim ne cives sui veteris ac iusti odii memores funus execrabile per membra discerperent et quod vivo nequiverant redderent mortuo. denique, cum peteret sepulturam, addidit *scio acerba meorum circumstare odia:* ecce ostendit quid timeret; noverat quippe se nihil de suis praeter 905
30 acerba odia meruisse. graviter enim sperabat moveri posse quos graviter laeserat. *hunc, oro, defende furorem*

---

4 *incretas* pro *increpitas* V. 5 *amarum* V *a. dixit* ed. 7 *quō* = quoniam V *quomodo* ed. 8 *quia* — 9 *minabatur* om. ed. 9 *est* V *es* corr. ed. 12 *incede* pro *in caede* V. 16 *certamine* V corr. ed. cf. 889. 18 *unum* — 19 *oro* deest in V, sed explicatur. 21 *quoniam non libet* V super *b* punctum posuit man. II. 22 *meriri* V. 26 *nequiverunt* ed. 31 *quod* V ed. *quos* ed. post.

et me consortem nati concede sepulchro: consortem me fecisti filio uno utrumque gladio perimens: uni nos sepulchro, pulso meorum furore, concede. *haec loquitur,* hoc est dum haec loquitur. *iuguloque haut inscius accipit ensem:* probavit Mezentius quod libenter quaesiverat mortem. sciens denique praebuit iugulum, sciens impetum mucronis excepit. *undantique anima diffudit in arma cruorem:* quo facto cruorem in arma diffudit et animam naturae restituit. 5

---

3 *pulsu* ed. 4 *dum haec loquitur* V *haec Mezentius precando loquitur* ed. 7 *undantique — cruorem* V secundum Verg. libros mut. ed., sed interpretatione confirmatur, Don. enim *undanti* pro effusa accepit. — subscriptio deest spatio relicto vacuo.

AENEIDOS LIBER XI.

Oceanum interea surgens aurora reliquit: initium diei dicit venisse et eam horam qua nondum sole exorto praecedens iam apparet aurora. *Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis praecipitant curae turbataque funere*
5 *mens est, vota deum primo victor solvebat Eoo:* duo habuit Aeneas quae faceret, humare occisos et diis vota persolvere; alterum enim propter humanitatem fuerat curandum, alterum propter venerationem deorum, quibus iuvantibus multa prospere gesserat, debuit inpleri: sed,
10 quia divina obsequia ceteris omnibus praeponenda magisterio suo Vergilius monstrat et ipsum Aenean in deorum cultu vult ostendere peritissimum, sic consilia eius adsignat. licet enim Aenean ipsum tangeret cura humandi eos quos bella deiecerant, hanc tamen deorum causa, non
15 omisit, sed distulit negotiorum ordinem veris tractatibus tribuens. oriente quippe aurora, antequam quicquam nostrorum actuum moveamus, praeteritorum recte gestorum vota solvenda sunt et futurorum vel praesentium poscenda prosperitas. *ingentem quercum decisis undique* 5
20 *ramis constituit tumulo:* illic enim templum fuerat nullum cuius fastigio captiva arma suspenderet aut infigeret foribus. elegit igitur ostentationis causa tumulum multo quam alia editiorem: hic constituit ingentem quercum amputatis undiqueversum ramis, ne brachia arboris

4 *turbaque* V corr. man. II. 9 *multa* V *m. quae* ed. | *inpleri* V ed. *implere* ed. post. 11 *et ipsum* V *ut* interpos. ed. 14 *causa* V *causam* ed. 16 *antequic quam* V corr. ed. 20 *tuerat* V in *fuerat* corr. man. II. *tum erat* HOU ed. *fuerat* nos. 23 *quam aliae ditiorem* V *aliis altiorem* ed.

adaptandis indumentis obstarent. ingentem vero ideo, ut gestandis omnibus, quae magni ponderis fuerant, idonea perduraret. omnia haec laudes Aeneae testantur, quod erga deos pius, quod humanitatis memor, quod virtute praecipuus, quod in tractatibus primus, quod peritus in 5 sacris, et quicquid de hostibus manu eius occisis praeferendi genere dicitur ipsius laudibus adplicatur et gloriae. tunc enim apparet nomen meritumque victoris, si dicatur potens qui superatus adseritur. consecrandi quoque tropaei causam quam putamus fuisse nisi quae tangeret 10 deorum venerationem? debuit enim armis eius votum solvi numinibus qui sacrilega mente deos semper et ubique contempsit. *fulgentiaque induit arma, Mezenti ducis exuvias:* Mezenti cum pronuntiamus, nomen ipsum debemus extollere, ut in appellatione herois tanti intellegantur et 15 facta victoris. fulgentiaque induit arma, Mezenti ducis exuvias, ut induta stipiti cernerentur quibus Mezentius floruit, *tibi, magne, tropaeum, bellipotens,* essentque tibi addicta, bellipotens Mars, quorum te dominus cum ceteris numinibus tempsit. quantae gloriae instar extitit in morte 20 Mezenti! cecidit quippe totius exercitus dux, cecidit qui in Turni classibus magnae ferebatur esse virtutis, cecidit totius crudelitatis auctor et scelerum princeps, peremptus est sub Aeneae certamine quem omnis suorum multitudo iustis odiis excitata necare non potuit, extinctus 25 est quem sibi Turnus credidit necessarium, vindicatus est Euander, vindicati Tyrrheni, quibus inpune tot supplicia et tot strages inflixit, inventus Aeneas cuius occumberet manu qui negaverat deos. *aptat rorantis sanguine cristas,* scilicet adhuc stillantis sanguinem; eo enim mo- 30 mento mactatus est. *telaque trunca viri:* trunca, hoc est sine domino, haec autem tela accipienda sunt quae scuto Aeneas exceperat atque infixa fecerant silvam et quae

---

1 *adestandis* V *adgestandis* HO *gestandis* ed. 17 *et induti stipiti* V *ut induto stipite* ed. 18 *essentque* V *quae essent* edF. 19 *dominum* ed. 20 *contempsit* ed. 28 *inflixerat* ed. 29 *negaverat* V *spreverat semper* ed.

adhuc portabat Mezentius; item possunt trunca intellegi quae nec hostis necem perficere nec dominum tueri valuerunt. *et bis sex thoraca petitum perfossumque locis:* 10
quanta vis fuit istius qui duodecim plagis occidi non
5 potuit! constat enim dehinc iugulo confossum dedisse terminum vitae. aptat dixit apte conponit et hoc ipsum aptat non semel accipiendum est; aptavit enim cristas galeae, aptavit tela, aptavit et thoraca. *clipeumque ex aere sinistrae subligat atque ensem collo suspendit eburnum:*
10 subligat et suspendit: simile factum pulchre verbis dissimillimis variavit, sed scutum sic apparebat quasi teneretur, tamen etiam ipsum pendebat sinistrae subligatum. hastam quoque constituit, quam vivo adhuc Lauso Mezentius miserat (10, 776). *tum socios (namque omnis*
15 *eum stipata tegebat turba ducum) sic incipiens hortatur ovantis:* tum hoc est perfectis divinis rebus socios suos incipit adloqui; illic enim cum ducibus adfuerunt frequentes cum plena laetitia, quod tam pernicioso hoste caruissent et in quo pars Turni fuerat debilis reddita. interea
20 quanta occasio loquendi laetis rebus et sociis vel maxime potioribus in unum collectis! sociorum significatione non solos Troianos sed et eos qui iis auxilio venerant debet intellegi illis coetibus interfuisse. *maxima res effecta, viri, timor omnis abesto, quod superest; haec sunt spolia* 15
25 *et de rege superbo primitiae manibusque meis Mezentius hic est:* occiso, inquit, Mezentio maxima pars belli confecta est, reliqua non sunt metuenda; quicquid enim superest bello perempto isto proclive perfectum est. nullus congressionem metuat in qua Mezentius non est ac, ne
30 forte dubitetis occisum, ipse iste est de quo primitias feci, ipse est qui pendet arboris trunco, talis est redditus manibus meis qualem videre maluistis. cetera diis faven-

---

10 *dissimilibus* ed. 15 *eum* om. V. 17 *illic* V *illi* ed. 21 *significatio* V ed. *-one* nos. 22 *solus Troianus* V *solum Troianos* ed. | *et* om. ed. | *in auxilio* V ed. *iis a.* nos. 23 *illis — interfuisse* temere mut. ed. 28 *bello* V *belli* ed. 31 *arboris* V *in a.* ed.

tibus non dubito posse conpleri; quale enim dedit iste initium successibus meis talem reliqua sortientur effectum. primitiae proprie dicuntur quae offeruntur diis de fructibus novis aut fetibus gregum. de rege superbo: sic, inquit, merentur occidi qui in regni potestate constituti 5 opprimunt potius quam sublevant suos. quid de se spondeat Aeneas coniectare facit: alienum est . . . . cui aliena mala tam graviter displicebant. *nunc iter ad regem nobis murosque Latinos: arma parate animis et spe praesumite bellum:* dixit gesta et agenda praenuntiat. 10 nunc, inquit, nobis ad regem dirigendum est iter et ad ipsam civitatem quae refugium est inimico, sola superest, ut conficiatur plena victoria. arma sint in animis vestris armaque tractentur: sperate gerundum nobis esse certamen et spem paratam esse vincendi. edictis quae 15 necessario fuerant proferenda reddit rationem ostendens quid fuerit causae ut ista praediceret. *ne qua,* inquit, 20 *mora ignaros, ubi primum vellere signa adnuerint superi pubemque educere castris, inpediat segnisque metu sententia tardet:* hoc, inquit, propterea ante tempus dixi, ne meae 20 dispositionis ignaros turbet repentina commotio et opportuna faciendi celeritatem mora aliqua de timore corrumpat nec tunc consilia capiantur cum manus requiruntur et facta. *interea socios inhumataque corpora terrae mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est:* interea, 25 inquit, hoc est dum interim vacui a certamine sumus, nostros socios sepulturae mandemus; hanc enim mortuis praecipuam honorificentiam superstites debent, hoc exigunt manes. in huiusmodi incertis solet poeta non interponere auctoritatem suam, sed dicere fama est aut dicunt aut 30

---

7 *spondebat* V ed. | *fecit* ed. | post *alienum est* lacunae signum posui cum ed F I, quam sic expleas: *illud ab eo* „iniustum imperium ab eo“ interpol. ed. post. 12 *solum* ed. 15 *edictis* V *et dictis* ed. 20 *ne* V *ne vos* ed. 21 *ignarus* V corr. ed. | *turbasset* ed. | *opportunam* ed. 22 *de* V *ex* ed. 23 *manus* V *vires* ed. 26 *interim* om. ed. | *vacua* V *vacui a nos vacui* ed.

perhibent et alia huiusmodi, ut, si falsa reperta fuerint, non adserentis professione teneantur, sed audita narrantis, hoc autem loco, cum Aeneae personam loquentis induceret, ait „qui solus honos Acheronte sub imo est", quod ipsum
5 non dubitantis, sed ex aperto firmantis est. si enim esset incertus, dicere debuit qui solus honos esse apud inferos fertur. hoc fieret, si non esset Aeneae persona, at cum ipsum inducit qui haec apud inferos probavit et vidit, recte confirmat exire mortuos sepulturam. quippe
10 in sexto libro (325) dictum est „haec omnis quam cernis inops inhumataque turba est, portitor ille Charon, hi quos vehit unda sepulti. nec ripas datur horrendas et rauca fluenta transportare prius quam sedibus ossa quierunt. centum errant annos volitantque haec litora circum,
15 tum demum admissi stagna exoptata revisunt". hoc Aeneas Sibylla exponente cognoverat, item Palinurus (6, 363) hoc rogavit, ut, quia inter insepultos errabat, repertum sepulturae mandaret: „quod te", inquit, „per caeli iucundum lumen et auras, per genitorem oro, per spes surgentis
20 Iuli, eripe me his, invicte, malis aut tu mihi terram inice". ecce dicta est causa propter quam dixit qui solus honos Acheronte sub imo est. *ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis hanc patriam peperere suo, decorate supremis* 25 *muneribus:* consultorem talem quam libenter a circum-
25 stantibus putamus auditum, cum sic nominaret eos quos belli certamen absumpserat! qui proprio, inquit, sanguine gloriam nobis et libertatem pepererunt supremam merentur honorificentiam hoc est exequiarum pompam et funerum sepulturam. haec dicendo audientum animos erigebat;
30 si enim illi iam pepererant patriam qui perierant, vivi securitate parta laeti esse debuerant. praeterea unusquisque se aut casurum inminenti bello aut praeterito

---

8 *aut cum* V corr. ed. 9 *sepulturam* V *e sepultura* ed. 12 *sed trunca* V *et rauca* superscr. man. rec. 15 *tunc,* sed in VI *tum* V. 17 *sepultos* V corr. ed. 19 *spes* V *spem* ed. in VI *per spes surgentis Iuli* deest. 29 *audientium* ed. | *animas* V corr. ed. 32 *casurum* V *causarum* edF.

cadere potuisse considerans libenter audiebat pia, religiosa et humana tractantem. patriam dicimus pro libertate positam ideo, quia, cum quis ex servo liber efficitur, civitatem Romanam dicitur consecutus et haec bellorum condicio est, ut victi libertas intereat et efficiatur dominus 5 is qui victoriam fuerit consecutus. idcirco hic positum est etsi ceciderunt tanti ac tales, tamen sic eos abstulit ultimus dies inflicta clade hostibus, nobis vero ex maxima parte procurata victoria et erepta periculis omnibus libertate. potest et sic intellegi qui sanguine nobis hanc 10 patriam peperere suo, ut sic mortui videantur firmata penes Troianos possessione Italiae. *maestamque Euandri primus ad urbem mittatur Pallas:* generaliter loquebatur de mortuis: potuit fieri ut quibus mandabatur sepulturae curatio istum quoque aut exurerent flammis aut terrae 15 mandarent, hunc igitur a ceteris separat; regales enim numquam confuse sepulturae iunguntur. eo accedebat quod orbatus filio pater vel mortuum suscipere debuit, si non quivit videre victorem. *quem non virtutis egentem abstulit atra dies et funere mersit acerbo:* est in adversis 20 solacium, si mors ipsa habeat excusationem: iste quomodo excusatur? non, inquit, ut inbellis cecidit, sed rapuit eum ultimus dies; debebatur enim misero in ipso flore iuventutis occumbere. ecce tulit gloriam Turno, qui eum in congressione prostraverat, cum dicit eum 25 fataliter interisse.

30 *Sic ait inlacrimans recipitque ad limina gressum, corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes servabat senior, qui Parrhasio Euandro armiger ante fuit, sed non felicibus aeque tum comes auspiciis caro datus ibat alumno:* 30 mox ut Aeneas sepeliendorum curam et transferendi Pallantis sollicitudinem posuit, recepit se ad limina, id

---

1 *pia* V *p. et* ed. 6 *eius qui* V *is qui* corr. ed. 7 *etsic* V corr. ed. | *tanti* V *tot* ed. | *sic eos* om. ed. 17 *confuse* V *-sae* ed. | *sepulturae* V ed. *sepultura?* 23 *debebat enim miser* ed. 24 *tulit* V *abstulit* ed. | *gloria* V corr. ed. 32 *recipit* ed.

est ad locum in quo iacebat funus, quod servabat Acoetes senior. hic Vergilio fatorum iniquitas displicet; servabat enim longaevus infelicissimum iuvenis funus et obierat qui per aetatem prodesse rebus publicis potuit, incolumis
5 vero fuerat qui Euandri comes tot evaserat bella et Euandri filius iacebat occisus. sed nec ipsa patris et fili paria esse auspicia potuerunt; nam quotiens Acoete comite Euander ivit ad bellum utrisque totiens laurea triumphique cesserunt: perrexit cum miserrimo Pallante
10 non reducturus incolumem, sed reportaturus extinctum. o dispar pugnandi condicio! o fortuna diversis favoribus currens! alter inter arma et gladios potest in senium durare cum socio, alterius dies una et pugnam spectavit et mortem. potest etiam sic intellegi corpus ubi exanimi
15 positum Pallantis Acoetes servabat senior, quia iuvenes tenebat sollicitudo pugnandi. quapropter, vel quia senex perindeque vacuus, vel quia viventi adpositus a patre, recte funus servabat occisi. *circum omnis famulumque manus Troianaque turba et maestum Iliades crinem de* 35
20 *more solutae:* servi domini sui casum et Troianae matres infelicem iuvenem plena miseratione plangebant crinibus passis. *ut vero Aeneas foribus sese intulit altis:* supra dixit recipitque ad limina gressum, ut significaret primum ingressum loci in quo Pallas iacebat exanimis, nunc mon-
25 strat eam partem atque id membrum ubi revera funus expositum plangebatur. ut, inquit, fores interiores ingressus est, *ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt pectoribus maestoque inmugit regia luctu:* moralitatem, ut multis locis fecit ac paene omnibus, etiam hoc loco evi-
30 denter expressit; nam gravius mugitur et plangitur ubi adfuerit quem maior causa doloris exagitat. ut igitur Aeneas ingressus est, tanti omnium gemitus et planctus emissi sunt, ut etiam primas fores et ipsam regiam gravis

1 *ocoetas* (in lemmate recte) V. 13 *pugna* ed. | *expectavit* V corr. ed. 14 *et mortem* V *ad m.* ed. 15 *posito pallantis* V *P. positum* ed. 22 *passis* V *sparsis* ed. 28 *inmugiit* V. 30 *mugiunt et plangunt* ed.

luctus inplesset. regiam primum ingressus est; nam cum Latini vestibulum describeret (7, 170), sic dixit: „tectum augustum, ingens, centum sublime columnis urbe fuit summa, Laurentis regia Pici“. *ipse caput nivei fultum*
40 *Pallantis et ora ut vidit:* mortui corpus nova arte laudavit; augent enim dolorem quae possunt in defuncto laudari. tantae, inquit, Pallas pulchritudinis erat, ut eum nec mors ipsa deformare valuerit. non pallebat ille, sed niveus fuit, quae res augebat dolorem religiosi viri, cum in uno casu multa fleret extincta, spem iuvenis, vota patris et pulchritudinem corporis. *levique patens in pectore vulnus cuspidis Ausoniae:* ut vidit non semel accipiendum est, ut sit ut vidit caput fultum nivei Pallantis, ut vidit ora, ut vidit levi patens in pectore vulnus cuspidis Ausoniae. non vacat locus iste quo plaga atque eius magnitudo significata est; nam in subiectis pro solacio positurus est illum non pudendo vulnere, sed glorioso interisse. *lacrimis ita fatur obortis:* ubi verus est dolor et penitus sensibus manet lacrimae non meditatione plancturi coguntur exire, sed sponte ante verba funduntur. inde Aeneae locuturi vocem praevenerunt veri fletus et gemitum copiosae lacrimae praecesserunt. *tene, inquit, miserande puer, cum laeta veniret, invidit fortuna mihi, ne regna videres nostra neque ad sedes victor veherere paternas?* quod dixit te, vim praemissi pronominis ipse rursus exposuit, te, inquit, miserabilem puerum, te, qui vivere debuisti, ut nostra regna conspiceres (pleno adfectu dixit nostra, quasi communia esset habiturus cum eo, si illum incolumem fata servassent), te, quem convenerat sospitem patri et victorem paternis sedibus reddi. cur

---

4 *recipiat pici* V. 8 *valuisset* ed. 9 *fuit* V *apparet* ed. | *audebat* V *augebat* ed. 11 *levi* sine *que* V. | *corpore* V ed., sed in interpr. *pectore* V item infra ad v. 55. 17 *positurus est* V *est positus* ed. 20 *cogentur — fundantur* V corr. ed. 21 *flectus* V. 22 *copiose* V ut *confuse* v. 26, sed hic *veri* antecedit, quare recte *copiosae* ed. 24 *vehere* V. 29 *cum venerat* V corr. ed.

triumphos meos mecum non potuisti partiri? si mihi fortuna portabat dimicanti suffragium, cur morte tua foedabat titulos meos? cur gratulationem tantam rumpebat luctibus tuis? amica fuit, ut successibus meis op-
5 tatis laetitiam dimicanti conferret, an magis inimica, dum favet, ipsa praestitit, ipsa rursus invidit? cur tu obiectus es perfidae? cur tu potius occurristi fallaci? puerum idcirco intellegitur dixisse, ut victoris minueret gloriam; alio enim loco iuvenem dixit. ipsum quoque intellegitur
10 excusasse, quasi si diceret non se iactet qui te puerum vicit. *non haec Euandro de te promissa parenti discedens* 45 *dederam, cum me conplexus euntem mitteret in magnum imperium metuensque moneret acris esse viros, cum dura proelia gente:* quid faciam tuo patri, cui discedens non
15 tristia, sed votiva promisi? ille amplexus est discedentem officiis benivolis praemonens et cautiorem monendo perficiens. ibis, inquit, in imperium magnum, hoc est quod viribus magnis et ingentibus nititur, ibis contra fortis exercitus: esto cautus, esto diligens, esto suspectus. quid
20 enim ille non metueret qui tot bellis doctior redditus uno tempore bellorum incertis amicum simul committebat et filium et metuens haec adderet, fortis esse hostis et cum dura gente nobis certamen ingruere? esse non semel accipiendum est, ut sit acris esse viros, [cum dura proe-
25 lia gente esse: acris viros] ad virtutem revocandum est, duram gentem inmitem intellegendum, hoc est quae misereri nesciret (non enim hoc idem bis potuit dici, ut solius virtutis facta dupliciter commemoratio videatur), ut duo illis mala cavendum esse praediceret, quae vehe-
30 menter fuerant metuenda. quis enim feret hostem in quo

4 *luctibus tuis* V *tuo interitu* ed. 6 *invidet* ed. 7 *perfido* edF. 10 *si* om. ed. 11 *vicit* V *dicit* edF. 15 *votiva* V *laeta* ed. | *ille* V *i. me* ed. 16 *movendo* V corr. ed. | *perficiens* V *reddens* ed. 17 *hii* V *hi* ed. *ibis* nos. | *in* V *habent* ed. 23 *certamen ingrueret* V *certandum esse* ed. | *esse* — 24 *sit* om. ed. 24 *cum* — 25 *viros* deest in V ed., sed supplendum esse patet. 26 *intellegendum* V *i. est* ed. 29 *illis* V *illi* ed. | *cavendum esse* V *cavenda* ed.

magna sit virtus et qui facile obtinere possit et victo non norit ignoscere? ubique Italorum fortitudo laudatur, ut Aeneae labore eius victoriae felicitas enitescat. *et nunc ille quidem spe multum captus inani:* spes inanis est cum sperat unusquisque quod non est vel optat incolumem 5
50 quem morte constat oppressum. *fors et vota facit cumulatque altaria donis:* forsitan, inquit, nunc, hoc est cum iam Pallas exanimis iaceret, preces numinibus Euander fundit et exhibet munera. *nos iuvenem exanimum:* ecce iuvenem dixit quem adseruit superius puerum, ut osten- 10 deret patrem gravius doliturum; id differt quippe inter dolorum causas, si quis iuvenem filium amittat an puerum: in altero enim spes incerta, in altero probata ingemiscitur et doletur. *et nil iam caelestibus ullis debentem vano maesti comitamur honore:* et ille, inquit, forsan votis 15 inanibus vacat et nos inrita mortui curamus obsequia. quid enim proficit deos rogare pro mortuo? aut defuncto praestare quod nescit? *infelix, nati funus crudele videbis:* ab his quae cum exanimi locutus est ad eius patrem, quasi praesens esset et quasi quae dicebantur audiret, 20 sese convertit. dum te, ait, inanis fallit sperata prosperitas, videbis infelix quod crudelius plangas. *hi*
55 *nostri reditus expectatique triumphi, haec mea magna fides:* hinc crudelior ad te orbitas tua perveniet, hinc erit inmanior luctus, quia, dum promissa mea speras posse 25 conpleri, dum te excepturum existimas triumphos et glorias meas, non fili reditum, sed insperatum funus excipies. omne hoc eo tendit, ut ostendantur graviora esse adversa quae contra spem bonam repente nascuntur, meditata contra levius posse tolerari. *at non, Euandre,* 30 *pudendis vulneribus pulsum aspicies:* pro persona Euandri consolationis remedium repperit. qui enim usque ad senium duxit exercitum noverat virorum fortium mortem

1 *posset* V ed. 3 *Aeneae* om. ed. 9 *fudit* V corr. ed. 11 *idiffert* V *differt* ed. 12 *in* V *an* corr. ed. 13 *ingemiscet* V *-cit* ed. *-citur* nos. 14 *et doletur* V om. ed. 19 *exanimi* V *mortuo* ed. 32 *usque* om. ed.

esse gloriosam, si adversis vulneribus cadant, ludibriosam contra, si pudendis, hoc est si dorso susceptis occumbant: quod in morte Pallantis non fuit, quia virtutem teli venientis pectore potius quam tergo suscepit. ecce ven-
5 tum est ad illud quod supra praestruxit, cum diceret „levique patens in pectore vulnus cuspidis Ausoniae", ut in illo non solum amicitiae pignus perditum verum etiam spes magna proeliandi doleretur extincta; nam qualis posset existere plagae qualitate conpertum est. *nec sospite*
10 *dirum optabis nato funus pater:* artificiose positum, ut non Aeneae culpa esset quod occisus est Pallas, sed praesagio patris putaretur oppressus. sic enim Euander proficiscente filio ad incerta bellorum locutus ostenditur, ut suspectus nimium optasse potius mala quam timuisse
15 videretur. ait igitur nunc nec pudebit pulsum videre filium nec habebis ulterius cui optes adversa. verba ipsa Euandri hoc loco ponenda sunt, ut ostendamus Aenean recte ista dixisse: (8, 572) „at vos, o superi et divum tu maxime rector Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite
20 regis et patrias audite preces, si numina vestra incolumem Pallanta mihi, si fata reservant, si visurus eum vivo et venturus in unum, vitam oro, patior quemvis durare laborem: sin aliquem infandum casum fortuna minaris, nunc, nunc o liceat crudelem abrumpere vitam, dum curae
25 ambiguae, dum spes incerta futuri, dum te, care puer, mea sola et sera voluptas, conplexu teneo, gravior ne nuntius auris vulneret". ecce, ut dictum est, dum nimia est pater pietate sollicitus, sic filio interitum quem accidere metuebat incautus optavit. *ei mihi, quantum praesidium*
30 *Ausonia et quantum tu perdis, Iule:* et praesens tempus tetigit et futurum suamque personam et fili sui, Euandri

---

5 *praestrinxit* V *praestruxit* nos *perstrinxit* ed. 8 *spem magnam* ed. | *doleret extinctam* ed. 14 *susceptus* V corr. ed. 16 *potes* V *optes* edF. 18 *ista* V *ita* ed. 21 *facta* V. 22 *vita morio* V. | *patiar* edF. 24 *cura ambiguae* V. 25 *dum spes* V *et dum sp.* ed. 28 *accedere* V corr. ed. 29 *et mihi* V *ei m.* nos *heu m.* edF. 31 *fili sui* om. ed.

quoque et Pallantis; perierat enim Pallas, Euander vero senex non diu sperabatur esse victurus, ita efficiebatur ut neque Aeneas Euandri ulterius speraret auxilium neque Iulus Pallantis, quem constabat extinctum.

60 *Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus imperat et toto* 5 *lectos ex agmine mittit mille viros:* cum talia dixisset et tanta, tolli iam praecepit funus et in eius pompam viros mille ex omnibus lectos iubet exire. *qui supremum comitentur honorem intersintque patris lacrimis:* dictae sunt causae propter quas hoc faciebat; una quippe fuerat qua regale 10 funus conpetenter efferret, quod obsequii genus supremum dicitur ideo, quia postea nullum est, altera propter solacium et lacrimas patris, ut aut ipsi dolorem maerentis lenirent persuasionibus suis aut ex congregatione tantorum levaretur animo intellegens in tanta necessitate bellorum 15 fili sui causam fuisse potiorem, propter quam tot lecti fuerant avocati, et Aenean saluti propriae Pallantis obsequia praetulisse. *solacia luctus exigua ingentis, misero sed debita patri:* non idcirco haec fiebant, ut iniectus internis sensibus dolor et illud insanabile malum his generibus penitus ter- 20 geretur (neque enim ista inflictis luctibus aequari potuerant) sed ut magnus dolor exiguo saltem solacio praesentium levaretur. debitum hoc et mortuo fuerat munus et infelici patri convenerat exhiberi. *haut segnes alii crates et molle* 65 *feretrum arbuteis texunt virgis et vimine querno:* humanitate 25 simul et regis iussione cogentibus non erant segnes, hoc est properantes adgredi coeperant necessaria. alii parabant crates quibus sollemnia portarentur et molle feretrum quo funus ipsum ferri potuisset arbuteis texunt virgis et vimine querno. dixit lignorum genera quae praebuerat locus aut 30 funeris ratio, vel quia ligna ipsa in virgas crescunt et molles et longas. *extructosque toros obtentu frondis inumbrant:*

---

1 *quoque* transpos. ed. 2 *separabatur* V *sperabatur* HO ed. 7 *precepit* V *praecipit* ed. 10 *fugiebat* V *faciebat* corr. ed. | *quae* V ed. *qua* nos. 17 *avocati* V *viri* ed. 21 *inflictis* V *ingentibus* ed. | *aequare* V corr. ed. 32 *extructosque* cum superiore lemmate coniunxit V.

haec quae contexuerant virgis inumbrabant frondis obtentu, hoc est tegebant fronde et inumbrabant interiora, quae ramis mollibus frondibusque contexerant. quam pulchre posuit inumbrant! non enim illis aut penitus adempta lux
5 fuerat aut ad plenum tenebrarum crassitudo congesta. *hic,* hoc est in feretro, *iuvenem agresti sublimem stramine ponunt:* agreste stramen est quod herbis agro detractis sternitur: super hoc igitur posuerunt sublimem. *qualem virgineo demessum pollice florem seu mollis violae seu languentis*
10 *hyacinthi, cui neque fulgor adhuc necdum sua forma recessit,* 70 *non iam mater alit tellus virisque ministrat:* duo genera sunt violae, crocei coloris et purpurei: quod ex his conparaverat Pallanti hyacinthi commemoratione monstravit; est enim coloris etiam ipse purpurei. inducitur igitur funus
15 Pallantis retinens adhuc vivi hominis speciem, itaque iacens in stramine talem habuit colorem qualem habet flos violae vel hyacinthi, cum languet abscisus et cum illi adhuc naturalis permanet fulgor et tamen iam viris solitas mater denegat terra. *tum geminas vestis auroque ostroque rigentis*
20 *extulit Aeneas:* dicturus Aenean vestem funeri contulisse dicit eius pretium, dicit et meritum, duas, inquit, protulit vestis rigentis auro atque ostro, duabus scilicet speciebus pretiosis et pulchris ornatas. *quas illi laeta laborum ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido fecerat et tenui telas* 75
25 *discreverat auro:* quot vestium enumerata sunt merita! has, inquit, fecerat Dido ecce unum; manu sua et labore proprio augmentum laudis, quoniam manibus suis et labore perfecerat, illa scilicet quae fuisset regina et haberet per quas haec faceret, fecit tamen Aeneae quem dilexerat plurimum,
30 ut verum et plenum amantis demonstraret adfectum; Sidonia Dido fecerat: non frustra loci facta commemoratio est, cum enim dicit Sidoniam, vult ostendere faciendi artem

---

6 *iuvenem* om. V. | *sublimem* V *s. in* ed. 7 *agreste stramine est* V *agresti stramine hoc est* ed. 12 *violarum* ed. | *comparaverit* ed. 18 *iam* transpos. ed. 21 *dicit et* V *dicit* om. ed. 22 *rigentis — scilicet* om. ed. 25 *quod* V *quot* ed. 27 *labore* V *l. proprio* ed. 28 *illa* V *ipsa* ed. 32 *Sidonia* ed.

ac substantiam non defuisse; illic enim suppeditant species quibus pretiosae vestes conficiuntur et artis studium plene superfluit. et tenui auro discreverat texturam ipsam, pictura quippe non potest exprimi, nisi interpositis filis speciei alterius facta fuerit aliqua separatio. quantum laudatur 5 auctor quae confecit quantumque praeferuntur species quibus illae confectae sunt tantum crescit liberalitatis Aeneae religiosus adfectus et eius meritum cui partem mediam fuerat conlaturus. magnum hic Aeneae amorem demonstravit exhibitum Pallanti. donavit tanti pretii speciem, reginae manu 10 confectam, donatam sibi ab ea quae firmitatem piae ac seriae coniunctionis per munera et munerum meritum roborare cupiebat, cuius laborem operis illa non senserat; fecerat enim libens, fecerat laeta confectionis semel labore suscepto, non quemadmodum faceret, sed cui faceret cogi- 15 tans. *harum unam iuveni supremum maestus honorem induit arsurasque comas obnubit amictu:* tantae igitur feminae tantum munus duarum vestium cum defuncto divisit. maestus, non quia dabat, sed quia inpendebat exanimi; esset enim votum, si rem tantam Pallas incolumis sumeret. quid enim 20 proderat contulisse quod nec sentiret mortuus et cum eo mox esset arsurum? dabat maestus honorem supremum, non maestus, quia dabat, sed quia novissima honorificentia fuit. optabat enim sospitem, ut plura sentienti conferret ac saepe. arsurasque comas obnubit amictu: texit comas 25 eius hac veste, ne quis eas videret ardentis. arsurasque comas obnubit amictu; tantae enim pulchritudinis fuerunt atque honoris tanti, ut has non nisi aurum et ostrum deberet incendere. *multaque praeterea Laurentis praemia pugnae* 80 *aggerat et longo praedam iubet ordine duci, addit equos et* 30 *tela, quibus spoliaverat hostem:* ubi munus Aeneae et tanti pretii fuit specialitatem tenuit, ubi vero ad ea ventum est

---

6 *auctorque* V *a. qui* ed. 7 *libertatis* V edI corr. edF. 8 *effectus* V corr. ed. 11 *piacriae* V *piae ac seriae* nos *mansuram* ed. 12 *munerum* om. ed. 14 *leti* V *laeta* corr. ed. *confectionis* — 15 *suscepto* om. ed. 32 *fuit* V *dixit* ed. *posuit*? *ventum est* V *venit* ed.

quae fusis Italis rapta sunt interposuit generalitatem. post talem enim speciem non debuit speciatim inferiora coniungere. multa dixit Laurentis praemia pugnae, eorum scilicet quae superatis in bello detracta noscebantur armatis.
5 multa dixit et aggerat, quae ipsa multarum specierum significant copiam. longo autem ordine iubet praedam duci, ne in globum collecta ambitionem funeris ac pompae minueret. addit equos et tela quibus spoliaverat hostem: est hic quaedam in intellectu colligendo confusio; dubium
10 quippe est cuius dixerit equos et tela, utrum etiam ipsa hostibus retracta videantur an quibus ipse usus videretur. meliorem arbitror intellegendi rationem ut etiam haec hostium fuerint, quoniam captiva vel maxime conveniebant pompae funeris et de hac re etiam tum loquebatur, et
15 quae propria ipsius Pallantis fuerant sequi, ut factum est, debuerunt, non captivis speciebus adiungi. *vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris inferias caeso sparsuros sanguine flammas:* misit et captivos atque, ut eorum condicio et fortuna evidentius appareret, vinciri praecepit ea
20 ratione, ut rogi Pallantei flammas suo sanguine spargerent. *indutosque iubet truncos hostilibus armis ipsos ferre duces inimicaque nomina figi:* duces iubet tropaea portare cum nominibus occisorum. *ducitur infelix aevo confectus Acoetes:* Acoetes 85
quoque ducebatur, non ea causa qua alii, sed quod esset
25 luctu atque aetate confectus, ut trahi potius quam ambulare videretur. ibat autem infelix senex in exequiis iuvenis, ibat tunc infelix qui cum Euandro felix remeare consueverat. *sternitur et toto proiectus corpore terrae pectora nunc foedans pugnis nunc unguibus ora:* sternitur plus est, quam
30 si diceret cadit. denique sequitur toto proiectus corpore terrae. contuderat autem pugnis os suum et pectus, verum

---

2 *tam* V *talem* ed. 7 *funere ac pompe* V corr. ed. 9 *est hic* V *et haec* ed. 10 *dixit* V *dixerit* ed. 11 *retracta* V ed. *detr*. ed. post., sed cf. 10, 700. 13 *quoniam* V *cum* ed. 16 *debuerint* ed. 17 *sparsurus* V *-ros* ed. confirmatur interpretatione. 28 versum 87 ante versum 86 habet V, quem ordinem quia et interpr. sequitur, mutare nolui, transpos. ed.

dolorem in cruciatibus sui corporis monstrans, dissolutus defectione animi et corporis, quam senectus auxerat et cumulaverat luctus. *ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus:* currus scilicet eorum quos ex Rutulis Pallas ipse
90 deiecerat. *post bellator equus positis insignibus Aethon it* 5
lacrimans guttisque umectat grandibus ora: tanta acerbitas funeris fuit, ut etiam mutum animal amissionem domini sentiret et fleret. ibat igitur non insignis neque phaleratus, ut solet, ut ipse quoque animo lugere videretur et corpore. flebat cum hominibus equus et bellator gemere videbatur, 10
quod ad rogum domini potius quam solitum ducebatur ad campum. cum hominum dicantur ora, ora dixit etiam equum lacrimis umectasse; huic enim non solam faciem verum etiam humanum attribuit sensum, quoniam occisum dominum sentiebat et flebat. *hastam alii galeamque ferunt;* 15
nam cetera Turnus victor habet: cetera sunt cingula quae Turnus occiso sustulerat. *tum maesta phalanx Teucrique secuntur Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis:* isti omnes funeri obsequebantur, non tamen sic, ut usque ad Euandrum tenderent, sed ut de proximo remearent. versis 20
armis non solis Arcadibus, sed omnibus adplicandum est; non enim soli Arcades sic incedebant, sed omnes qui ex diversis gentibus fuerant congregati, ut sit phalanx maesta quae fuit congesta ex Teucris, Tyrrhenis et Arcadibus. ibant versis armis non bellantis, sed lugentis more. *postquam* 25
95 *omnis longe comitum praecesserat ordo, substitit Aeneas gemituque haec addidit alto:* ubi longe praecesserunt funeris deductores, idem illi qui usque ad Euandrum fuerant destinati, Aeneas substitit satis aestimans esse quod pro necessitate rerum fuerat factum. redeundum enim fuerat 30
propter reliqua belli et curam reliquorum funerum per-

---

1 *corporis* V *pectoris* ed. | *monstrans* V *indicans* ed. | *dissolutus* — 2 *corporis* om. ed. 2 *quam* V *quem* ed. 3 *perfuso* V. 9 *ut ipse* V *sed u. i.* edF. 12 *ora dixit* V *equi* interpos. edF. 13 *cum* V ed. *equum* nos. 14 *quoniam* V *qui* ed. 18 *omnes* V *duces* ed. 21 *solum* ed. 26 *processerat* ed. 27 *processerunt* ed. 29 *existimans* ed. 31 *propter bellum* ed.

agendam. post ingentis igitur gemitus haec addidit: *nos alias hinc ad lacrimas:* causas adserit deserti funeris; debuerat quippe etiam aliis humanitatis obsequium reddi quibus debebantur exequiae. ite, inquit, vos; nobis enim
5 redeundum est non ad res laetas, sed ad alias lacrimas et plurimorum funerum sepulturam. *eadem horrida belli fata vocant:* nec deserendum est bellum, quod propter haec videtur esse dilatum. quam pulchre posuit nos, ne videretur Aeneas solus ab obsequio funeris regis decedere! ad
10 non semel accipiendum est, ut sit nos hinc ad alias lacrimas fata vocant et ad alia incerta bellorum. *salve, aeternum mihi maxime Palla, aeternumque vale:* in aeternum salve, in aeternum vale et in aeternum maxime, quasi illum merito tantae virtutis inter inlustris et primos esset habi-
15 tura memoria vel ipse Aeneas nullum sic esset animo retenturus. aeternumque vale et salve: supremam conplevit defunctorum salutationem, quae inventa est ideo, quia post eam videri non possunt. *nec plura effatus ad altos tendebat muros gressumque in castra ferebat:* qui enim celerius remeare
20 cogebatur non debuit plurimis loqui.

Iamque oratores aderant ex urbe Latina velati ramis 100 *oleae veniamque precantes:* ecce ostendit eventus non frustra Aenean properatum reditum habuisse; nam cum remearet ad castra, veniebant iam ex urbe Latina missi qui rogarent
25 et veniam precarentur, praeferentes signa pacis et foederum in frondibus oleis; haec enim consequi cupiebant. denique quid ferrent, quid optarent etiam taciti significare videbantur. ita eorum desiderium ostendebatur aspectu et nuntiabatur oleis ramis quibus fuerant coronati adventus
30 quoque eorum. dehinc alia subicitur causa: *corpora, per*

---

2 *causas* — 6 *sepulturam* om. ed. 9 *Aeneas* om. ed. | *dere* V *decedere* ed. 11 post *salve,* non post *mihi* distinxi propter interpr. 17 *inventa* V ed I *intenta* ed F. 22 *contendit* V ed I *ostendit* ed F. 24 *veniebant enim* V *v. iam* nos *enim* om. ed. 25 *predicarentur* V *poscerent* ed. 27 *significari* V *-re* nos *significare cupere* ed. 29 *oleis* (et supra ut 7, 154) V *oleae* ed.

campos ferro quae effusa iacebant, redderet ac tumulo sineret succedere terrae: quantum additur Aeneae virtutibus! cum ipse enim suorum sepulturam curari praeciperet, cum mitteret Pallantem, nullum rogandum censuit nec metuit quemquam: ecce Latini rogantes inducuntur, poscentes veniam, 5 utpote qui primi arma sumpsissent et rei tenerentur usurpatae per temeritatem violentiae, etiam illud inpetrare cupientes, ut corpora sepulturae mandari permitteret, quae per omnis campos videbantur esse prostrata. augmentum adiectum est laudi, cum qui dicebantur occisi latos campos 10 opplessent et ille qui resistentis straverat sepeliri saltem iuberet exanimis ac sineret tumulo tegi. non dixit tumulis, ne caesorum minueret numerum; cum enim pauci sunt, possunt singuli suo quisque tumulo tegi, cum vero magnus sepeliendorum est modus, una simul congerie et aggere uno 15 clauduntur. *nullum cum victis certamen et aethere cassis,* 105 *parceret hospitibus quondam socerisque vocatis:* utebantur argumentis ad persuadendum necessariis, ne duraret odium quo occidi meruerant. certandum non esse cum mortuis nec inputandum corporibus quod animae deliquerunt. par- 20 cendum his hospitii contemplatione quod aliquando iunxisset. socerisque vocatis; nondum enim fuerat iunctus Laviniae, ideo vocatis. ecce expressit poeta quantum religionis hospitibus, quantum soceris debeatur, vel quod ex hospite gener videretur esse susceptus. *quos bonus Aeneas* 25 *haut aspernanda precantis prosequitur venia et verbis haec insuper addit:* bonus, quia postulata concessit, et multo melior, quia addidit sponte quae legatorum vota cumularent. cum dicit Aenean bonum, iam debemus intellegere non negaturum quae fuerant postulata; suadebat quippe 30

---

1 *ferroque fusa* V. 3 *praeceperit* (corr. II man. I evanida) V ed. *praeciperet* nos. 5 *poscentes* V *et p.* edF. 6 *usurpante* V *usurpatae* ed. 10 *adfectum* V *adiectum* nos *factum* edF cf. 9, 693. | *cumque* V *cum qui* nos *cum ii qui* ed. 11 *resistentes* V edI *resilientes* edF. 12 *tumulus* V *-los* edF *-lis* nos. 15 *modus* V *numerus* ed. 23 *quam* — 24 *quam* V *quantum* — *quantum* ed. 24 *vel* om. ed. 30 *postulata* V *quaesita* ed.

etiam petitionis ipsius qualitas, quae sperni non debuit. cum vero dicit et verbis haec insuper addit, confirmat admodum bonum; illius enim revera bonitas plena est qui petita praestat et plus quam sunt postulata largitur. iam 5 hic in Aeneae responsione spectanda sunt duo: unum quod postulatis adsensus est, alterum quod ipse desiderata cumulavit. loqui igitur ac respondere incipit sic: *quaenam vos tanto fortuna indigna, Latini, inplicuit bello, qui nos fugiatis amicos? pacem me exanimis et Martis sorte peremptis* 110 10 *oratis? equidem et vivis concedere vellem.* sortem, inquit, vestram, Latini, et miror et doleo, quod sic vos inplicuit fortuna bellandi desiderio, ut non amicitiam nostram, sed vobis adversa sectemini. Martis, inquit, sorte peremptis: excusatio adhibita, ut non Troianorum vitio, sed condicione 15 belli quod ipsis auctoribus motum est videantur extincti; nulla est enim culpa, sicuti et Terentio (hec. 1,1,15) placet, „ulcisci adversarios aut qua via te captent illi eadem ipsos capi". denique et vivis lenitatem spondet, ne similiter pereant. benivola obiurgatio, usque adeo ut quod delicti 20 ipsorum fuit diceret esse fortunae. non arguit, non accusat, sed magis eorum defensioni adhibet adiumentum: sic enim qui fidebat suos fore salvos potius cupiebat esse quam perditos. aperit iam eam partem qua conicere potuit adhuc eos in eodem errore versari. vos, inquit, super-25 fluam petitis mortuis pacem, hoc indicat etiam nunc vos velle pugnare, quod ipsum vobis potius quam mihi contrarium est. equidem et vivis concedere vellem. quam cito ostendit sepulturam mortuis se velle praestare, cum dicit et vivis concedere vellem. magis, inquit, vellem et vivis 30 praestare beneficium pacis, quia benivolentiam meam exanimes sentire non possunt. *nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent:* haec dicendo ostendit caesos poenas dedisse

2 *confirmat admodum* V *illum esse* interpol. ed. 5 *aeneae* V *in Ae.* nos *pro Ae.* ed. 6 *postulatis* V *precibus* ed. 8 *tanta* V. 9 *pacemne* ed. | *marte sorte* V. 10 *vellem* V *mallem* ed. 14 *adhibita* V *est a.* ed. 18 *spondit* V *spopondit* ed. 22 *si* V ed. *sic* ed. post. 27 *vellem* V ed I *mallem* ed F (item infra).

admissi sacrilegii. qui enim contra eum fecerunt qui diis et fatis volentibus ad Italiam venit deos potius expugnare quam hominem voluerunt. hoc modo etiam istos ostendebat daturos esse supplicia, si durassent et manendum ducerent in erroris sui adversa sententia. nec veni, nisi fata locum 5 sedemque dedissent: non invasi alienum imperium nec sponte in haec loca, sed fatis urgentibus veni: eadem mihi et locum et sedem istarum deputavere terrarum. cur tenere prohibeor quod mihi sententia divina et decrevit et tradidit? *nec bellum cum gente gero, rex nostra reliquit hospitia et* 10 *Turni potius se credidit armis:* commendat se populis et in unius personam omnem belli congerit causam. nolo, inquit, aestimetis ex his quae adversus me gesta sunt in omnis vos esse commotum, solius regis haec culpa est, qui suscepti hospitis iura violavit et solvit et Turni praetulit 15 partis. nihil horum Latinus effecerat, sed, quia hoc negotio prodesse non potuit, fingitur, ne unusquisque admissa forte considerans metueret pacis commoda utilitatemque sectari, quae solet de auctoribus malorum poenas exigere. omne, inquit, malum non vestra, sed regis culpa contractum est, 20 in cuius fuerat potestate praeferre meliorem; ipse enim me Turno postposuit, per eum ratus est melius defendi posse 115 commoda sua. *aequius huic Turnum fuerat se opponere morti:* qui si haberet integrum in disceptatione consilium, aequius fuerat Turnum morti supponi in negotio suo quam 25 alium periclitantis casibus iungi. *si bellum finire manu, si pellere Teucros apparat, his mecum decuit concurrere telis:* cum sit susceptum duorum causa certamen, duo tantum pugnare debuimus: cur periculis nostris adiuncti sunt ceteri? *vixet cui vitam deus aut sua dextra dedisset:* pro- 30 baret mox rerum exitus fortiorem. *nunc ite et miseris supponite civibus ignem:* supra dixit „fortuna indigna“, in fine vero benivolentiae satiavit adfectum dicendo miseris, dicendo

3 *illos* ed. 4 *manendum* V *-do* HO ed. corr. ed. post. 6 *nec* om. V. 7 *eadem* V *ea* ed. 16 *parti* ed. 17 *admissam forte* V *admissa f.* nos *amissam sortem* edF. 33 *et dicendo civ.* ed.

civibus. miser potest dici quem innoxium premit aliena fortuna: bene ergo hic miseros dixit qui non in suo, sed in negotio Turni perierant: civis vero recte appellavit, ut ostenderet se Italam originem ducere et eo revolutum cum
5 suis unde Dardanus fuit et oratores intellegerent Aenean civis animum potius tenere quam laesi. *dixerat Aeneas.* 120 *illi obstipuere silentes conversique oculos inter se atque ora tenebant:* admiratione tantae lenitatis, cum plus quam optaverant sese adverterent consecutos, stupefacti sunt nec
10 reperire valuerunt quid deberent in responsione conplecti et conversi inter se siluerunt diu unam retinentes intentionem luminum eo more qui deliberantibus familiaris est. *tum senior semperque odiis et crimine Drances infensus iuveni Turno sic ore vicissim orsa refert:* ex illis omnibus
15 qui aderant et admirationis stupore fuerant fixi solus Drances, vel quod esset aetate ceteris potior et exercitatior cunctis vel quod odisset iugiter Turnum, arrepta temporis occasione quae gravaret eum quem perosum habuit ita respondit: *o fama ingens, ingentior armis vir Troiane:* multa 125
20 collegit, ut ostenderet beneficia Aeneae gratanter audita; hoc enim et praemissa laus et gratiarum actio evidenter ostendit. non, inquit, inmerito tibi tantas animi corporisque virtutes fortuna concessit, habes denique tui nominis famam, quae te benivolum, fortem prudentemque testetur;
25 qua in parte cum sine admiratione laudari non possis, tum magis illa praeferenda sunt quibus in bello praestas et te ipsum maiore substantia felicitatis exuperas in laboribus indefessus et dimicandi ratione praecipuus. addit in ultima parte laudis et genitalis meritum soli dicens vir
30 Troiane, quasi diceret talem sola generare potuit Troia.

---

2 *non suo* ed. 4 *revolutum* V *redactum* ed. 6 *civis* V *cuius* O ed. | *tenere* V *-rent* ed. | *laesi* V in margine inferiore manu aliena adiectum *probarent* vel *probarentur,* quod non habet H habent O ed. 7 *olli* ed. 11 *contentionem* ed. 16 *ceteris potior* V *fortior ceteris* HO ed. 20 *gradanter* V. 23 *nominis famam* V *corporis f.* edI *c. formam* edF. 24 *testatur* ed.

quibus caelo te laudibus aequem? [iustitiaene prius mirer belline laborum?] cum laudaris, caelo mereris aequari, ubi est virtus omnis et vera iustitia. *nos vero haec patriam grati referemus ad urbem et te, si qua viam dederit fortuna, Latino iungemus regi, quaerat sibi foedera Turnus:* quae locutus es vel quae benivolus praestitisti grati referemus ad nostros atque operam dabimus ut superioris erroris nostri culpa summota redeat rex Latinus in concordiam tuam sitque dignissimo tibi firma religione coniunctus: Turnus vero, si matrimonio iungi mavult, aliud sibi quaerat ac iungat. interea, cum haec diceret Drances, addidit si qua viam dederit fortuna. sed hoc non est dubitantis, ut cum condicione promisisse videatur; non enim dixit si fortuna permiserit. sed hoc magis intellegitur polliceri, ut id ipsum quod spondebat quacumque via posset efficeret; multas enim occasiones potest reperire ac praestare fortuna, ut iuvet audentis. potest et sic intellegi iungemus te regi, si adhuc nobis non invideat fortuna, quae societatem primam inimica aemulatione dissolvit, hoc ideo, ut ostenderet culpam contracti belli fortunae fuisse, non Italorum, quia hoc et Aeneas supra conplexus est.
130 *quin et fatalis murorum attollere moles saxaque subvectare umeris Troiana iuvabit:* tantum exhibebimus devotionis obsequium, cum muros vel quid aliud volueris struere, collo

1 *iustitiaene* — 2 *laborum* deest in V, sed explicatur. 2 *laudaris* V *laudibus* ed. | *merearis* ed. 3 post *iustitia* versum 126 interpol. ed. cum hac interpretatione: „quid potius mirari debeo, inquit, iustitiam tuam admirandam an belli inclytos tuos labores et incomparabiles? cum in utroque mea verba aut sensus tua merita assequi nequeant? quasi diceret tantum iustitia et bellorum exercitatione viges, ut nunquam te satis laudare possim.“ non extant haec in VHOU et ipso dicendi genere spuria arguuntur. 4 *referimus an* V. 5 *iungimus* V (ut 220 et 348). 6 *referimus* V corr. ed. 7 *damus* V corr. ed. 10 *mivult* V *mavult* (sc. quam dimicare) nos *vult* ed. 12 *sed hoc* V *quod* ed. 13 *ut* — 14 *permiserit* om. ed. 15 *quaecumque* V corr. ed. 18 *iungimus* V corr. ed. 20 *aut* V *ut* ed. 23 *troiani* V. | *devotionis* om. ed. | *obsequii* ed. 24 *extruere* ed.

nostro saxa iam Troiana libentissime perferamus nec erit onerosum nobis quicquid censueris esse faciendum. *dixerat haec,* talia, inquit, dixerat Drances, *unoque omnes eadem ore fremebant:* eadem quae verbis suis conplexus fuerat 5 Drances quasi uno ore omnes profitebantur se esse facturos. *bis senos pepigere dies et pace sequestra:* ita peractis omnibus recesserunt, ut per duodecim dies sepeliendorum funerum causa pax sequestra teneretur. sequestra pax est quae sic interponitur, ut non terminet, sed differat bellum. 10 *per silvas Teucri mixtique inpune Latini erravere iugis:* 135 tantum valuit interpositae pactionis fides, ut partium viri per silvas miscerentur inpune. *ferro sonat alta bipenni fraxinus:* alta fraxinus icta ferro, hoc est ictu ferreo percussa, resonabat. *evertunt actas ad sidera pinus:* actas 15 ad sidera hoc est in tantam altitudinem porrectas, ut sidera pulsare potuissent. hi omnes evertendis arboribus operam dabant. *robora nec cuneis et olentem scindere cedrum nec plaustris cessant vectare gementibus ornos:* alii insistebant roboribus scindendis, alii portandis. ordinatur sensus sic: 20 nec cessant robora vel cedrum aut ornos plaustris inponere ac transferre aut cuneis scindere. sed non omnes idem faciebant; nam diviserant opera.

Et iam fama mali, tanti praenuntia luctus, Euandrum 140 *Euandrique domos et moenia replet, quae modo victorem* 25 *Latio Pallanta ferebat:* cum Troiani et Latini haec agerent, iam mortem Pallantis ad Euandrum atque eius domos et totam urbem fama nuntiusque pervexerat occisum adserens Pallantem, quem modo apud Latium ferebat esse victorem. quam gravis fuerat luctus acceptus de eo cuius ante 30 momentum victoriae nuntiabantur et gloriae! egregiam moralitatem hoc loco servatam debemus advertere; nam-

---

1 *perferamus* V corrupit edI mut. edF. 2 *esse* om. HO ed. 3 *eadem omnes* ed. 9 *si* V ed. *sic* nos. | *ut* om. ed. 11 *partium* V *diversarum p.* ed 20 *necessant* V corr. ed. 23 *mali* (item ad 12, 607) V *volans* ed. et Verg. libri. 24 *complet* ed. 27 *occisum* V *o. esse* ed. 28 *quem modum* V *q. modo* nos *quae fama* ed. 29 *acceptus* V *accipiendus* ed.

que, ut fit, feralis nuntius ad auris Euandri primo pervenit, dehinc ad domos eius, postremo ad omnem civitatem. *Arcades ad portas ruere:* proprie dixit ruere; festinabant enim commoti insperato malo, ut irent obviam funeri, nec ambulare iam, sed in modum ruentium congeri 5 videbantur ad portas. *et more vetusto funereas rapuere faces:* ruere et rapuere plenam significant festinationem. funereas faces idcirco dixit, quia sunt et votorum. *lucet via longo ordine flammarum et late discriminat agros:* discriminare est speciem a specie inmensa alia separare. 10 ecce una fuit facies terrae, interiectis tamen facibus 145 videbatur in partis esse divisa. *contra turba Phrygum veniens: plangentia iungunt agmina:* cum dicimus contra turba Phrygum veniens, moram debemus interponere et sic dicere plangentia iungunt agmina, ut non soli Phryges, 15 sed et Arcades Phrygibus mixti agmina iunxisse videantur, ceterum turba iungunt agmina faciet mala distinctione vitium, quod poeta non fecit. *quae postquam matres succedere tectis viderunt,* quae agmina postquam viderunt matres portas intrare, *maestam incendunt clamoribus ur-* 20 *bem:* matrum significatione vel mulieres generaliter accipere possumus vel eas quarum filii cum Aenea perrexerant, ut similitudine casus commotae et propter regis filium dolere viderentur et suorum periculum tractare cum animo. *at non Euandrum potis est vis ulla tenere, sed venit in* 25 *medios:* cum gravis esset apud ceteros luctus, tum magis animum patris mentemque percusserat. denique non illum tardavit doloris violentia, non aetas cohibuit aut corpus senectute defessum nec expectavit donec fili corpus baiulis curantibus perveniret, sed ipse occurrens in medios venit. 30

---

6 *et more* V ed. *et de m.* Verg. libri: Don. *rŭĕre* scandisse videtur. | *rapere* in lemmate *rapuere* in interpr. V invertit ed. 8 *et* om. ed. 10 *alia* om. ed. 11 *interfectis tamen fatibus videbantur* V corr. ed. 16 *videbantur* V corr. ed. 17 *faciet* V *-eret* ed. | *distinctio* V ed. *-one* nos cf. v. 12. 20 *portas intrare* V *intra p.* ed. 25 *potest* V *potis est* nos *potuit* ed. 28 *aut* om. ed. 30 *curandis* ed.

feretro Pallante reposto procubuit super atque haeret lacri- 150
mansque gemensque: atque ita ut Pallas iacebat deposito
feretro procubuit Euander supra et inhaesit ipsi corpori
cum gemitibus et fletu. *et via vix tandem voci laxata*
5 *dolore cst:* tantus fuerat dolor infelicis patris, ut vix et
interposito tempore loqui potuisset, dolor distulerat unde
reddidit vocem † suos loqui posset, dolor loquendi prae-
stitit laxamentum. *non haec, o Palla, dederas promissa*
parenti, cautius ut saevo velles te credere Marti: magnus
10 error dolentis: obiurgat mortuum, quasi emendare male
gesta ulla ratione potuisset, et cum mortuo interrogationi-
bus loquitur, quasi audire exanimis posset aut gesta
narrare. non talis, inquit, extiterat, fili, promissio tua
nec sic abieras, ut talis infelicem remeares ad patrem.
15 circumspectum te promiseras fore et omni cautela suspen-
sum. quo abierunt ista? quis te casus praecipitem dedit,
ut mandatorum mei timoris oblitus duram inprovidus
properares in mortem? in certaminibus belli redundant
copiosa discrimina tantumque illic proclive est mori
20 quantum superesse difficile est. *haut ignarus eram quan-*
tum nova gloria in armis et praedulce decus primo cer- 155
tamine posset: primitiae iuvenis miserae bellique propinqui
dura rudimenta et nulli exaudita deorum vota precesque
meae! prior, inquit, ipse peccavi, primus consilium per-
25 didi, meos inter initia tractatus inimica fortuna confudit,
ignorationis excusatione defendi non possum, debui miser
cavere quod noveram. per haec quippe ad hanc infelicem
senectam mihi transitus fuit. sciebam quid posset novitas
rerum et inexperta pericula quemadmodum decipiant rudis
30 exemplis praecedentibus noveram. solam gloriae viam
tractant et solo laudis amore raptantur cumque sic agun-

---

7 *vocem suos* V *v. quominus* suspicor, sed crucem ponere malui, *vox enim qua* pro *suos* inepte scripsit ed. | *dolore* V ed. *dolor* nos (anaphora ipsa probatum). 9 *credere* V *tradere* ed. corr. ed. post. 10 *quasi* V *q. iam* ed F. 11 *ulla* V *aliqua* ed. 18 *properaris* V ed. 23 *exauditam eorum* V. 24 *primus* V *-um* ed. | *perdedi* V. 25 *confodit* ed.

tur inprovidi, incognitam discriminum partem vitare non possunt. o iuvenis mei durae primitiae et in cassum fusae cunctis numinibus preces! nec filius mandata retinet patris nec voto supplicis deorum favor accedit. ubi sunt illa quae pro incolumitate fili miserandus exolvi? cur 5 surdis auribus iuvenis metuenda commisi? sera cautio est post orbitatem meam tractare quae tunc integris rebus curari convenerat. nihil dicerem filio, nullam deo precem supplicem funderem, non solverem vota, tenerem miserum iuvenem, faverent dii omnes tutiori consilio nec 10 votis aliquibus nec precibus invitati. *tuque, o sanctissima coniunx, felix morte tua neque in hunc servata dolorem:* gemui aliquando, uxor, mortem tuam, cum te constaret felicia perdidisse: sola es cui profuere contraria. mors tibi beneficium fuit, non vides nostrae prolis interitum 15 160 nec ruinam nostri generis plangis. *contra ego vivendo vici mea fata, [superstes restarem ut genitor]:* totum dicit in contrarium versum, ut mori commodum fuerit ei, vixisse tormentum: decessisti superstitem filium relinquens, contra ipse miserrimus vivo, non filium, sed fili funus 20 amplectens, vivo post eum ante quem debueram mori. *Troum socia arma secutum obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem atque haec pompa domum me, non Pallanta referret!* si peccavi, quia foedera iunxi cum Teucris, ego debui Rutulis poenam, ego debui solus extingui, dare 25 animam volens, finiret cruciatus meos ultimus dies, mihi fierent ista, tu plangeres senem, me videret patria cecidisse quam te. *nec vos arguerim, Teucri, nec foedera* 165 *nec quas iunximus hospitio dextras:* praesentes Troianorum aliqui ne arbitrentur causari Euandrum quod per illorum 30 amicitiam Pallantem perdidisset, idcirco ait non arguo vos, Teucri, in causa orbitatis meae, nihil mihi amicitia

---

9 *supplex* edF. 13 *uxor* om. edF. 17 *superstes — genitor* deest in V, sed explicatur. 18 *fuerat* V *-rit* nos *fuisset* ed. 24 *sic* expuncta *c* prima manu V *sic* ed. 25 *dare* V *et d.* ed. *darem?* 27 *me videret* V *tolerabilius* interpos. ed. 29 *iungimus* ed. 31 *argue* V *arguerim* ed.

vestra nocuit, nihil datae dextrae attulerunt quod posteritatem meam funditus verteret et mensarum communicatio nullam partem infelicitatis inflixit. *sors ista senectae debita erat nostrae:* debebantur haec diuturno seni fatis
5 inimicis adversa. vixi, ut duram exciperem meae fortunae sententiam. conplevit illa invidiam suam, non possum animis vestris nectere quod vos certum est accidere noluisse. *quodsi inmatura manebat mors gnatum, caesis Volscorum milibus ante ducentem in Latium Teucros cecidisse iuvaret:*
10 nititur probare Troianis quod non ipsos occisi fili adserat causam. si, inquit, inmatura mors debebatur filio meo, utinam de Volscis facta prius victoria cecidisset; esset quippe occisi gloriosa memoria, si manu eius Teucri ducerentur in Latium. *quin ego non alio digner te funere,*
15 *Palla, quam pius Aeneas et quam magni Phryges et quam* 170 *Tyrrhenique duces:* nihil addam ad pompam funeris tui; nihil enim factum est minus quam convenerat fieri. ostendit Aeneas officia sua, eadem quoque cum Tyrrhenis conplevere Troiani. *Tyrrhenum exercitus omnis magna*
20 *tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto:* haec ad consolationem pertinent; est enim quoddam in doloribus temperamentum quo acerbitas ipsa minuatur. leniebatur igitur doloris ipsius asperitas, quod, etsi mortuus Pallas videbatur, virtutis tamen eius multa monstrabantur et magna.
25 ibat quippe Tyrrhenorum exercitus caesorum tropaea conportans et in illa multitudine fuerat nullus qui Pallanteae virtutis testem non gestaret in ligno. *tu quoque nunc stares inmanis truncus in armis, esset par aetas et idem si robur ab annis, Turne:* in hoc, inquit, tropaeorum numero etiam 175
30 tu esses, Turne, si aetas fili mei aetati tuae congrueret aut robur corporis eius tuo robori membrisque conveniret. recte in doloribus suis deformationem inserit Turni et quasi

---

7 *nectere* V *ascribere* ed. 8 *quia si* ed. | *gratum* V *natum* ed. | *vulscorum* (et infra *vulscis*) V. 16 post *Tyrrhenique* inepte *friges* repetit V. 18 *Aeneam* ed. post. 19 *conplevere troianis* V *c. Troiani* nos *complere Troianos* ed. 25 *portans* ed. 30 *Turne* om. ed. | *congruisset* ed.

cum praesente agit causam, ut quod ille praeferebat in sese id iste facta victoris et victi conparatione deiceret. si una, inquit, vos eademque aetas et robur corporis habuisset, tropaeo tuo istorum numeros cumulares atque ille viveret ac tuo quoque interitu triumpharet. *sed infelix* 5 *Teucros quid demoror armis?* ipse reprehendit multiloquia sua, quae dolore cogente urgebatur effundere; et revera, cum in patheticis brevis esse debeat sermo ipse quoque, non misit brevitatem. sed idcirco videtur multa dixisse, quia multas partis tetigit multasque personas, quae si se- 10 parentur, invenietur brevem in singulis habuisse sermonem. dixit quippe „non haec, o Palla, dederas promissa parenti“, „tuque, o sanctissima coniunx“ et „contra ego vivendo vici mea fata“, item „nec vos arguerim, Teucri“, rursum rediit ad fili personam dicens „quin ego non alio digner 15 te funere, Palla“, dehinc ad Turnum fecit apostropham „tu quoque nunc stares inmanis truncus in armis, esset par aetas et idem si robur ab annis, Turne“. tandem igitur intellexit diutius se vagari non debere per multa, ne tantos et electos ex omnibus numeris viros atque ultioni 20 suae necessarios superfluo morarum spatio retineret. quid, inquit, adhuc demoror Teucros, quasi infelicitatem meam sit illorum levatura praesentia? pergant potius et repetant arma, hoc est dicere quid hic vacui remorantur? eant, dimicent et orbitatem meam ultione conpensent. *vadite et* 25 *haec memores regi mandata referte:* vadite hoc loco hortantis est potius quam iubentis; et mandata mea regi perferte: *quod vitam moror invisam Pallante perempto, dextera causa tua est, Turnum gnatoque patrique quam debere vides meritis:* quod vivo post Pallantis mortem, sola est 30

---

1 *cum preagit* V *ita peragit* ed. *cum praesente agit* nos cf. 53. 2 *deficeret* edF. 5 *tuo* V *de t.* ed. 8 *pateticis* V *parentis* H *patre* ed. | *debiat* V *deberet* ed. 10 *separantur* ed. 13 *tu quoque* (supra *tuque*) V. 14 *arguerem* (supra *-rim*) V. 18 *in annis* ed. 22 *quae si* V *quia si* ed. *quasi* nos. 24 *quod* V *quid* corr. ed. 30 *vidis meritis* V *meritis* a Donato cum *gnatoque patrique* iungi interpr. docet, ad sequens lemma traxit edF. | *solam esse causam* V ed.

causa ut eius mortis auctorem persequatur fortis dextera tua. intellegis enim debere te hoc meritis, ut per te contingat Turnum videre prostratum. hoc Pallas exigit, hoc ego infelicissimus pater. erit commodum vixisse post filium,
5 si sub armis tuis Turnus occumbat et lacrimas meas interitus eius consumat et tergat. *vacat hic tibi solus fortunaeque locus:* reddendae vicissitudinis locum solum istum tibi vacuum fortuna servavit: expecto eventum atque exitum necis hostilis. *non vitae gaudia quaero nec fas, sed* 180
10 *gnato manis perferre sub imos:* neque enim delectatione lucis istius vivo aut fas est superesse orbatum tali filio patrem, sed ut nuntius ad inferos pergam ac Pallanti referam optatam ab hoste sumptam esse vindictam. vivant quibus iucundum est vivere, vivant qui non habent in vita
15 quod plangant, vivant quibus desunt tormenta quae viventis excrucient. mihi tantum optata succedant, ut filio referam confossum virtute hospitis Turnum. ego illius interitum ei nuntiem cuius causa mori potius malo quam miserabilem vitam iugibus servare tormentis. quod dixit supra meritis,
20 vacat hic tibi solus fortunaeque locus, non ab eo quod est meritum et merita declinavit, sed ad personas rettulit ab eo quod est hic meritus, ut feminini generis sit et faciat has meritas personas aut masculini generis et sit his meritis hominibus, non tamen generis neutri, ut haec
25 merita et his meritis dixisse videatur. Terentius (Andr. 3, 5, 15) sic: „quid meritus?" huic dicto responsum est „crucem".

Aurora interea miseris mortalibus almam extulerat lucem referens opera atque labores: multis locis poeta lucescentis
30 dies describit, de noctibus tacet consulens brevitati dictionis,

---

4 *erat* ed. 8 *vacuum* om. ed. 13 *hoste* V *ab hoste* ed. 19 hic Don. *meritis* cum sequentibus coniungere videtur, sed videtur tantummodo verbis *vacat* etc. in cassum additis; nam interpr. ipsa eum ut supra *meritis* ad *gnatoque patrique* revocasse docet. 20 *habeo* V *ab eo* ed. 22 *quod est his meritis* V ed. 26 *meritis* V *meritus* edF secundum Terentii locum nec explicationis Donatianae ordo aliud patitur.

quae legentibus familiaris est. quid enim opus erat conplecti sermone quod ex diei novo ortu probari potuit extitisse? orta igitur fuerat lux alma quidem hoc est inlustris et clara, sed inportuna hominibus; quotiens enim existit refert opera et labores nec sinit in otio esse mori- 5 turos. *iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarchon* 185 *constituere pyras:* confecta narratione interposita quae ad funus Pallantis pertinebat redit ad ordinatam dispositionem, ut ceterorum quoque describat exequias. Aeneas, inquit, et Tarchon in ipso lucis exortu struxerant pyras hoc est 10 loca quibus incendi funera potuissent. *huc corpora quisque suorum more tulere patrum:* suorum corpora an suorum patrum more incertum est, sed melius est sic intellegere, ut suorum corpora unusquisque tulisse videatur secundum patrum morem, quamvis etiam sic possit intellegi, ut 15 suorum non semel accipiatur, scilicet ut suorum corpora singulae partes tulerint ad rogos patrum suorum more. quodsi ita placet intellegi, consequens est ut in exportandis funeribus diversus partium fuerit mos atque aliter Teucri, aliter Tyrrheni vexisse videantur. *subiectisque ignibus atris* 20 *conditur in tenebras altum caligine caelum:* non natura sua ignis fuerat niger, sed ex viridibus lignis emisso ingenti fumo fuscatus, usque adeo ut caelum quoque videri non posset. tanta autem fuit vis fumi, ut altitudo caeli fuisset oppleta et retecta claritas lucis descripta superius cum 25 caelo ipso videri non posset; haec quippe crassitudo tenebrosa confuderat. *ter circum accensos cincti fulgentibus* 190 *armis decurrere rogos, [ter maestum funeris ignem lustravere in equis]:* rogos omnis funereorum more sacrorum ter circumiere currentes et insidentes equis ter eos lustraverunt. 30 *ululatusque ore dedere:* et hoc ter factum intellegendum

---

1 *conflicti* V *conplecti* nos *confligi* ed. 2 *probare* V ed. 6 *in litharcon* V. 15 *patrum suorum* V ed. delevi *suorum* ut ab interpretationis ordine alienum. 24 *tanta* — 26 *posset* om. ed. 25 *reiacta* V *retecta* nos. 26 *ipsi* V *ipso* nos. 28 *ter* — 29 *equis* deest in V, sed explicatur. 29 *funerum* ed. 30 *lustravere* ed.

est. *spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma:* hoc faciebat doloris inmanitas; quis enim non moveretur amissione inflicta tantorum? *it caelo clamorque virum clangorque tubarum:* alterum pertinebat ad gemitus animi, alterum ad
5 exequias bellatorum. *hic alii spolia occisis derepta Latinis coniciunt igni:* tradebant igni quae rapuerant hostibus et dicit quae: *galeas,* inquit, *ensesque decoros frenaque fer-* 195 *ventisque rotas; pars munera nota,* addit etiam in quibus speciebus fuissent, *ipsorum,* inquit, *clipeos et non felicia*
10 *tela:* ideo non felicia, quia dominorum vitam non defenderant. ferventis rotas accipere possumus aut velocis satis aut adhuc ferventis ex cursu; ex tritura enim axis et rotae magnus fervor exoritur. in his speciebus licet essent multae ob pulchritudinem servandae, tamen promisce omnes mitte-
15 bantur in flammam. hoc enim exigebat memoria defunctorum, ut quae occisis Latinis detraxerant cum ipsis funeribus verterentur in cinerem. *multa boum circa mactantur corpora Morti:* circa multa hominum funera multa boum corpora mactantur. *saetigerosque sues raptasque ex omnibus*
20 *agris in flammam iugulant pecudes:* quod de bubus dictum est separari convenit, ne fiat vitium, si porcis et pecudibus iungantur; non enim cohaeret mactantur Morti boum corpora et mactantur saetigeros sues et pecudes. quocirca distinguendum est multa boum circa mactantur corpora
25 Morti et separatim pronuntiandum saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris in flammam iugulant pecudes, ut singula diversis animalium generibus aptentur et sit, sicut est, plena locutionis integritas: boves intellegamus esse mactatos, iugulatam vero porcorum et pecorum mul-
30 titudinem. in flammam non tantum ad porcos et pecora verum etiam ad boves pertinet, ut sit boves mactantur in flammam et porci ac pecora iugulantur in flammam.

---

2 *in amissione* edF. 7 *inquit* om. ed. 8 *addidit* ed. 9 *inquit* om. ed. 10 *ideo non felicia* om. ed. 14 *promiscue* ed. 19 *mactant* ed. 20 *quod* — 23 *pecudes* om. ed. 25 *et raptas* ed. 29 *pecudum* ed. 30 *non tantum* — 32 *in flammam* om. ed.

200 *tum litore toto ardentis spectant socios:* perfectis rite sollemnibus stabant spectantes socios per omne litus ardentis. *semustaque servant busta:* busta sunt loca in quibus iam corpora arserunt. primo enim pyrae dicuntur et rogi, ubi vero arserunt, busta vocitantur. spectabant ergo, donec 5 semusta hoc est non plene usta plenissime consumerentur. *neque avelli possunt,* id est recedere inde non poterant, donec ignis partis expleret. *nox umida donec invertit caelum stellis ardentibus aptum:* usque eo ardentia funera spectaverunt, donec die consumpto nox veniret. 10

Nec minus et miseri diversa in parte Latini: ubique miseros dicit Latinos et hic vel maxime, quoniam eorum curabant exequias qui in aliena causa innocentes perierant ipsi quoque similiter perituri. diversa in parte, in parte scilicet separata, *innumeras struxere pyras:* dicendo innu- 15 meras ostendit eos multo maxima clade esse percussos quam 205 fuerant alterius partis adflicti. *et corpora partim multa virum terrae infodiunt avectaque partim finitimos tollunt in agros urbique remittunt, cetera confusaeque ingentem caedis acervum nec numero nec honore cremant: tunc undique vasti* 20 *certatim crebris conlucent ignibus agri:* stragem de istis factam quam late descripsit! posuit innumeras pyras et, cum non posset flamma omnis exurere, multos, inquit, congesta corporum mole terrae mandabant, alios portabant ad finitimos agros, alios ad urbem dimittebant imitati 25 exemplum Aeneae in Pallantis causa. quanta fuit copia corporum, ut haec locus ferre non posset! ceteros, quoniam multi fuerunt nec facili agnitione discerni poterant, — — — hoc facto vasti agri hoc est latissimi undique atque ex

---

3 *semiustaque* at in interpr. *semusta* V. 5 *vocantur* ed. 7 *neque* V *nec* ed. | *hoc est* ed. 10 *expectaverunt* V *servaverunt* ed. 12 *quoniam* V *quum* ed. 13 *perierent* V *perirent* ed. 16 *maxima* V *maiori* ed., sed cf. 6, 540. | *percussos* V *affectos* ed. 22 *describsit* V *describit* ed. 23 *cum* V *quas* ed. 24 *corpora* ed. corr. ed. post. 25 *demittebant* V *rem.* edF. 27 *ceteros* — 28 *poterant* V temere mutando non sanavit ed. lacunam statui incerti spatii, quam sic fere expleas: *promisce et sine honore cremaverunt.*

omnibus partibus conlucebant. *tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram:* primam lucem descripsit et tertiam conpendio etiam secundam extitisse significans. *maerentes,* id est tristes; quis enim non in curatione tot funerum tristis existeret? *altum cinerem et confusa ruebant ossa focis:* movebant altum et plurimum cinerem et ossa confusa congerebant. *tepidoque onerabant aggere terrae:* separata ossa atque exempta cineribus . . . . tepido terrae aggere, quoniam tanta vis fuit incendii, ut eius vim etiam exemptum triduum non valuisset excludere. *iam vero in tectis, praedivitis urbe Latini, praecipuus fragor et longe pars maxima luctus:* in tectis Latini praedivitis et in urbe; in enim bis debemus accipere. duo, inquit, gerebantur in duobus locis, praecipuus fragor et longe pars maxima luctus. singula singulis locis dedit, fragorem tectis Latini, in quibus agebatur concilium, et luctum civitati. fragor est fractae sonitus vocis, qui nascitur tunc cum multi turbantur. fragor igitur fuit in Latini domo non levis, sed † maxima autem pars luctus propter salutis communis causam et propter Latini divitias, longe autem hoc est valde pars maxima luctus in civitate. fecit conparationem propterea, quia et Troianis inflicta fuerat clades; non enim sine amissione aliquorum potuerunt superiores existere; sed in Latinorum parte longe maximus fuerat luctus hoc est plus quam gravissimus. interea, cum tres gradus sint, invenitur ista conparatio ipso superlativo superior; nam maxima superlativum. exponit iam per partis qualis esset

---

1 *partis* V corr. ed. 4 *quis enim* V *quis enim non* nos (cf. 9, 566) *non* post *tristis* inseruit ed. 6 *movebant — congerebant* om. ed. 8 post *cineribus* aliquid excidisse patet, fortasse *obruebant,* quod post *aggere* inserunt HO. | *terrae* om. ed. 9 *exemtum* V ed. *exactum*? 16 *luctus civitatis* ed. | *fragorem* V *fragor est* ed. 19 *sed maxima autem pars lucti* V *maximus* scribendum et *autem pars lucti* per dittographiam ex sequentibus irrepsisse puto, ergo delendum, sed crucem apponere malui *autem* om. ed. | *luctus* ed. 21 *cultus* pro *luctus* V. 22 *inflicta* V *invicta* ed. 26 *nam — 27 superlativum* om. ed.

215 luctus vel per quas personas cucurrisset. *hic matres,* scilicet quae perdiderant filios, *miseraeque nurus,* quarum mariti ceciderant, *hic cara sororum pectora maerentum,* quae gemebant interitum fratrum, *puerique parentibus orbi,* id est qui perdiderant patres, *dirum execrantur bellum* 5 *Turnique hymenaeos:* omnes in una sententia constituti execrabantur belli acerbitatem et nuptias Turni; bellum quippe nullum existeret, si Turni pro nuptiis inprobitas quievisset. descriptio inbellis sexus et aetatis tantum ponderis habet ad exprimendam partem luctus longe maximam, 10 ut ostendatur extincta omni iuventute solos qui concilio intererant et mulieres tantum ac pueros superesse. *ipsum armis ipsumque iubent decernere ferro, qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores:* omnes iustis vocibus exclamabant, ut in causa sua ipse vel ferro dimicationis subiret 15 220 incertum, qui primatum sibi vindicaret et regnum. *ingravat haec saevus Drances:* ipse est qui (128) Aeneae dixerat „et te, si qua viam dederit fortuna, Latino iungemus regi, quaerat sibi foedera Turnus". ecce invenit viam quam dedit cupienti fortuna; nociturum quippe urgebat naturalis 20 feritas, iusta quoque causa, occasio temporis et universorum unus idemque consensus adiuvabat ardentem. facile enim poterat obtinere quod, si ante cuperet, inplere non posset. quando enim persuaderet invitis? qua arte quove sermone singulorum animos concitaret in odium Turni? 25 ecce omnia conpendio tenuit properansque gravabat fomitibus odii, ne quo casu invidia tanti fremitus debilitata languesceret. *solumque vocari testatur, solum posci in certamina Turnum:* gravabat causam Turni consentiendo ceteris: ceterum pro voto suo eadem dicebat esse facienda quae 30 ex illis audierat. gravabat ergo confirmando quod senserant alii. *multa simul contra variis sententia dictis pro Turno et magnum reginae nomen obumbrat, multa virum*

---

9 *sexus aetatis* V *et* recte interpos. edF. 11 *concilio* V (supra 437, 16 *consilium,* quod correxi cf. 234). 17 *Aeneae* om. edF. 18 *iungimus* (ut supra 129) V. 26 *fomitibus* V *tonitibus* ed.

meritis sustentat fama tropaeis: erant in illa congregatione nonnulli qui Turni favore ducerentur. faciebant hoc reginae gratia, cuius nomen umbra quadam illam extenuabat invidiam, et eundem virum sustentabat aliquantulum superi-
5 oris temporis fama et numerus tropaeorum. obumbrat et sustentat magnam in Turni partibus desperationem monstrant; nam obumbrat nihil validum significat, sustentat autem nullam substantiam securitatis admittit; nam ubi aliquid est quod per se stare non possit, adminiculis ad
10 tempus fultum sustentatur et regitur, quae si detracta fuerint, cadit et desertum auxiliis terrae prosternitur. ecce exposuit quid sit fragor; strepebant enim partes quae diversis studiis nitebantur, ex quarum conflictu et vario ac diverso sententiarum motu magnus fragor oriebatur.
15 *Hos inter motus, medio in flagrante tumultu ecce super* 225 *maesti magna Diomedis ab urbe legati responsa ferunt:* inter hos, inquit, motus quos supra descripsit, eorum scilicet qui ex publicis cladibus fuerant fracti, adcrevit aliud malum quod cumularet clades inventas. flagrante, inquit, tumultu:
20 flagrat quicquid vi maioris doloris accenditur. ecce super: ecce nonnullis locis quid significet exposuimus; nam inopinatum praenuntiat malum et grave satis ac vehemens, ut (2, 203) „ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta (horresco referens) inmensis orbibus angues incumbunt pe-
25 lago“ et (2, 526) „ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites“ et (8, 228) „ecce furens animis aderat Tirynthius“. in praesenti quoque non dubitatur non iam nova adversa vel sola, sed illis quae iam fuerant vel quae tractatus habuit deteriora supervenisse: non enim vacat quod
30 dixit ecce super, cum cladibus tantis non remedium, sed augmentum videretur adlatum. magna maesti Diomedis

---

2 *faciebat* ed. 6 *monstrat* V ed. *monstrant* cf. 7, 292 nos. 9 *aliquidem* V *aliquid est* ed. | *persistare* V corr. ed. 11 *ecce* — 13 *nitebantur* om. ed. 12 *strepebat* V. 13 *nitebatur* V. | *et vario ac* V *vario et* ed F. 14 *metu* ed. 15 *in* om. ed. 21 *in locis* ed. 22 *nuntiat* ed. 24 *horrisco* V *horresco* — *pelago* om. ed. 27 *in praesenti* V *nunc* ed. 31 *ablatum* ed. | *magna maesti* V ed. in lemm. inversum ut in Verg. libris.

ab urbe legati responsa ferunt: quid tam infelicissimum quam ab eo et ex ea urbe expectatum perisse praesidium unde plena fiducia sperabatur esse venturum? negat Diomedes auxilium, vetus et pertinax Troiani nominis inimicus, negat magna fultus opulentia veniuntque laborantibus 5 et in tanto tumultu constitutis pro armorum auxiliis verba et legatio inefficax redit belli tempore non viros adducens, sed inanis fabulas portans, tristis praeterea, ut etiam tacita quid mali ferret evidenter vultus sui testimonio demonstraret. *[nihil omnibus actum tantorum inpensis operum],* 10 *nil dona nec aurum nec magnas valuisse preces:* referebant legati omnia quae humanitate vel commodo flectere homines solita essent esse contempta, primum dona, quae meritum procurare debuissent et offerentis gratos efficere, dehinc aurum, quod humanum ingenium etiam nulla inter- 15 veniente odii causa saepe transducit. vim dicti huius si quis volet advertere, consideret hostem veterem non esse permotum unde corrupti quam plurimi patrias suas cum civibus vendiderunt, unde fides castitatis abrupta, unde soluta amicitia, unde adfinitatis iura violata, unde pro- 20 dita imperia, ipso in plurimis protestante Vergilio. dixit quippe (6, 621) „vendidit hic auro patriam", et cum de Polydoro loqueretur, haec posuit (3, 55): „fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat et auro vi potitur". in Pygmalionis et Sychaei fabula hoc modo adseruit aurum fuisse 25 causam sceleris perpetrandi (1, 348): „ille Sychaeum inpius ante aras atque auri caecus amore clam ferro incautum superat", postremo, ut aurum adsereret esse scelerum causam, ita conclusit (3, 56): „quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames!" ut ostenderet universas criminum for- 30 mas aviditate auri esse susceptas et incitari posse, si auri provocentur ardore. haec Aeneae laudem spectant, ut Dio-

---

1 *adurbe* V. | *quod* pro *quid* ed. 2 *perisse* V *perisset* ed. 3 *plene* V *plena* ed. 5 *veniuntque* V corrupit ed. 7 *viros* V *vires* ed. 10 *nihil — operum* deest in V, sed explicari videtur. 21 *testante* ed. 23 *abrupit* V, sed in tertio *abrumpit.* 28 *esse* om. ed.

medes non aurum contempsisse, sed ipsum Aenean timuisse videatur. nec magnas valuisse preces: novissimo loco posuit magnarum meritum precum, non quo maior esset inpetrandi spes verbis supplicibus quam in corruptione materiae,
5 sed ut ostenderet contempto praemiorum et munerum commodo gratuitum officium etiam fusis precibus facilius pernegari. *alia arma Latinis quaerenda aut pacem Troiano* 230 *ab rege petendam:* haec fuit summa responsi; qui enim nihil petentibus praeter consilium dederat non debuit pluri-
10 mis loqui; quippe, ne in totum beneficio vacuos revocaret, mandatis instruxit, ut aliunde auxilium quaererent aut ab eo poscerent pacem quem non possent superare certamine. *deficit ingenti luctu rex ipse Latinus:* praeclare ipsi Latino dedit luctus maximam partem; in omnibus enim bellis
15 regum est periculum maximum, quoniam ipsorum causa pugnatur. considerabat iste statum imperii sui, spem filiae patrisque responsa, contra quae fuerat factum. *fatalem Aenean manifesto numine ferri admonet ira deum tumulique ante ora recentes:* inveniebat Aenean revera divinis
20 nutibus regi, probari autem hoc ipsum ex eo quod irata numina propter contemptum dispositionis suae per tantos quorum busta recentia et tumuli sub oculis fuerant poenas exegissent, firmabat haec Diomedes intactus, quem constabat salutem suam odio veteri, donis, auro et precibus
25 praetulisse. *ergo concilium magnum primosque suorum im-* 235 *perio accitos alta intra limina cogit:* de summa reipublicae tractaturus, quoniam praesentia discrimina videbantur, concilium non leve, ut in levibus causis fieri solet, sed pro negotii qualitate magnum Latinus contrahere gestiens primos
30 quoque non honore solum sed consilio etiam et auctoritate

---

2 *videantur* V. 7 *ut* pro *aut* V. 8 *petendam* V *petendum* ed. 10 *vacuo* V ed. *vacuos* nos (revocare pro remittere ut 10, 492). 16 *considerabit* V corr. ed. 21 *pro tantis* V ed. *per tantos* nos. 22 *regentia* V om. ed. | *quaerant* V *fuerant* nos cf. 8, 10. 55 *erant* ed. 23 *in actus* V ed. *in actu* ed. post. *intactus* nos. 25 *consilium* ed. 27 *quoniam — videbantur* V *quum — viderentur* ed. 30 *quoque* V ed. *quosque*?

praestantis neque alienos, sed suos, quorum tractatibus instrui fideliter posset, iussit acciri; poterat enim id facere qui cogebatur necessitate publica et qui regiae potestatis culmine fruebatur. alta, inquit, intra limina cogit: interiorem domus significat partem cum dicit alta intra limina. 5 † ostendit poeta se inmemorem sui et in descriptione vestibuli regiae domus se dixisse curiam ibi solere conrogari. sed tali tempore et in tali causa non ille locus fuerat necessarius, qui pacis more consiliis prosperis celebrari consueverat, sed multo secretior et suscipiendae praeter solitum 10 multitudini satis aptissimus. certe cum concilium, non curia ingrueret, non loci sollemnitas, sed capacitas fuerat necessaria. cogit inquit: in eo quod dixit cogit duplex potest intellectus occurrere; videtur enim ideo dictum cogit, quia regis imperio, non sponte veniebant; potest videri 15 et congregat, quoniam concilio habendo multitudo hominum communi necessitate omnium urgente congerebatur. *olli convenere fluuntque ad regia plenis tecta viis:* moralis descriptio, venerant, inquit, acciti et plenis viis, hoc est vicis, confluebant ad Latini regiam, multitudo inaestimabilis, ut 20 non hominum congregatio, sed undarum in tecta ipsa defluere videretur. faciebat hoc periculorum communium moles et humana curiositas; vocatis enim patribus intellegebatur esse aliquid magnum et magis pro temporis ratione suspectum quod prudentum consilia flagitaret. *sedet in mediis* 25 *et maximus aevo et primus sceptris haut laeta fronte Latinus:* dixit duas causas quarum merito Latinus universis extrinsecus stantibus solus adesset in medio: et aetate, inquit, praecedebat omnis et potestate regali, adversa omnia etiam tacitus nuntians maestitia contractae frontis 30 et sui vultus aspectu. *atque hic legatos Aetola ex urbe*

---

4 *ferebatur* V ed. *fruebatur* nos. 6 *ostendit* V ed. *non ost.* scribendum puto propter *sed tali* etc. | *describtione* V ed. *in* addidi. 7 *curiam i* V *c. ibi* nos *in curiam* ed. | *conrogari* V *congregari* ed. 16 *congregat* V *cogit* ed. 17 *necessitate hominum* V *n. omnium* ed F. | *congerebatur* V *congregabatur* ed. 18 *suis* pro *viis* V. 23 *fratribus* V *patribus* ed.

remissos quae referant fari iubet et responsa reposcit ordine 240
cuncta suo: noverat Latinus adversa relaturos et haec potuerat ipse ad cunctos adferre, sed aliter multitudini quae favore Turni ducebatur persuaderi non posset quod de
5 Aenea sentiebatur, nisi ex ipsis audisset qui ab urbe Diomedis fuerant regressi. ait igitur atque hic, hoc est in illa congregatione conventus. legatos Aetola ex urbe remissos: remissos inquit, ut ostenderet Diomeden quoque ad vicem legationis suae legationem aliam per eos qui
10 missi fuerant remisisse. sic ergo audiendi fuerant ut missi, sic rursum ut remissi, ut officium duplex et duplicis muneris sarcinam sustinere viderentur; unam quippe legationem pervexerant mandantibus Italis, rettulerant alteram ex sententia Diomedis qui dixit alia arma Latinis quae-
15 renda aut petendam pacem ab Aenea. quae referant fari iubet; loqui enim in conspectu publico non possent, nisi rex primo iussisset. quae referant, hoc est qualia reportent et cuius spei quantaeque substantiae. et responsa reposcit ordine cuncta suo: praevenit legatos, ne usi rela-
20 tionis conpendio supprimerent ea quae sopiendo bello fuerant necessaria. quanto enim ex adversis relationibus deiciebatur animus populi tanto proficere poterat quod optimo studio pro Aeneae partibus cupiebat inpleri. *tum facta silentia linguis:* curiositatis hoc fuit et regalis reverentiae; nam
25 cum rex iubet aliquem loqui, eadem iussione ceteris indicit silentium; accedebat ad publicam disciplinam quod unusquisque de propria salute sollicitus idcirco silentium praebebat, ut quid sibi spei superesset posset audire. *et Venulus dicto parens ita farier infit:* atque ita Venulus, qui potior
30 legatis ceteris fuit, iussis obtemperans sic instituit loqui.

Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra atque iter emensi casus superavimus omnis contigimusque manum qua 245

---

1 *referebant* V. 2 *potuerat* V *putaverat* ed. 5 *audissent* ed. 8 *inquit* om. ed. | *Diomedem* ubique ed. 14 *latinus* V corr. ed. 15 *ad aenea* V corr. ed. 23 *paribus* V corr. ed. 26 *disciplinam* om. ed. 27 *de* V *erat in* ed. 31 *diomeden* contra metrum V.

concidit Ilia tellus: mira arte Venulus tuetur personam suam et fideliter inpletam legationem magno nisu conatur ostendere. quis enim crederet conventum contra veteres inimicos Diomeden auxilia negare potuisse? quae res quoniam satis inpossibilis fuit, nec illud potuit admitti visum illum vel usque ad illius sedem evicto labore perventum: quapropter omnibus quae fuerant suspecta providenter occurrit dicendo vidimus, o cives, Diomeden. addidit quoque vidimus et castra Graiorum; potuit enim fieri ut Diomeden ipsum legatio in alienis regionibus repperisset. idcirco et ipsum praesentem et copias quas daret, si vellet, praesto ait inventas, ut ostenderet voluntatem solam, non etiam iuventutis subsidia defuisse, adfectu vero legationis inplendae sic animatos, ut casus omnis et viarum longissimos tractus adsereret esse transmissos. noluit casus longioris itineris specialiter dicere, quoniam generalitas tanta conplectitur quanta sibi aestimatio voluerit vindicare et commendando laborum merito ipsa potius quam specialis enumeratio congruebat. accedebat ad haec quod mora non erat facienda vere necessariis et mature perveniri debuerat ad ea quae populus cupiebat audire. contigimus, inquit, et manum qua concidit Ilia tellus: sollemnitatem salutationis mutuae ostenditur tetigisse, ut tenuisse se adsereret manum qua ipsa Troianae regionis terra monstraretur esse subversa. qui post hoc factum crederet auxilia non daturum qui dexteras iunxerat? haec omnia propter fidem rerum congessit dicendo vidimus quem ad sumus missi, vidimus et castra Graiorum et ad haec magno labore pervenimus et contigimus manum qua concidit Troia, ut ostenderet ad inpetrationem auxiliorum non legationis sollicitudinem, sed Diomedis defuisse consensum. dehinc adhibetur maior fides ex actibus Diomedis, qua magis constaret visum:

---

4 *inimicos* V *amicos* ed. | *quum* — 5 *esset* ed. 6 *sedes* ed. 10 *ipsum legatio* V *l. ipsa* ed. 13 *defuisset* V corr. ed. 16 *quum* — *complectatur* ed. 18 *merita* ed. 24 *terre* V. 25 *qui* (= quomodo) V ed. noli *quis* suspicari. 27 *quem ad sumus missi* V om. ed I *Diomeden* substituit ed F. 32 *qua* V *quo* ed.

ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis victor Gargani condebat Iapygis arvis. quis non crederet visum Diomeden, cum et actus eius legatio cauta diligensque narraret et adiungeret plurima quae fidem facerent universis? nam 5 et condi patriam et nomen eius et unde id nomen traheretur et fortunam condentis dixit. *postquam congressi:* congredi est hoc loco quod occurrerunt Diomedi gradiendo, ut dexteras iungerent, et factum est quod est signum susceptae amicitiae ut in octavo (467) „congressi iungunt 10 dextras, mediisque residunt aedibus“. ergo postquam congressi, inquit, sumus *et coram data copia fandi,* et data est potestas cum praesente loquendi, *munera praeferimus:* praecedere enim obsequium et commoditas munerum debuit, ut secuturus sermo aures Diomedis gratanter intraret. *nomen* 15 *patriamque docemus:* diximus qui essemus et unde. *qui* 250 *bellum intulerint:* subtilitatem narrat qua usus est apud Diomeden, ut diceret Troes bellum intulisse, quod non fuerat factum. deformare quippe eos licet falso convenerat, quod non in suis sedibus, quod victi, quod peregrini, quod 20 naufragi civis bello per insolentiam provocassent. *quae causa attraxerit Arpos:* quanta brevitas relationis! quam sic proferri convenerat, vel quia alia urgebant vel quia scientibus loquebatur; nam narrare unicuique quod novit satis vitiosum est. interea semel positum docemus saepius 25 debemus accipere, ut sit nomen docemus, patriam docemus, qui bellum intulerint docemus, quae causa attraxerit Arpos docemus. *auditis,* hoc est acceptis quae diximus, arbitrabamur continuo eum postulata facturum. *ille haec:* exponamus quam vim duo ista pronomina teneant: ille, 30 Troianorum scilicet hostis anticus, ille, ad quem magno

---

1 *argyrippam* V. 6 *introgressi introgredi* ed. 7 *enim* V *est* corr. ed. | *hoc currerunt diomedi* V *occurrerunt D.* nos temere mut. ed. 10 *edibus* V *aedibus* nos *sedibus* ed. locus in VIII periit. | *introgressi* ed. 14 *gradanter* ut 124 V. 16 *intulerunt* V. | *narrant* V corr. ed. 17 *doceret* edF. 18 *falsa* V corr. ed. 19 *victi* V *quod v.* corr. edF. 27 *docemus* post *Arpos* om. ed. | *arbitrabantur* ed. 29 *tenerent* ed.

labore perventum est, ille, quem fidebamus desiderata facturum, ille, qui nec muneribus nec gratia nec deprecatione commotus est; haec, hoc est inexpectata atque contraria, aliena a persona sua et inimicis suis potius quam nobis largis et supplicibus profutura. *placido sic reddidit ore:* 5
cum placida est mens nec aliqua commotione turbatur, qualis sermo proferri possit non dubitatur; non potest enim de placido aliquid existere turbulentum. quod magis pro negotii qualitate fuerat necessarium ac per hoc dicendo placido ore nuntiat Diomeden longe alia dicturum quam 10
legatio postulaverat. *o fortunatae gentes, Saturnia regna, antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos sollicitat suadetque ignota lacessere bella?* quia satis durum et inhumanum fuerat manum non porrigere pugnaturis, causam ipsam voluit tollere propter quam petebatur auxilium. cur enim 15
daret qui suasurus fuerat non esse pugnandum? in quo se benivolum docet, cum tutiore consilio errantis revocat ad salutem plus conlaturus quam rogabatur efficere. non igitur ut inhumanus negat postulata, sed petitionem ipsam consilio regit atque ita certandi adfectum diversa persua- 20
sione frangendo nec dat auxilium nec decipit deprecantis magisque fore commodum monstrat, si legati remeantes ad suos quaerenda potius adserant foedera quam putarent lacessendos quos superare non possent. coepit ergo a Latinarum gentium laude partibus miserationis admixtis; nam 25
praefert ipsarum felicitatem et dolet erroribus perituram. solet, inquit, bonos cursus retinere felicitas vestra: hunc locum sic debemus accipere Diomeden ingressum, ut felicitatem ipsam non aliquibus hominibus vel temporibus, sed ipsis gentibus fatorum voto in perpetuum datam videatur 30
adserere. denique his a Saturni regno usque ad praesentem diem replicat gesta nihilque iis dudum ostendit extitisse contrarium, consiliis scilicet integra pacis observatione cur-

---

3 *inspectata* V *insperata* ed. 4 *aliena* om. ed. 5 *reddit* V. 24 *a* om. V. 31 *his* V *is* ed. 32 *indudum* V *iis d.* nos cf. v. 12 *iamdudum* ed. 33 *contrarium* om. ed.

rentibus. reprehendit ergo Latinorum tractatum, quod relicto pacis veteris commodo ad funestam et suis partibus inimicam bellandi cupidinem scaeva dispositione transducti sunt, hoc deterius, quod lacesserent eos quorum virtutem
5 fatumque nescirent. interea persistit in eo et admirari sese evidenter ostendit quo illorum felicior fortuna migrasset, unde e contrario adversa successissent. requirentis vox ista videtur esse, sed non est, quin potius obiurgantis. noverat quippe et ex his quae petebantur intellexerat illos
10 adfectum retinere pugnandi; nam qui auxilium petit procul dubio quid cogitet vel quid paret ostendit. ista tamen obiurgatio benivola magis quam iniuriosa est; non enim decuit aspere reprehendi quos sine effectu optati desiderii fuerat remissurus. conpletis breviter principiis probandum
15 fuit incommoda postulari, quod ipsum tanta virtute adstruit, ut hoc non disputatione fabulosa, sed exemplis suis et veritate confirmet. quid autem ponderis habeat dissuasio ab eo proposita qui passus est haut difficile est nosse. suscepit igitur hanc partem et hoc primum deicit cuius
20 fiducia ducebantur. *quicumque Iliacos ferro violavimus agros* 255 *(mitto ea quae muris bellando exhausta sub altis, quos Simois premat ille viros) infanda per orbem supplicia et scelerum poenas expendimus omnes:* reor, inquit, vos didicisse fama currente me bello acerrimo in Asia certavisse et forsitan
25 hac ducti ratione venistis, quod proclive esset adversus veteres inimicos largiri subsidium. non illud bellum, sed sacrilegium fuit; quippe violationem illam, non debellationem regionum Troiae tunc fuisse cunctorum qui scelerata arma sumpsimus diversa et universo orbi cognita supplicia do-

---

3 *cupiditatem* ed. | *saeva* ed. 4 *sunt* V ed. *sint*? 5 *admiraris esse* V *admirari se* ed. 7 *successissent* V melius, ut videtur, *-set* edF, sed cf. 271 *adversa.* | *renitentis* V (in rasura) ed. *retinentis* H *requirentis* nos. 8 *sed* V *at* ed. | *quin* V *sed* ed. 9 *et* transpos. ed. | *petebatur* V corr. ed. | *intellegeret* V *-xerat* nos *-git* ed. 10 *quia* V *qui* corr. edF. 13 *effectu* V *aff.* edF. 17 *desuasio* V. 18 *aut* pro *haut* V. 19 *deicit* V *dicit* ed. 25 *sed* V ed. *quod* nos. 28 *regionum* V *-nem* ed. *-nis* ed. post.

cuerunt. posset hoc videri eventus attulisse, non deorum iudicium: hoc ne diceretur, occurrendo praevenit; ait enim quicumque, ut ostenderet in omnis cucurrisse vindictam qui in Troia pugnaverant. quod factum non casus attulit, sed inrogata atque inflicta diis ultoribus poena; nam si 5 esset eventus, nec interirent alii nec in reliquos esset diversis ultionum generibus vindicatum. Iliacos ferro violavimus agros: non solum civitatem vult sacratam fuisse numinibus, sed omnis agros ad eam pertinentis. mitto ea quae muris bellando exhausta sub altis, quos Simois premat 10 ille viros. strictim transiit quod adscribi potuit fortunae bellorum. non, inquit, de illis aliquid dicam qui pugnando consumpti sunt, non eorum meritum tangam qui ante ipsos muros prostrati iacuerunt, non memorem qualis quantosve Simois premat. infanda per orbem supplicia et sce- 15 lerum poenas expendimus omnes. confirmationis verba sunt ista, quaesita ideo, ut probaretur legatis nec levis poenas post excidium Troiae consecutos Graecos, sed infandas nec uno in loco, sed per totum orbem nec aliquorum id malum fuisse, sed omnium. tantus in hac relatione terror est, 20 ut omne criminum genus incurrere videatur quisquis Troianos bello pulsaverit. postremo sic toto orbi suum suorumque exemplum vult videri propositum, ut omnes scirent quid consequi eos posset, si adversus Troianos ulterius arma susciperent. huius loci ordinatur sensus sic: quicum- 25 que Iliacos ferro violavimus agros infanda per orbem supplicia et scelerum poenas expendimus omnes: omnes ad homines pertinet, non ad poenas, ut sit omnes nos scelerum poenas expendimus; media quippe sic posuit quasi non dicta. qui in Troia pugnaverant potuerunt quippe, ut 30 dictum est, contraria disputatione dissolvi, quoniam victoria bello quaesita vacua esse luctibus non potest: tamen etiam sic Latini deterrentur ab adfectu bellandi, quod et

---

10 *sublatis* (supra *sub altis*) V. 12 *pugnandi* V corr. ed. 14 *memorem* V *-abo* ed. 15 *infandam* V. | *urbem* (et supra infraque) V corr. ed. 20 *terrorem* V *terror est* corr. ed. cf. 224. 22 *toto* om. ed. 31 *quoniam* V *cum* ed. 33 *effectu* ed.

in ipso bello interire possunt et post finem belli, si extiterint aliqui, non essent evasuri supplicium. *vel Priamo miseranda damus:* admodum dicit saevitum in Teucros, quoniam Graeci nec Priamo pepercerunt et regi et seni. 5 incipit iam enumerare quae summatim proposuit, ut ostendat qui quae passi sint et in quibus locis vel per quos illis supplicia inflicta sint: *scit triste Minervae sidus,* quo 260 Aiax periit et socii, *et Euboicae cautes,* ubi similiter plurimi naufragio laniati sunt, *ultorque Caphereus,* mons, 10 apud quem interierant alii; ultorem dixit Caphereum, quoniam tam asperum litus pereuntibus praebuit, ut veluti irati animo cunctos pessumdedisse videatur. *militia ex illa,* id est postquam de Troia abscessum est, *diversum ad litus adacti,* quia dicitur non venit quo vult, sed eo quo 15 necessitas ipsa conpulerit. quid vero sit diversum litus ipse enumerando exponit; nam est longe ab altero disparatum. denique *Atrides,* inquit, *Protei Menelaus adusque columnas exolat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes. regna Neoptolemi referam versosque penatis Idomeni Libycone* 265 20 *habitantis litore Locros?* isti omnes non soli, sed cum sociis suis haec perpessi sunt. *ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum:* dicendo ipse personam potioris voluit demonstrare. quod ne non intellegeretur, Mycenaeus inquit et magnorum ductor Achivum, ideo magnorum, quia accedebat 25 ad laudem ducis eorum meritum quos regebat. *coniugis infandae prima inter limina dextra oppetiit, devictam Asiam possedit adulter:* indignitatem et acerbitatem rerum multis modis ostendit, ut ille vir ortus ex urbe inclita Myce-

---

2 *aliqui non* V *nulli* ed 3 *manus* V ed., sed Don. *damus* legisse cum PVerg. interpr. docet. 4 *quoniam* V *cum* ed. 6 *sunt* V ed. *sint* nos, quia *sint* sequitur. 8 *perit* V corr. ed. 9 *ultorque* — 10 *alii* supra post socii habet V transposui: *mons* — *alii* om. ed. 10 *cafareum* (in lemmate *cafereus*) V. | *quoniam* V *cum* ed. 13 *discessum* ed. 16 *separatum* ed. 17 *denique* et *inquit* om. ed. 18 *exulat* ed. 19 *Idomenei* ed. | *Lybicove* ed. 22 *dicende* V *-do* ed. *dicendo ipse* nos cf. 7, 783. 23 *ne* om. ed. | *intellegetur* V corr. ed. 24 *doctor* V. 26 *inter* V *intra* ed. 27 *subsedit* ed.

narum, qui Achivorum nobilior ductor esse commeruit, uxoris nefariae manu in ipso domus suae primo limine, quod post decennale bellum victor ingredi coeperat, incongruo fine vitae interceptus esset et qui evasisset virtutis merito tot tantaque pericula inde nanctus esset interitum unde sperabat adfectum, ut interiret mulieris ictu qui Troianorum manus evaserat. tanta fuit vis divinae sententiae in eum qui violaverat Troiam, ut adulterium coniugis pateretur et dextera mactaretur uxoris, evaderet reus et post inpunitatem admissi adulterii teneret et regnum. *invidisse* 270 *deos, patriis ut redditus aris coniugium optatum et pulchram Calydona viderem:* venit et ad ea quae specialiter passus est, ut non tantum . . . . . . verum etiam patriam se adsereret perdidisse. bene iunxit duo exempla inter se contraria: periit innocens maritus et qui pervenerat ad patriam et domum suam in primo limine mactatus est nefariae uxoris manu et per mariti caedem evasit poenam quam propter admissum adulterium etiam ipsa metuebat; ipse e contrario conqueritur uxorem optimam se videre nequisse nec ad patriam remeare potuisse. duo, inquit, mihi inviderunt dii quae videre cupiebam, ut ingrederer domum et in ea viderem deorum penatium veneranda altaria, viderem coniugem omni laudis genere praeferendam. hoc quoque idcirco insertum est, ut inane non esset quod condebat novam civitatem; perdiderat enim suam, ad quam dolore amissae coniugis pulchrae remeare noluerat. pulchram coniugem non tantum corpore verum etiam honestae pudicitiae et vitae debemus accipere, ut duobus exemplis malae uxoris et bonae plene videatur esse responsum. *nunc etiam horribili visu portenta secuntur et socii amissi petierunt aethera pinnis fluminibusque vagantur aves (heu dira me-*

6 *mulieris* V *uxoris* ed. 11 *acris* V *oris* ed. *aris* interpretatio poscit. 12 *venit et* V *et* om. ed. 13 *tantum verum* V *loca extera* inepte interpos. ed. *uxorem* excidisse puto. 15 *perit* V ed. *periit* nos cf. 259. | *pervenerit* V corr. ed. 18 *ipsa* om. ed. 19 *contrario* V ed. *e c.* nos. 21 *videri* V corr. ed. 26 *voluerat* ed F.

orum supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus inplent: nec desinunt, inquit, mala mea; nam multis portentis existentibus adversa superesse nuntiantur: et socii mei amisso humano corpore in aves sunt repente conversi, salvo sci-
5 licet hominum sensu, ut sine cruciatibus perpetuis non sint. de portentis potuit esse simulatum, sed huic parti iunxit veritatem, ut utramque ostenderet veram. denique hanc satiat dicendo fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus inplent.
10 indicium fuit humani remanentis sensus quod in alitum forma ut homines flerent, quod errarent per flumina et sedes illis essent in scopulis. interea quoniam non valuit continuare dolorem suum, interposuit heu dira meorum supplicia, ut inde magis facti indignitas cresceret, quod
15 dira sunt passi. *haec adeo ex illo mihi iam speranda fue-* 275 *runt tempore, cum ferro caelestia corpora demens adpetii et Veneris violavi vulnere dextram:* multi sentiunt Vulcanum et Venerem violatos esse Diomedis manu ideoque Vergilium dixisse caelestia corpora: hoc si esset, etiam
20 Vulcani nomen posuisset. ego tamen sic arbitror intellegendum et puto hoc esse melius, ut quod habet poeta sentiatur potius, quam id tenere quod dictum non est magisque redeundum ad dicendi artem iunctumque esse veritati mendacium, ut sacrilegii commissi in Venerem ex genera-
25 litate cumularetur invidia, quasi non solam, sed aliquot deos violasse videretur. generalitati interea poterat fides accedere ex eo quod constabat Venerem telo Diomedis esse percussam. haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt tempore, cum ferro caelestia corpora demens adpetii: ipse
30 arguit, ipse defendit: accusat quippe factum suum, et iure commotos deos adserit. quis enim dubitet deberi superis poenas, cum ferro et humanis manibus adpetuntur? defendit tamen hoc ipsum extenuando et adserit veniam dari

10 *indicium* V *initium* ed. 12 *quoniam* V *dum* ed. 14 *quot ira sunt* V *quod dira s.* nos *quod iram essent* edI *quod iam essent* edF. 26 *generalitate* V ed. 30 *se arguit* ed. | *se defendit* ed. 33 *dare* V corr. ed.

debuisse, quod non ab eo qui esset integrae mentis, sed dominante dementia constaret admissum. possunt enim haberi pro innocentibus qui furore inpulsi sine sua voluntate peccaverint. ex illo mihi iam speranda fuerunt tempore: speranda quidam quasi metuenda intellegunt, cum vere speranda Vergilius dixisse videatur; nam qui aliquid criminis vel sceleris admiserit consideratione habita facti sperat sine dubitatione supplicium. quod fuit reo Diomedi manifestissimum, vel maxime in ea causa in qua divinum corpus mortali manu violaverat. *ne vero, ne me ad talis* 10 *inpellite pugnas:* cum dicit ad talis pugnas, ostendit dare se auxilium potuisse, si non contra Troianos, sed contra alios postulassent. *nec mihi cum Teucris ullum post eruta* 280 *bellum Pergama:* quod arbitrati sunt Latini mansisse odium vetus in animo Diomedis, hoc ipse adserit erasum ex 15 sensibus suis post excidium Troiae. ex quo, inquit, superavimus Troiam et opes eius evertimus, omnis inimicitias cum adfectu pugnandi deposui, in tantum ut malis eius gratulari non audeam. hoc est quod ait *nec veterum memini laetorve malorum:* ut vere probaret non se laetari, 20 ostendit ne memoriam quidem facti ipsius in suis sensibus remansisse. *munera quae patriis ad me portatis ab oris vertite ad Aenean:* qui auxilium non dabat instruit legatos consilio, ut meliore via consulerent negotio quod susceperant, et, ne sprevisse pro vilibus munera videretur, adserit 25 haec talia esse quibus placari possit hostis et nomen hostile deponere; facile eum sic superari posse, si cum eo sic ageretur, quam si provocaretur in campum. *stetimus tela aspera contra contulimusque manus:* metuendum certamen eius probabat ex sese. qualis, inquit, ille sit in 30

---

1 *habeo* V *ab eo* corr. ed. 3 *in sua* V ed. *sine sua* nos cf. 1, 348. 6 *dixisse* V *intellexisse* ed. 12 *si* post *potuisse* om. post *sed* add. ed. 13 *ulla* V. 14 *bellum est, est* atramento expunctum V. 18 *in tantum* V *usque adeo* ed. 21 *nec* V ed. *ne* nos. 24 *negotio* — 25 *et* temere mut. ed. 27 *deponi* ed. | *facilius* ed. 29 *illa* pro *tela* V. 30 *probabat* V ed. *probat* H fortasse recte.

armis positus non audivi, sed probavi oculis meis; congressi quippe pariter sumus, vidi hominis et expendi virtutem. *experto credite quantus in clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam:* sunt qui sic istum locum expo-
5 nant, quasi Diomedes se dicat expertum cuius esset ille virtutis sibique credendum qui dixisset „stetimus tela aspera contra contulimusque manus". meliorem tamen dico esse intellectum, si Diomedes legatis ita dixisse videatur experto credite, ut quae dicebantur ipsi experiundo con-
10 probarent et ex eiusdem Aeneae bellicis actibus colligerent quantus esset aut qualis: quasi si diceret hoc quod vobis refero vestris oculis probare poteritis, cum videritis eum, quantus adsurgat in clipeum, quo turbine torqueat hastam. turbinis vis, quae fit ex repentino tempestatis ex-
15 ortu, quam violenta sit, quam fortis omnibus notum est. turbinis rursum, quo pueri utuntur, quanta mobilitas et volubilitas quanta sit nec hoc universis incognitum est. ex appellatione igitur turbinis cognosci potuit, qualis esset Aeneas in certaminibus bellicis. ideo non nomen accipi
20 debet experto, sed adverbium, vel maxime quia etiam illud quod dixit torqueat non praeteritum, sed praesens tempus ostendit hoc est non illud quo in Troia pugnatum est, sed quod gerebatur in Italia. *si duo praeterea,* hoc est 285 praeter ipsum, *talis Idaea tulisset terra viros,* ut tres essent
25 cum ipso, *ultro Inachias venisset ad urbis Dardanus et versis lugeret Graecia fatis:* Dardani appellatione gentem, non unum hominem dixit; Dardanus enim Aeneae temporibus et illis quibus in Troia pugnatum est iam fuerat mortuus; potest tamen et sic videri dixisse: quodsi Asia
30 talis tris viros habere potuisset, Dardanum primo Graecis potuisse inferre perniciem, ut conversa condicione fatorum

1 *positus* om. ed. 6 *qui* V *quod* ed. 9 *ipsi — conprobarent* inepte mut. ed.: Don. *experto* sic accipi vult ut dicitur explorato, cognito etc. cf. *intellecto* 12, 867. 11 *si* om. ed. 14 *temporestatis* V *tempore aestatis* ed. 20 *quia* V *qui* ed. 21 *praesentem* V corr. ed. 22 *ostendat* V ed. 23 *in alia* V *in Italia* ed. 24 *praeter ipso* V corr. ed. | *inachaias* V. 31 *et conversa* V ed.

Graecia plangeret quod ingemit Troia. *quicquid apud durae cessatum est moenia Troiae, Hectoris Aeneaeque manu* 290 *victoria Graium haesit et in decimum vestigia rettulit annum:* a temporis ratione sumpsit probationis argumentum; ait enim ut in annum decimum differretur nostra victoria 5 Aeneae virtus et Hectoris fecit. *ambo animis, ambo insignes praestantibus armis, hic pietate prior:* in exercitatione armorum et virtutis robore Aeneas atque Hector pares fuerunt, sed Aeneas prior pietate. multum laudavit Aenean adserendo eum meliorem esse, quod fortis esset et prae- 10 stans pietate, quoniam utrumque in uno homine fuisse satis difficile est, quod alterum venit ex substantia corporis, alterum ex animi lenitate. fortis est, inquit, Aeneas, sed cito flectitur pietate. utrumque et ideo dedit, ut legati et quod metuerent haberent et quod sperarent pro 15 commodo suo. possent quippe dicere quid, si non nobis ignoscit nec concedit pacem? virtute igitur ambos aequavit, Aenean vero, ut dictum est, praetulit pietate, quia haec fuit secundum Diomedis consilium legatis necessaria. Hectori negavit hanc partem profuisse (1, 99) „saevus ubi 20 Aeacidae telo iacet Hector"; illic quippe saevum non fortem dixit, ut alii volunt, sed nulli hosti parcentem, quasi si diceret si Hector esset rogandus, non tale vobis consilium darem, quia saevus fuerat perindeque vobis orata praestare non posset. concludit persuasionem suam dicendo 25 *coeant in foedera dextrae, qua datur, ast armis concurrant arma cavete:* quaerite, inquit, quibuscumque artibus et remediis pacem, vitate periculum belli. danda fuerunt ob inpetrationem pacis praemia et preces cum omni supplicatione fundendae, ideo dixit qua datur; nam et supra 30 ait „munera quae patriis ad me portatis ab oris vertite

3 *retulit* V. 10 *quod* V *quam* ed. | *esset* V ed. *esset et* nos. 11 *quoniam* V *cum* ed. 14 *et ideo* V *et* om. ed. 16 *quod si* V *quid si* corr. ed. 17 *amici* V *animi* ed. *ambos* nos, nam Don. supra virtutem ad corpus refert. 18 *protulit* V corr. ed. 21 *illic* V *illum* ed. 22 *quasi si* V *si* om. ed. 24 *rogata* ed. 27 *armatibus* V *artibus* nos *pactis* ed.

ad Aenean", quo loco et precum partis videtur tetigisse; munera enim sine precibus offerri non possunt. *et responsa simul quae sint, rex optime, regis audisti et quae sit magno* 295 *sententia bello:* simul necessarie posuit; non enim sola 5 responsa rettulerat. dixit enim labores itineris superatos et cetera quae superius dicta sunt et quae esset eius de bello sententia. sententia est qua profertur quicquid de unaquaque re sentimus et pronuntiamus. ecce quanta de Aeneae virtutibus laudantur: animi eius bona laudantur et 10 corporis et fortuna prosperior etiam ab hoste praefertur, denique in alienis terris potior invenitur. turbatur Italia et potius contracta coniuratio: Diomedes non audet auxilia largiri adversus ipsum et ubi de victoria sua gratulari debuit poenas se ac suos dedisse testatus est, suadet quo- 15 que concordiam et in alieno periculo consilium contra dare formidat; in eius causa etiam dona vincuntur et auri cupiditas temnitur aut sane postponitur, quo fides, quo solet omnis etiam necessitudo corrumpi; laudes animi eius et corporis prosequitur inimicus et fatetur metum qui puta- 20 batur extitisse superior. praeponitur deorum et Fauni et Latini iudicio cunctis petitionibus gener et praelatus civibus cunctis ipse dignior iudicatur. Iunonis odia devicta succumbunt factionisque eius commenta solvuntur, [nihil] excitatum in eius perniciem mare, nihil commotum saepe 25 valuit caelum nec profuit ab inferis evocatam Furiam: contra omnia obtinuit felicitas viri. et virtuti eius cessit qui superavit Ilium et non tam victoriam se in eo quaesisse, sed piaculum admisisse testatus est. haec loci causa dicta sunt, ceterum per omnis libros quam materiam scrip- 30 sit poeta evidenter ostendit: totum enim carmen, ut inter

---

2 *enim* V *e. huiusmodi* ed. 3 *sunt* ed. | *regum* ed. 4 *necessariae* V *-rio* ed. 7 *proferitur* V. 10 *profertur* ed. 14 *poenas ac* V *p. se ac* nos *ac* del. ed. 16 *vincuntur* V *renuuntur* ed. 17 *contemnitur* ed. | *ausoni postponitur* V *aut sane p.* nos om. ed. 22 *iudicatus* ed. 23 *excitatum* V ed. *nihil* praefixi. 25 *revocatam* ed. 27 *tam* V *tantum* ed. 29 *scripserit* ed.

initia diximus, laudativum est, ut ille de quo dixit (1, 286) „nascetur pulchra Troianus origine Caesar“ digno auctore videretur esse progenitus et pio ac forti et felici principe Romanum imperium constaret exortum.

Vix ea legati, mox ut ea legati dixerunt, *variusque per* 5 *ora cucurrit Ausonidum turbata fremor,* et turbati sunt omnes qui aderant varia sentientes. *ceu saxa morantur cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis:* sic, inquit, fremebant universi quos congesserat concilii peragendi necessitas, ut 10 fractus obiectu saxorum rapidorum amnium cursus et artatus in gurgitem solet per vicinitatem riparum emittere 300 fragoris strepitum. *ut primum placati animi et trepida ora quierunt,* posteaquam siluerunt omnes qui diversis animorum motibus fuerant excitati, *praefatus divos,* hoc est 15 primum ad eos locutus, *solio rex infit ab alto:* locuturus ad populum orationem futuram diis primo commendavit et alto solio insidens sic instituit loqui; hoc enim exigebat longaevi regisque persona, ut sedens loqueretur, quale et illud dixit ex Latini eiusdem persona in libro septimo 20 (259) „dii nostra incepta secundent;“ necessaria enim et in incerto eventu constituta locuturus diis primo etiam illic commendavit ex more; nam dixit primo „dii nostra incepta secundent auguriumque suum“ et sic legationi respondit „dabitur, Troiane, quod optas“. *ante quidem* 25 *summa de re statuisse, Latini, et vellem:* legitur et velle, quoniam prius ait statuisse, ut ad audientum personam totum Latinus revocaverit, non ad suam et sit ante debu-

---

2 *aborigine* V. 3 *et pio ac* V *quum pio* ed. | *principem* V corr. ed. 10 *quos concesserat* V *q. congesserat* nos *quos* om. ed. *quibus concesserat* ed. post. 12 *per* post *emittere* V ed. transposuit ed. post. 13 *fragores strepitum* V *fr. et strepitus* ed. *fragoris str.* nos. 16 *ad eos* V ed. *ad deos* O fortasse recte. 19 *quale* V *quare* ed. 21 *necessaria* — 24 *secundent* om. ed. 23 *illi* V *illic* nos. 25 *quidem* V *equidem* ed. et Verg. libri. 27 *quoniam* V *quum* ed. | *ut* V ed. *ut ad* ed. post. 28 *per totum* V ed. *per* delevi. | *et sit* V *et si* ed. | *debuisti* edF.

istis et velle et statuere quam nunc cupitis definire. *et fuerat melius non tempore tali cogere concilium, cum muros adsidet hostis:* ex istius persona dat hominibus poeta consilium quod in rebus dubiis asperisque sectentur adseritque
5 quod revera probandum est, vitanda esse antequam veniant mala quam expectanda dum serpant; quid enim melius, quid tutius, quid potest reperiri praestantius quam ut tractatus commode salubriterque volvantur et integris adhuc rebus atque in suo statu manentibus praevideatur quemad-
10 modum ingruentia mala declinentur et plus metuatur dimicationis incertum quam fidatur solis prosperis rebus? tractandumque ne pereat tempus, ut prolixiore die, dum suffragatur otium et procul est hostis, utilis exitus tractatus inveniat. ad haec noscenda non fuit segnis Latinus, prae-
15 venit quippe omnia atque in ipsis exordiis belli quid mali futurum esset ostendit. homines quin etiam deosque testatus est se ab eo scelere quod gerebatur alienum, illos omnis et Turnum, ni quievissent, gravissimum interitum secuturum. denique in libro septimo conplexus est ista,
20 utpote qui sciret quid ostenderint apes, quid nuntiassent infinita portenta, quid vatis Faunique responsa cecinissent, quantum valuisset custoditae beneficium pacis et regni sui temporibus longo aevo servata tranquillitas. vox eius est (7, 594) „frangimur heu fatis ferimurque procella, ipsi has
25 sacrilego pendetis sanguine poenas, o miseri, te, Turne, nefas, te triste manebit supplicium votisque deos venerabere seris; nam mihi parta quies omnisque in limine portus“. haec posset Latinus iterum commemorare, si obiurgationem tempus admitteret; in hac enim insultatio potius quam
30 commonitio potuit aestimari. utitur miti et tranquilla oratione; perturbatos enim multitudinis animos non posset in eas quas tunc quoque non potuit partis adducere, nisi parentis animo et sermonibus uteretur pro causa facien-

---

1 *statuere quam* V ed. *statuere rem q.*? (ad *definire* cf. 359). 3 *adsidit* V. 6 *quam* V *neque* ed. 13 *proculem* V corr. ed. 14 *signis* V corr. ed. 18 *inquievissent* V *ni qu.* ed. 26 *veneravere* V corr. ed. 28 *latinum* V corr. ed.

tibus. subtili tamen utitur increpatione, quod tunc non esset auditus. numquam, inquit, de summa reipublicae rectius in desperatione tractatur, quasi diceret tunc potuit cum ego prohibebam bella et vos rapti adverso furore nec audire nec averti ab inimico consilio voluistis. provenisset 5 igitur melius, si istud inter initia fuisset effectum, cum omnia essent in nostra potestate: nunc haeret hostis moenibus nostris et inter nos et ipsum solum muri discrimen est. cogimus concilium quid rebus perditis in obsidione facturi? consilium nitimur reperire, cum ab his quae 10 commoda esse possent nos exactum in contrariis tempus exclusisse noscatur. quid proderit clausis inane quod gerimus? in quam nitimur partem qui pugnare non possumus nec audemus et quorum adflicta penitus subversaque for- 305 tuna est? *bellum inportunum, cives, cum gente deorum in-* 15 *victisque viris gerimus, quos nulla fatigant proelia nec victi possunt absistere ferro:* congessit omnia quae dissuasioni congruebant. bellum, ait, inportunum gerimus. inportunum est quod defensionis non habet portum et quod non invenit periculorum ratione suffugium. cumque bella omnia 20 aut iusta aut iniusta dicantur, huic tale nomen inposuit quo universi terrerentur. exponit iam ipse cur dixerit inportunum bellum et ob quam causam culpa sceleris eius purgari non possit. cum gente, inquit, deorum: quae potest inveniri defensio, cum in Troianis eorum pulsentur violen- 25 turque maiores? tantum poeta Troianis attribuit, ut sacrilegii crimen admittat, si quis eos bello crediderit lacessendos. invictisque viris gerimus: quodsi contemnendos crederent deos et poenam pro admisso scelere non timerent, scirent cum his sibi esse certamen quos provocare crimen 30 esset et de quibus victoria negaretur. quos nulla fatigant proelia nec victi possunt absistere ferro: quia potuit dici tamdiu duremus, donec illi deficiant aut cedant, prior

---

5 *inimico* V *iniquo* ed. 6 *inter initia* V *ab initio* ed. 17 *concessit* ed. 22 *terrentur* ed. 24 *posset* V *possit* ed. 32 *possent,* in lemmate *possunt* V sic corr. ed.

occurrit adserens eos nec lassari posse certando nec vinci. et tamdiu, inquit, in labore persistunt, donec victoriam consequantur et obtineant gloriam: hoc est dicere non discedunt de campo, nisi ad plenum superiores extiterint.
5 *spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis, ponite; spes sibi quisque:* adhuc facit commemorationem auxiliorum a Diomede negatorum, ut ostendat etiam ipsum timuisse et eius exemplum esse retinendum, deficientibus autem subsidiis debere unumquemque gerenda curare per sese.
10 quia dici potuit si auxilia denegata sunt, aderimus nobis nostra virtute, ideo dixit spes sibi quisque, sed et hoc ademit eis subdendo *sed haec quam angusta videtis, cetera* 310 *qua rerum iaceant perculsa ruina ante oculos interque manus sunt omnia vestras:* et si, inquit, posset provenire ut sua
15 quemque virtus defenderet a periculis belli, iam non potest. videtis enim adflicta omnia et probatis oculis vestris qua malorum ruina res nostrae noscantur oppressae. si, inquit, adsertioni meae fides non adest, quid agatur probate ipsi luminibus vestris. quae maior confirmatio esse potuit
20 quam ut ipse esset testis cui veritatem necesse fuerat oculis propriis conprobari? *nec quemquam incuso, potuit quae plurima virtus esse fuit, toto certatum est corpore regni:* sub imagine istius laudis omnis probatur in orationis fine desperatio: non, inquit, incuso; fecit quippe unusquisque
25 quod debuit, inplevit vestra virtus officia sua et omne regnum in arma conversum est, quasi si diceret quid faciemus pauci et fessi qui cum totius regni viribus recenti virtute certantes nec obtinere potuimus et adflicti discessimus? haec dicendo et illud satiavit, spem non esse addendi
30 aliquos ex propriis viris, quoniam universos quos Latini

---

5 *inquam* pro *si quam* V. | *accitis* ed. 10 *deneganda* V corr. edF. 11 *et* om. edF. 13 *quam rerum,* sed in interpr. *qua* V. | *percussa* ed. 16 *qua malorum ruine* V temere mut. ed. 21 *potuitque* V. 23 *omnis probatur* V *omnes probantur* ed.: *omnis* pro plena cf. v. 546 et 6, 220 et 231. 24 *desperationem* V ed. *desperatio non* nos. 26 *si* om. ed. 30 *quum* — 460, 1 *congregavisset* ed.

regebat imperium congregaverat furor armorum. hoc est toto certatum est corpore regni quod alio loco ait (8, 4) „simul omne tumultu coniurat trepido Latium". *nunc*
315 *adeo quae sit dubiae sententia menti expediam et paucis (animos adhibete) docebo:* venit ad ea quae fuerant pro rerum 5
et temporis necessitate facienda et haec non vacue commendat; sciebat enim se anxiis loqui et iam audiendo adversa fractis animis interesse. his igitur spondet brevitatem et eos facit attentos, quoniam calamitatis ipsius remedia fuerat prolaturus. ordinatio sensus talis est: nunc adeo 10
quae sit sententia dubiae menti, hoc est in deliberatione constitutae, expediam et docebo vos paucis, vos tantum animos adhibete. nunc non semel accipiendum est, ut sit nunc expediam, nunc docebo, nunc animos adhibete. nunc hanc habet hoc loco virtutem: cum in rebus urgentibus 15
profutura omnibus et cunctis utilia proferuntur. *est anticus ager Tusco mihi proximus amni, [longus in occasum, finis super usque Sicanos]:* consilii huius duplex reperitur esse tractatus, fuit quippe una pars eius si commorari Troes in Italia malint, altera si abscedere. in utraque 20
adserit se velle esse liberalem, quod sciret hostis sine commodo suo non esse recessuros ab adfectu pugnandi, utpote qui essent superiores. species autem quas se dare velle dicturus est sic extenuat, ut sine detrimento dari possint et sumi pro magnis. cur ergo non fieret quod non 25
laederet dantem et libenter accipiens sumeret? est mihi, inquit, anticus ager, hoc est proprius et olim sine quaestione possessus (agrum cum dicit, ostendit nullis surculis consitum), Tusco proximus amni, in longinquis regionibus, incognitus cunctis perindeque ob longinquitatem inutilis 30
regno. usque adeo ignarum vult esse universis ex supra

---

6 *et haec* V *haec* ed. 7 *etiam* ed. *et iam* nos. 8 *fractos* edF. 9 *quoniam* V *cum* ed. 10 *probaturus* ed. 11 *haec est* V corr. ed. 12 *tantum* V *tamen* ed. 17 *longus* — 18 *Sicanos* deest in V, sed de longinquitate in interpr. disputatur. 20 *malunt* ed. 22 *effectu* ed. 29 *mihi proximus* V ed. *mihi* delevi. 31 *adeum ignarum* V *adeo ignotum* ed.

dicta causa, ut ipse indicet ubi sit et in qua parte terrarum et quali situ diffusus esse videatur. *Aurunci Rutulique serunt et vomere duros exercent colles atque horum asperrima pascunt:* non nobis, sed adhaerentibus et con-
5 tiguis utilis, quoniam hoc remotio facit et longinqua separatio; istum denique Aurunci serunt aut pascunt. quomodo „serunt"? quomodo „pascunt"? vomere, inquit, exercent quod potest coli et pascunt quod respuit asperitatis causa culturam. positis ubere alio serunt, colunt, pascunt. *haec* 320
10 *omnis regio et celsi plaga pinea montis cedat amicitiae Teucrorum et foederis aequas dicamus leges:* quae essent aequae foederis leges ipse exposuit; ait enim *sociosque in regna vocemus,* ut societate recepti nec potiores Italis essent nec inferiores civibus. *considant, si tantus amor, et moenia*
15 *condant:* si regio illis ista conplacuit et istarum amore ducuntur terrarum, istas incolant et moenia condant. dixit unam tractatus sui et sententiae partem, ut accipiant agros, considant et civitatem sibi, si voluerint, condant, subnectit alteram hoc modo: *sin alios finis aliamve capessere gentem*
20 *est animus possuntque solo decedere nostro, bis denas Italo* 325 *texamus robore navis, seu pluris conplere valent:* sin vero illorum animis sederet transire ad alia atque alias gentis et populos occupare, navigiis iuvemus ad longinqua pergentis, texamus viginti navis vel, si maiorem numerum
25 conplere possunt, inpigre praeparemus. incipit dicere hoc ipsum factu esse facillimum et posse sine detrimento conpleri. *iacet omnis ad undam materies:* quod ait iacet, ostendit speciei ipsius ex abundantia vilitatem nec abscidendi aut exportandi laborem esse necessarium, cum ad
30 ipsum litus esse videretur omnis materies, hoc est omne

---

2 *qualis istud diffusus* V *qualis iste d.* ed. *quali situ d.* nos. 4 *non nobis* — 9 *colunt pascunt* om. ed. ex H iam v. d. Hoeven p. 13 edidit: *ubere* pro agro ut georg. 2, 234. 13 *societatem* V *in s.* ed. 15 *amorum ducuntur ferarum* V. 16 *sensu volunt* V *istas incolant* nos: *illis* — *incolant* temere mut. ed. | *condunt* V corr. ed. 18 *et civitatem* V *et* om. ed. 19 *aliamque* ed. 23 *populis* V. | *navigii iubemus* V *pro commodo* substituit ed. 26 *factum* V *factu* ed.

genus lignorum quod navium fabricis congruit. *ipsi numerumque modumque carinis praecipiant:* ipsi iubeant quantae praeparentur et quales; dicendo praecipiant ostendit se de potioribus loqui. *nos aera, manus, navalia demus:* quae sunt necessaria perficiendis navibus nos ministremus, aera 5 scilicet et manus et navalia. aliqua specialiter posuit ex his quae fabricandis navibus sunt necessaria, aliqua vero generaliter tenuit, ne plurimum temporis contereret specialis in omne opus enumeratio aut multa viderentur quae perquireret explicationis effectus. et quid opus fuit singil- 10 latim persequi omnia, cum esset universis audientibus 330 cognitum quid esset parandis navibus necessarium? *praeterea qui dicta ferant et foedera firment centum oratores prima de gente Latinos ire placet:* oratorum centenarium numerum et eorum qui essent inter Italos nobiliores con- 15 stituit mittere. hoc enim potest videri ab Aenea didicisse, qui ad eum centum legatos misit: plurimum enim negotium proficit, si propter eius effectum plurimi mittantur et magni. decreverat igitur Latinus centum legatos ad Aenean mittere qui dicta ferant, hoc est qui ad eum 20 perferant quae supra dicta sunt de agro dando, de condendis moenibus et navibus construendis, et foedera firment; ipsa enim fuerat causa mittendi, ut remoto bellandi adfectu firmae pacis otia tenerentur. *pacisque manu praetendere ramos:* et praeferant ramos pacis manibus suis, 25 pacis rami sunt decerpti ex arboribus oleis, ut plurimis locis est positum. qui idcirco quasi praenuntii monstrantur, ut adhuc tacente legatione quid velit vel quid sit petitura praenosci possit et libenter audiri. *munera portantis aurique eborisque talenta:* haec ad commodum fami- 30 liaris rei et utilitatem. *et sellam regni trabeamque insignia nostri:* haec ad meritum et honorem regiae potestatis.

---

2 *iubent* V corr. ed. 8 *contereret specialis* V *longa enim esset* interpos. ed. 9 *omni* V corr. ed. 18 *negotiis* ed. 23 *ipse* in rasura ita ut *a* perluceat V. 25 *in manibus* ed. 26 *ex* V *de* ed. | *oleis* V (cf. 101) *olivarum* ed. | *et plurimis* V corr. edF. 30 *eborisque aurique* ed.

denique idcirco addidit regni insignia nostri, ut pateret sellam et trabeam solis esse regibus attributam. missa sunt ista, ut alia augerent opes, ostenderent alia dignitatem. ecce animus optantis pacem: munera misit et re-
5 galis potestatis insignia, ut ex his intellegeret Aeneas Latini voluntate et Italorum se in regnum esse susceptum. *consulite in medium et rebus succurrite fessis:* consulere in 335 medium est consilio reperire quod omnibus prosit. pulchre conclusit: si, inquit, quae dixi non videntur esse facienda,
10 vos in communi periculo providete quid fessis rebus valeat subvenire. clausit orationem suam, de Turno tamen vel Aenea aut de filiae nuptiis nihil dixit, quoniam ferventibus cunctis bellorum causam nominare non debuit. fuit enim ipsi Latino invidiosa et non decuit ut filiam quoque per
15 legatos offerret. dedit tamen ceteris viam tractandi etiam de ipsa, dum rogandum Aenean dicit et placandum muneribus; ex his quippe potuit adverti quid ille sentiret de nuptiis filiae.

Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni obli-
20 *qua invidia stimulisque agitabat amaris, largus opum et lingua melior, sed frigida bello dextera, consiliis habitus non futtilis auctor, seditione potens (genus huic materna* 340 *superbum nobilitas dabat, incertum de patre ferebat) surgit et his onerat dictis atque aggerat iras:* Drances, inquit,
25 idem ideo, quia et supra (220) de ipso dixerat: „ingravat haec saevus Drances solumque vocari testatur, solum posci in certamina Turnum". quoniam idem Drances Turno fuit infensus, et hunc urgebat invidia gloriarum eius, obliqua tamen nec in apertam professionem ducta, quod fuisset
30 seditiosus et dives quemque extollebat materna nobilitas

---

1 *aptaret* V ed I *pateret* nos *appareat* ed F. 4 *regales* V corr. ed. 6 *voluntatem* ed. 8 *est in medium* V ed I *in m. est* ed F. 11 *turni* V ed. *Turno* nos. 12 *aenea* V *Aeneae* ed. | *quoniam ferventibus* V *f. enim* ed. 13 *causa* V ed I *causas* ed F *causam* nos propter *invidiosa.* 15 *etiam* om. ed. 21 *dextra* V. 23 *de patre referebant* V. 27 *cum — fuerit* ed. 29 *quod fuisset* V ed. *qu. fuit*?

nec revocabat hunc a natura sua pudor aut frangebat quamvis potentis ludibrium matris, quae illum incerto patre protulerat, surgit. ecce diversum personarum meritum: rex locutus est sedens, iste vero surrexit, ut loqui posset, et oneraturus Turnum sic instituit loqui. expressit 5 poeta hominem saevum et factiosum; qui enim prima odia excitare laborando non potuit nunc, quod facile fuit, augere nitebatur inventa, ne perderet occasionem temporis et oportunitatem regiae voluntatis amitteret vel ne existeret quisquam qui Latini studium pro Aeneae partibus ad utili- 10 tatem Turni converteret. interea quoniam hyperbaton potest quandam obscuritatem intellectui dare, ordinatio sensus addenda est sic: tum Drances idem infensus, quem melior gloria Turni obliqua invidia stimulisque agitabat amaris, surgit et his onerat dictis atque aggerat iras. medii versus 15 de genere, de fortuna, de moribus, de artificiosa eloquentia, et quod esset inbellis, idcirco videntur interpositi, ut constaret illum versuti animi, superbia quoque materni sanguinis, largiendo atque loquendo quae vellet explicare posse. *rem nulli obscuram nostrae nec vocis egentem con-* 20 345 *sulis, o bone rex, cuncti se scire fatentur quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant:* ex facto et verbis probat poeta quod dixit. adseruit enim Drancen inimicum Turno, propterea quod virtuti eius invideret, cum ipse Drances esset inbellis, superbum propter nobilitatem materni generis et 25 propter substantiam familiaris rei, versutum, callidum, eloquentem, seditiosum. ecce primus et solus loquitur et non consulta negotii publici, sed unius hominis inimicus et, cum nullum habuisset cum ceteris tractatum, loquitur quasi instructus ab omnibus atque, ut accederet dictis eius 30 maior auctoritas, ex omnium se memorat venire consensu.

---

1 *revocabant* V. 11 *quum — possit* ed. 20 *posset* V *posse* nos *potuisse* ed. 21 *cunctis esse ire* V. 23 *inimico* V corr. ed F. 25 *superbum* — 26 *versutum calidum* (sic) *eloquentem seditiosum* V nominativos substituit ed. | *generis* V *sanguinis* ed. 28 *consulta* V *consultorum* ed. 31 *maiora auctoritate* V corr. ed.

magnum quippe inventum est quod, licet ab uno exortum sit, cuncti adprobant et universi confirmant. occultavit privatas inimicitias, ne non publicum, sed suum negotium agere videretur, aperuit tamen odium quod obliqua exer- 5 cebat invidia; idoneam quippe nocendi invenerat causam. rem, inquit, omnibus manifestam locutus es: ecce quasi omnes idem vellent atque idem sentirent, sic exorsus est. laudat sententiam regis et hanc, quod melius fuerat, laudando confirmat; non enim debuit post regis arbitrium 10 ipse quoque tamquam de causa iudicans loqui (praeferendo tamen atque adprobando plus agit) quam volebat inpleri. usque adeo, ait, rex optime, † tantum cunctis placet sententia tua, ut laudari potius debeat quam de ea tractari. sic consulunt quibus imperio potestas est et nomen regale 15 committitur et qui bene sibi commissam rempublicam regunt: boni regis officium conples nulli contra publicum commodum praestando gratiam nullumque metuendo. quod ipsum probatur ex eo, quia id sensisti quod nos. cuncti se scire fatentur quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant: 20 sed metuunt loqui et mala nostra pressi formidine contegunt: ne diceretur cur solus loqueris et illi tacent? idcirco ait, volunt loqui universi, sed timent. *det libertatem fandi flatusque remittat cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros (dicam equidem, licet arma mihi mortemque mine-* 25 *tur) lumina tot cecidisse ducum totamque videmus consedisse* 350 *urbem luctu, dum Troia temptat castra fugae fidens et caelum territat armis:* satis invidiosa dictio et altissimis dolis

---

1 *exortum ē* V *ex. esset* ed. *ex. sit* nos (inversus error 10, 783). 3 *publicum sed suum* V ed I *suum sed publ.* ed F. 11 *quam* pro adverbio accipere videtur ed., sed ad *causa* pertinere patet: est igitur *loqui* pronuntiatione, ut Don. dicere solet, suspendendum, quamobrem parenthesin significavi. 12 *agit* V *ait* nos *inquit* ed. | *tantum* V ed. spurium videtur. 14 *imperio* V ed. *-rii?* 15 *committimus* ed. 18 *nos* — 19 *populi* male distinguendo mutando omittendo corrupit ed. 21 *loqueris* V *quaeris* ed. 25 *vidimus* (et infra) V. 27 *territa* (infra recte) V. | *invidiosa sedicio* V ed. (*t*) *se* dittographia ortum ratus correxi cf. 357. 2, 657.

instructa; fingit enim se metuere et omnem in Turnum invidiam congerit cumque eum adserit plurimum posse et ab omnibus metui, odia ei maiora conquirit. det, inquit, libertatem fandi flatusque remittat, quasi nulli fas esset loqui aut anhelare saltem, nisi voluisset Turnus et rogatus 5 praecepisset. incipit iam erumpere in ea quae olim proferre cupiebat, ut conpleret quae apud Aenean se professum esse meminerat. dixerat quippe (128) „et te, si qua viam dederit fortuna, Latino iungemus regi, quaerat sibi foedera Turnus“. utitur igitur occasione oblata fortunae et 10 oportunitatem temporis retinet, qua meliorem aut talem postea reperire non posset, et quasi sub metu positus non obliquas iam, sed apertas inimicitias profitetur: cuius, inquit, ob auspicium infaustum, detestabile scilicet atque funestum. ubi loqui coepit in seditionibus excitandis arti- 15 fex, interposuit aliud quo moverentur universi et unusquisque salutis suae commodum tractans quicquid de Turno aspere ageretur libenter acciperet et audiret. dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur: quod ait mihi, hoc intellegi potest: mihi, quia commodum publicum tueor 20 salutemque cunctorum, interitum parat, procul dubio et paribus aliis et fortunae rationem sequentibus dirum spondet sua in desperatione supplicium. lumina tot cecidisse ducum totamque videmus consedisse urbem luctu, dum Troia temptat castra, hoc est quid faciemus caeci qui spei no- 25 strae tot perdidimus lumina et non aliquam partem nostrae urbis, sed totam civitatis faciem luctibus videmus oppressam? colligitur totum sic, infausta Turni auspicia quantas inflixerint clades vident omnes et gemunt, nihil est quod non luctibus redundet et lacrimis, periere tot duces, lu- 30 mina scilicet ceterorum, periere plures de multis, periere meliores. faciendo totius civitatis commemorationem ad omnis qui concilio intererant dolorem funerum pertinere

---

5 *salutem* V *saltem* ed. 9 *iungimus* ut 129 V. 20 *tueor* om. *quaero* post *cunctorum* interpol. ed. 22 *ratione* V ed. -*nem* nos: respicit v. 345. 23 *in* om. ed.

monstravit, ut revera non odii sui causam, sed publicum tueri commodum videretur. quis enim in illa multitudine fuit qui non doleret amissum, cum alii patres, alii filios, nonnulli fratres aut propinquos vel familiares fidissimos
5 gemerent? dum Troia temptat castra fugae fidens et caelum territat armis: et hoc dicebant inflictum, dum ille Troiana castra temptaret et non iam homines, sed caelum pulsare contenderet. temptat, inquit, non expugnat: denique addidit fugae fidens. temptare quippe est ad unam-
10 quamque rem diffidenter accedere. videbatur ergo Turnus temptasse certamen et evasisse fugiendo. proinde desertionis ei crimen obiectat, quia in decimi libri parte dictus est aufugisse. terrere autem caelum videtur qui in armis exultat et cum nullo congreditur. proprietas tamen illa
15 est dicti, ut Troiani caelo conparati videantur, quod non possent mortalium adgressione terreri. Troia castra sic pronuntiare debemus, ut Troia non duas, sed tris syllabas faciat, tro separatim et vocales i et a separatim. castra quoque non solos parietes, sed exercitum dictum debet
20 intellegi. huius loci sensus sic ordinatur: licet arma mihi mortemque minetur cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros lumina tot cecidisse ducum totamque videmus consedisse urbem luctu, dum Troia temptat castra fugae fidens et caelum territat armis. *unum etiam donis istis,*
25 *quae plurima mitti Dardanidis dicique iubes, unum, optime regum, adicias nec te ullius violentia vincat:* dixit placuisse omnibus sententiam regis, sed addidit Drances quod ille consulto et verecunde transmiserat; finis enim bello posset accedere, si tolleretur causa certaminum. ait igitur unum,
30 quod tantam habuit persuadendi substantiam, ut hoc rursum necessario repetisset. qui, inquit, Troianis misisti

---

6 *dicebat* ed. 9 *pugnae* pro *fugae* (supra recte) V. 11 *desertiones et crimen* V *d. et crimina* ed. *desertionis ei crimen* nos. 13 *autem* om. ed. 18 *tro* V *tro i a* ed. 19 *solus* V *-los* nos *-lum* ed. 20 hanc sensus ordinationem omni verborum collocandorum rationi contrariam lemmatis distinctione exprimere non potui. 30 *constantiam* ed.

multa multaque mandasti, adde unum, quod potest foederum sacramenta firmare. quoniam magnum fuit quod nitebatur efficere, ut facilitatem ostenderet, unum dixit, ut ex quantitate numeri extenuatio nasceretur, quasi nec difficile nec grave, sed unum diceret esse faciendum. et 5 revera unum fuit, sed maximum et quod omnem negotii substantiam contineret. nec te ullius violentia vincat: suppresso nomine Turnum tetigit, qui in eo quod Drances
355 fuerat suggesturus poterat laedi. *quin gnatam egregio genero dignisque hymenaeis des pater et pacem hanc aeterno foedere* 10 *iungas:* laus unius dicta est et in ea alterius obliqua vituperatio; cum enim egregius dicitur cui munera mittebantur et adfinitati Latini digne conveniens, alter nec egregius iudicatus est et minus conveniens qui regis filiam duceret. dicebat autem plenissime rebus publicis profuturum, si hoc 15 fieret, remota causa bellandi pacem plena aeternitate mansuram. patris, inquit, officium est, vel maxime in causa coniunctionis filiae, providere quid sit in ceteris melius et perpensius petitorum deligere digniorem, nec errat quisquis hoc fecerit; in paterno quippe pectore primum sibi 20 locum liberorum debet pietas vindicare. *quodsi tantus habet mentes et pectora terror, ipsum obtestemur veniamque oremus ab ipso:* redit ad invidiosam dictionem: aut si tanto, inquit, ducimur metu tantaque in nobis Turni formido est, ipsum rogemus et ab ipso deprecemur quod potest 25 provenire per te. dicit quomodo id Turnus possit praestare: *cedat* inquit: cedere est locum dare meliori. *ius proprium regi patriaeque remittat:* et patiatur regem ac patrem uti iure suo et sinat propria libertate definire universos ac sequi quod sibi commodum tractando perspexerint. 30
360 *quid miseros totiens in aperta pericula civis proicis, o Latio*

---

2 *quum magnum fuerit* ed. 13 *nec* V *minus* ed F. 18 *quod si* V ed. *quid sit* nos. 19 *perpensis* V corr. ed. | *peditorum* V *sciret* ed. | *nec* V *non* ed. | *erat* V ed. *errat* nos. | *quisquis* V *qui* ed. 27 *inquit* om. ed. 28 *patriaque* V. 29 *universus* V *-sa* ed. *-sos* nos. 30 *perspexerint* V *-xit* ed.: ergo non suspicandum est Don. *patrique* legisse.

caput horum et causa malorum? magnum factiosi hominis inventum, ut relicto eo qui summam rerum tenebat ad eum sese converteret quem volebat opprimere. quid, ait, miseros: miser est qui, cum sit innocens et alieni impetum
5 fati possit effugere, cogitur tamen infelicis hominis extremam communicare fortunam. quod vero totiens dixit, hoc fuit quod iam non poterat tolerari, ut qui iniuste atque incommode pugnare saepe conpulsus est et contrarium meruit rursum cogeretur exire in aperta pericula. est
10 quidem viri fortis incertum pugnae non timere; sicuti enim in eo sperantur adversa, ita possunt etiam secunda melioribus provenire successibus, in pericula autem manifesta unumquemque improvidum ruere summa dementia est. civis, inquit, proicis, nomen sanctum et religiosum, quod ille
15 habuit vile et quod non sinebat evadere multos saepe innumerosque perdendo. novissimum fuit proicis, omni scilicet iniquitate deterius; proicitur enim quod vile est, quod necessarium non est, quod cum perierit non adscribitur incommodis. sed iste plus sentitur dixisse: proicis, quasi
20 ipsis in pericula manifesta coniectis Turnus spectator alieni interitus in otio remanere consuesset. erumpit iam in aperta convicia fiduciam gerens omnium quos artificiosa dictione fecerat suos: o Latio caput horum et causa malorum: malorum omnium quae Latium premunt quaeque
25 praecesserunt tu es, inquit, caput et causa. hoc vere obiectum est; per ipsum enim turbatum est quod Latinus cum Troianis fuerat conlocutus. *nulla salus bello:* si pugnatum ulterius fuerit, nulla iam speranda est vel reliquis vita et, quia ad id deducti sumus, ut spes remanserit nulla,
30 *pacem te poscimus omnes, Turne:* omnes inquit, cum a solo dicatur, non ab omnibus; pacem te poscimus, non ut hanc daret, sed ut cedendo pateretur illi coniugem dari quem constabat esse potiorem. *simul pacis solum invio-*

---

2 *rerum* V *malorum* ed. 5 *posset effugire* V corr. ed. 20 *expectator* V *-tur* ed. *spectator* nos. | *alieni interitus* V temere mut. ed. 26 *turbatum est* V *t. e. Latium* ed. 27 *pugnandum* ed. 28 *vel* om. ed.

labile pignus: et recedas ab adfectu eius per quam nobis potest aeternae atque inviolabilis pacis subsidium procu-
365 rari. *primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse nil moror, en supplex venio:* ego, inquit, primus et quem tu tibi esse fingis invisum ecce supplex tibi sum ac te pro 5 salute omnium rogo. magna nocendi calliditas, supplicem se efficit inimicus, ut hoc modo desiderata perficiat, atque, ut maiorem invidiam conpleat, rogat omnium nomine. *miserere tuorum:* tangat te aliquando tuorum miseratio et infelicibus parce, non intereant reliqui, dum te adhuc in- 10 consideratus error exagitat. *pone animos et pulsus abi:* consilium dare debuit qui quaerebat in tanta necessitate beneficium. deferveat, inquit, inconsideratio tua et quod hausisti animo vel instructus exclude. victus es: tuae iam acquiesce fortunae provisurus etiam tibi, si cedendo efficias 15 quod perseverando vitare non poteris. ecce et benivolum se fingit, dum ipsius quoque saluti vult esse veluti consultum quem persequebatur odio et quem cupiebat oppressum. *sat funera fusi vidimus:* satis sit quod caesorum cadaveribus plena sunt omnia, quanta mala in nostros 20 exercita non accepimus referente fama, sed vidimus. *ingentis et desolavimus agros:* bene posuit desolavimus, quia de agris hoc est de solo quaerebatur, quod factum fuerat desertum. addidit etiam ingentis, ut non parva, sed ingens atque inmensa possessio nudata videretur viduataque cul- 25 toribus. desolare quippe est auferre agricolam solo. alio loco (8, 6) Vergilius multo evidentius hoc ipsum posuit, cum diceret „ductores primi Messapus et Ufens contemptorque deum Mezentius undique cogunt auxilia et latos vastant cultoribus agros“. non solam camporum voluit 30 monstrare ingentem solitudinem factam, sed per inmensum agrorum modum ingentem hominum multitudinem esse

---

1 *effectu* ed. post. | *quam* V *quem* ed. 5 *et te* ed. 8 *conplet* V corr. ed. 10 *non* V *ne* ed. 14 *ausisti* V corr. ed. | *instructus* V *extructus* ed. *extrusus* ed. post. 21 *accipimus* V corr. ed. 23 *quaerebatur* V ed. *querebatur*?

mactatam. *aut, si fama movet, si tantum pectore robur concipis,* aut, si erubescis cedere et te tui nominis exagitat fama tantumque in te bonae existimas superesse virtutis, *et si adeo dotalis regia cordi est,* et si tantum cordi tuo 5 regalis coniugii cupiditas fixa est, ut avelli non possit, *aude atque adversum fidens fer pectus in hostem:* si ali- 370 quam virtutis tuae fiduciam geris, aude et certamen cum solo solus adgredere atque potior et praestanti virtute confisus hostem pete adverso pectore. *scilicet ut Turno con-* 10 *tingat regia coniunx, nos, animae viles, inhumata infletaque turba, sternemur campis:* necessarie posita in fine exclamatio, quae proposita condicione certaminis et duri post certamen exitii teneret universos in societate voluntatis suae. hoc loco nomen Turni ut abiecti et humilis debe- 15 mus accipere pro animo eius qui loquebatur ut invidus et loquebatur iratus. talis locus est iste qualis est (2, 4) „Troianas ut opes et lamentabile regnum eruerint Danai"; nam et illic nomen gentis Graecorum pro convicio positum est. contingat regia coniunx: mori pro republica, pro 20 patria, pro penatibus, pro uxore, pro liberis, pro parentibus gloriosum est, iste vero et personam deformavit et causam adseruit idoneam non esse quae merito posset exigere auxilium publicum. ut ille, inquit, quam non potest regiam consequatur uxorem: ducere uxorem speciale unius 25 est votum et commodum facti ad unum specialiter, non ad populum pertinet: cum igitur non publica, sed privata sit causa, cur dimicet cui periculo sunt adversa et secunda non prosunt? nos, id est innoxii et extra negotium positi regnoque proprio necessarii. animae viles, non vere viles

---

1 *rubor* Donatum legisse opinatur Hoppius p. 4 n. 13 cf. p. 13. 2 *concipisset* assumpto ex sequenti lemmate *et* V cf. praef. p. XLV. | *erubesces* V corr. ed. 3 *bona* V ed. *bonae* nos. 6 *fert* V. 8 *otio te* V ed. om. ed. post. *potior et* nos. 9 *adverso pectore* om. ed. 11 *exclamatio* V *e. est* ed. 13 *societatem* V ed. 15 *qui* — 16 *iratus* temere mut. ed. 16 *luctus* V ed. *locus* ed. post. nos cf. 12, 593. 22 *adseruit* V *deseruit* addito *existimans* post *esse* ed. 27 *periculo* V *pericula non* edF. 28 *idem* V *id est* nos *item* ed.

dixit, sed pro vilibus. sternemur campis, per omnis campos iacebimus fusi. inhumata infletaque turba, non habentes solacium lacrimarum aut beneficium sepulturae. quam vim habeat humationis detrimentum aliis locis poeta perdocuit: uno, cum Euryalum mater doleret occisum (9, 485), „alitibus, inquit, linquere feris aut gurgite mersum unda feret piscesque inpasti vulnera lambent". „heu terra ignota canibus date praeda Latinis alitibusque iaces nec te, tua funera mater produxi pressive oculos aut vulnera lavi veste tegens" (haec si omittantur, ad corporis iniuriam pertinent); altero adseruit quid mali accedat etiam animae eius qui humatus non sit; non enim fluvium transit infernum, sicut in sexto libro (325) lectum esse meminimus loquente Sibylla et Aenean docente hoc modo: „haec omnis quam cernis inops inhumataque turba est; portitor ille Charon; hi quos vehit unda sepulti, nec ripas datur horrendas et rauca fluenta transportare prius quam sedibus ossa quierunt, centum errant annos volitantque haec litora circum." hae sunt inhumatorum poenae, ut eorum corpora lanientur et diversis subiaceant bestiis et eorum animae, cum ad inferos venerint, fluvium sollemniter transire non possint. haec paulo amplius evagati, quia locus sinebat, tradidimus latius, ceterum amaritudo Drancis hoc sensit, ut perituros, si adhuc pugnaretur, diceret universos nec superfuturum aliquem qui caesos sepeliret aut plangeret. *etiam tu, si qua tibi vis, si patrii quid Martis habes, illum aspice contra* 375 *qui vocat:* si tu fiduciam geris roboris et generis tui, illum debes intueri solum quem habes in tua causa contrarium.

Talibus exarsit dictis violentia Turni, dat gemitum rumpitque has imo pectore voces: ardens ante magis exarsit in Drancen talibus dictis, maledicis scilicet et iniuriosis; quod aegre portabat evomuit, rupit, inquit, vocem et imo

4 *habet* ed. 5 *alitibus* — 7 *lambent* decimi libri (559) est memoriae errore cum altero loco coniunctum. 10 *a corporis* V corr. ed. 14 *aenean et* V *et Ae.* nos *ad Ae. et* ed. 21 *possent* V *possint* nos *possunt* ed. 23 *drances* V corr. ed. 25 *tu* om. V. 29 *turda* pro *Turni dat* V.

pectore gemitum dedit. gemitus inde veniebat, quia vim Dranci inferre non poterat praesentibus tantis et rege. quod tamen locus et tempus admisit et praesentia tanti conventus, in vocem rupit, quam diu patiens oppresserat dolor.
5 *larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi tunc cum bella manus poscunt patribusque vocatis primus ades:* prae- 380 postera est, inquit, Drance, eloquentia tua. nam cum necessitas viros in arma conpellit, tu concurris ad verba et te delectat rhetorum mos, quia murorum munimento
10 securus es. non sic pugnatur aut vincitur nec verbis debemus uti pro iaculis. interea, dum patres aliquid tractare desiderant, primus adventas et tunc lingua placere contendis cum tempus non loquacis, sed armatos exposcit. *sed non replenda est curia verbis, quae tuto tibi magna*
15 *volant, dum distinet hostem agger murorum nec inundant sanguine fossae:* doceam te, inquit, sua temporibus dare. pacem quaerit loquacitas tua, quam putas esse, cum non sit. fallit te conventus iste maiorum, fallunt murorum saepta, quae a nobis paululum separant hostis: † nonne
20 vides per fossas sanguinem fundi? *proinde tona eloquio:* tona invidiose posuit, quasi caeleste regnum portaret in lingua et non iam loqui, sed tonare videretur. *solitum tibi:* talis semper fuisti, nihil tibi nisi loquacitas subest, loquere, antequam tibi totum adimat clangor tubae, for-
25 tium virorum strepitus et fragor armorum. *meque timoris argue tu, Drance, quando tot stragis acervos Teucrorum* 385 *tua dextra dedit passimque tropaeis insignis agros:* accusa, inquit, timorem meum, sed tu solus, Drance: gloria mea

---

2 *drancis ferre* V *Drancae f.* ed.: sed tulit vim Drancis Turnus, quare *Dranci inferre* emendavi, sic et *tamen* vim suam habet. 5 *tunc* V *tum* ed. 10 *non sic quae natura utuincitur nec* V temere mut. ed. 12 *adventas* V *adventus tuus* edF. 13 *exposcat* V corr. ed. 16 *docebo* ed. 18 *fallunt* V *f. te* ed. 19 *nonne vides* V ed. corruptum videtur, fortasse *ne videas,* sed crucem ponere malui. 21 *caeleste* V *sceleste* ed. 22 *sed non iam* V *et n. i.* nos *ut n. i.* ed. | *solitum* V *solum* edF. 24 *turbae* V *tubarum* ed. 27 *dextera* V. 28 *solus* V *solum* ed.

est, quia non nosti pugnantis. triumphos tuos et strages in hostem tuis manibus factas elatus enumera, ostende agros quos tua virtus tropaeis effecit insignis. haec omnia insultanter prosecutus est, quasi diceret: si nihil egi pugnando, quis tantas strages Troianis invexit? an tu qui 5 numquam pugnae vidisti certamen? *possit quid vivida virtus experiare licet; nec longe scilicet hostes quaerendi nobis, circumstant undique muros, imus in adversos:* hoc ideo, quia Drances obiecerat „fugae fidens", „aude atque adversum fidens fer pectus in hostem", „etiam tu, si qua tibi 10 vis, si patrii quid Martis habes, illum aspice contra qui vocat" et Latinus in oratione sua dixerat „non tempore tali cogere concilium, cum muros adsidet hostis". ad omnia iste varia ordinatione respondet, potest, inquit, conprobari facilius quis quanta virtute confidat: haut procul 15 est hostis et muros observat. hoc ita dixit, quasi obsidium fretus sua virtute contemneret, quod apud illos grave videbatur. imus in adversos: usus est verbo Drancis qui dixerat „atque adversum fidens fer pectus in hostem". ego, inquit, ibo in hostem adversus secundum voluntatem tuam, 20 sed tu quoque veni mecum, ut videas ac probes qualis sim cum quo paras dimicare. *quid cessas? an tibi Mavors* 390 *ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis semper erit?* quid est quod ad campum non audes exire, et potes? quia bellatoris officium conples, si loqueris aut fugias. 25 ecce obicit ei quia ipse magis fugax sit nec aliquando concertet; Drances quippe dixerat de Turno quod fugae fiduciam gereret. *pulsus ego?* supra enim dictum est „pone animos et pulsus abi". huic obiecto ita respondit: *aut quisquam merito, foedissime, pulsum arguet Iliaco tumi-* 30

1 *est* V *es* ed. 3 *ingens* V *insignes* edF *-gnis* nos. 6 *possit qui* V. 7 *hostis* V. 8 *imus in adversos* om. edF. 10 *fert* ut supra 370 et infra V. 11 *parti* pro *patrii* V. 14 *respondit* ed. 15 *aut proculem* V corr. ed. cf. 457, 13. 16 *obsidionem* ed. 21 *quales sim cumque prodimicare* V *qualis sim* omissis quae sequuntur ed. 24 *et potes* — 25 *fugias* V ed.: fortasse *et putas quia b. o. conpleas si loquaris aut fugias*? 26 *est* V ed. *sit* nos. 27 *concertet* V *-tat* ed. 29 *aut* V *haud* ed.

dum qui crescere Thybrim sanguine et Euandri totam cum stirpe videbit procubuisse domum atque exutos Arcadas armis? 395 magna pompa verborum propria extulit gesta, sed veris falsa permiscuit; nam Thybrim humano sanguine cumula-
5 tum contra naturam est rerum et non potest esse possibile. dehinc adseruit omnem se Euandri penitus erasisse progeniem, cum non pluris occidisset qui solum peremerat Pallantem, licet in uno spes omnis Euandrii generis fuisset constituta. de Arcadibus autem quantos occiderat, ut tantum
10 sibi crederet adrogandum? quis, inquit, dicet me turpiter pulsum, cum ponere ante oculos coeperit Thybrim maximum, fluentem celeritate praecipiti, superbum verticibus inundasse atque auctum esse Troianorum sanguine quos hac dextera effudi atque mactavi, domum quoque Euandri
15 et omnem spem posteritatis eius extinctam virtute mea atque exercitum iuventutis Arcadiae in tropaea infinita conversum? ultra modum extulit laudem suam, hoc enim suadebat respondendi necessitas, in uno solo non mentitur, quia Euandri posteritatem subverterat; unicus quippe fuerat
20 Pallas et Euander iam senex pater novae subolis esse non poterat. *haut ita me experti Bitias et Pandarus ingens:* istorum necis vera relatio est, hos autem ideo dixit ingentis, ne abiectos et humilis superasse videretur. ingens bis accipiendum, ut sit Bitias ingens et Pandarus ingens.
25 *et quos mille die victor sub Tartara misi:* hoc partem habet veri, partem aliam falsi; nam vere multos occidisse dictus est, non tamen mille. *inclusus muris hostilique aggere saeptus:* et vici, inquit, istos et sub Tartarum misi, hoc est Bitian, Pandarum et mille alios quos se adseruit una die
30 occidisse. interea his addidit quod egregium factum laudis

---

1 *tota* ed. 2 *exuto* V. 4 *cumulatum contra* V *dixit quod* interpos. ed. 5 *potuit* ed. 8 *euandrii* V *-dri* ed. 10 *dicit* V corr. edF. 11 *thyberim* V ed., sed plerumque *thybrim* habet V. | *maximum* V *-ma* ed. 12 *et praecipiti* V ed. *et* delevi. | *vertit cibos* pro *verticibus* V. 14 *haec* V corr. ed. 17 *enim suadebat* V *autem suadet* ed. 18 *men qui* V *mentitur quia* nos *est qui* HO ed. 24 *accipiendum* V *a. est* ed. 26 *dictum* ed.

cumulo posset augere, inclusus muris hostilique aggere saeptus: ac perfeci, inquit, haec saeptus hostili aggere et muris inimicis inclusus. potest videri ideo ista dixisse, ut ex his ostenderet quae fecisset liber in campo qui multifariam clausus expedire se potuit et victor exire. *nulla* 5 *salus bello:* verba repetit Drancis. *capiti,* inquit, *cane* 400 *talia, demens, Dardanio rebusque tuis:* praesagium quod canis tibi magis atque illius quem laudas eveniat capiti. *proinde omnia magno ne cessa turbare metu atque extollere viris gentis bis victae:* proinde, quia haec canis, ne cessa 10 turbare terroribus omnia et laudare eos qui vinci consuerunt. bis victos dixit, ut ostenderet in illis nullam esse virtutem; qui enim semel vincitur, potest proventum adversum inputare fortunae, qui vero non tantum primo congressu verum etiam secundo superatur ipsum se fatetur 15 suis partibus et commodis defuisse. *contra premere arma Latini:* extollis inbellis et deprimis bellatores, illos ire in ferrum dicis et Latinos commemoras certamina formidare, quibus acre bellorum studium est et amor sine trepidatione pugnandi. laudis loco Latinos dixit propterea, quia alio 20 loco (4, 229) positum est „belloque frementem Italiam regere". *nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tre-* 405 *miscunt, nunc et Tydides et Larissaeus Achilles amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas:* dic nunc tu qui contraria firmare contendis videre arma Latinos et tremere, 25 metu Phrygum duci Myrmidonum proceres. Phrygum deiecte pronuntiandum et extollendum Myrmidonum nomen. nunc et Tydides: et nunc Diomedes in Italia contremit

---

1 *hostileque* V. 2 *saeptus* post *aggere* om. V add. ed F. | *profecti* V *perfeci* corr. ed. 3 *inclusis* V corr. ed. 6 *drances* V *Drancae* ed. | *inquit* om. ed. | *canit alia* V. 7 *praesagium* — 8 *capiti* om. ed., *quā* (ex *qud̄* corruptum) V *quod* nos. 8 *canit tibe maḡ* V. | *plaudis* V *quem laudas* nos. 9 *prae* pro *proinde* V. | *omnia* om. V. | *me* pro *metu* V. 11 *quin uinci* V *qui non vinci* HO ed. *qui v.* nos. 13 *eventum* ed. 16 *tremere* pro *premere* V. 17 *extolles* V corr. ed. | *inferum* V *in ferrum* ed. 20 *latinos* V *Latini* ed. 24 *chadriacas* V. 25 *videre* V *fugere* ed F. 26 *proceres* — 27 *Myrmidonum* om. ed.

quos superavit in Troia. et Larissaeus Achilles: et si Achilles superesset, etiam hunc diceres timuisse. et qui haec falsis roborare contendis dic Aufidum fluvium inmensum et magnum retro posse refluere et quod in undas
5 Hadriatici maris formidet exire. ecce hic subtiliter tangit quod legati ad Diomeden missi nullum viderint et falsa professi sint. *vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit, artificis scelus et formidine crimen acerbat:* certe, ait, quale illud scelerati commentum est, timorem fingere, accusatio-
10 nes duras exercere! *numquam animam talem dextra hac (absiste moveri) amittes: habitet tecum et sit pectore in isto:* esto securus, Drance, parcam tibi, licet merearis interfici: numquam enim dextera mea inbellis occidit. sit magis tecum anima tua, habitet in tuo pectore; melius enim de
15 te supplicium dabitur votis meis, si diutius vivas et poenas iugiter livoris expendas. *nunc ad te et tua, magne pater,* 410 *consulta revertor:* ex oratione turbulenta quam pro ratione personae protulit ad mitem atque humilem repente conversus est, vel quia cum rege instituerat loqui vel cum
20 eo quem socerum esse cupiebat. plus tamen ostendit se socero deferre quam regi dicendo magne pater, alioquin diceret magne rex. in ipsa tamen tranquillitate sermonis est quaedam consiliorum Latini et dispositionum occulta vituperatio. nunc ad te, ait, magne pater, redeo et ad
25 consulta tua. patrem videtur dixisse quasi honorificentiae loco, utpote qui loquebatur ut gener, ut ostenderet, quod diximus, plus se socero deferre quam regi. sed alia loquentis intentio est: summa enim dispositionum Latini displicebat Turno; denique post appellationem patris secuta
30 propositio est qua ostendit se de illius consiliis tractaturum, ut ostenderet inprovidum patrem: ergo appellatione

---

1 *larisseviachilles* V. 5 *chadriatici* V *Adriaci* ed. 7 *professissent* V *professi fuissent* ed. 8 *artificis scelus* pro apodosi accipere Donatum patet, male eum intellexit Forbigerus ad hunc locum. 14 *habitetque* ed. 16 *livores* V. 20 *socerem* V *socerum sibi* ed. 23 *latiat et* V *Latini atque* ed. | *dispositionem oculi* V corr. ed.

magni patris inrisionem induxit obliquam, quasi si diceret qualis pater es, qui non recte consulis filiae tuae? qualis pater, cui suasum est facile ut omissa adfinitate civis nudo, peregrino, naufrago filiam tuam dare festines? *si nullam nostris ultra spem ponis in armis, si tam deserti sumus* 5 *et semel agmine verso funditus occidimus neque habet fortuna regressum:* quattuor posuit cum varietate mirifica, quae tamen Latini et ceterorum desperationem destruere potuissent. si, inquit, armis nostris spes nulla est, si omnia nos secunda deficiunt et sic concidimus, ut surgendi fa- 10 cultas ulterius non sit, et fortuna nostra sic abiit, ut remeare non possit aut nolit, *oremus pacem et dextras tendamus inertis,* oremus indignum et depositis armis tendamus vacuas manus. haec non sic prosequitur, ut fiant, sed ut ostendat consilii illius quasi inertem fuisse trac- 15 tatum. disputat quippe repetito certamine superari posse contraria. non sic, inquit, pugnatum est, ut defectio gravis videatur extitisse, nec sic concidit dimicationis eventus, ut debeat urgente desperatione succumbi. potest iterum unde abiit felix redire fortuna. orandam videlicet pacem et 20 inertis dexteras esse tendendas ironicos positum, quasi revera oranda esset pax et addicenda his generibus virtus, ut quae in hostis iugulum armatae tendi debuerant inertes 415 ad eorum genua dexterae verterentur. *quamquam o si solitae quicquam virtutis adesset! ille mihi ante alios fortu-* 25 *natusque laborum egregiusque animi qui, ne quid tale videret, procubuit moriens et humum semel ore momordit:* multi totum iungunt, et quod generaliter optavit et quod coepit signare per species: quod fieri dictionis natura non pati-

---

1 *si* om. ed. 2 *quales* V. | *consules* V. 3 *omissa* V *missa* ed. 11 *habiit* V. 13 *inertes* (infra *inertis*) V. 15 *concilii* V ed. | *inertem fuisset factatum* V *iners fuisse factum* ed. 18 *conventus* V ed. 19 *exebiatur gente* V *exhibeat urgente* ed. *exigat u.* ed. post. *debeat u.* nos. 20 *credere* V *redire* ed. 21 *inermes* ed. | *hironicos* V. 22 *addicenda* (cf. 9, 599) V *adjicienda* ed. | *his generibus* V *ignavis gentibus* ed F. 23 *et* V ed. *ut* nos propter *his generibus* et propter *verterentur.* | *inermes* ed.

tur, proinde separandum est quod ait quamquam o si solitae quicquam virtutis adesset. hoc enim optantis est, illud vero quod secutum est † hoc fuit quod optabatur. ille mihi ante alios: ille, inquit, vel maxime, cui profuit
5 quod fortiter cecidit, ne tale dedecus cerneret, qui fuerat felix, magni animi et in laboribus patiens. laudat fortunam viri fortis et non dicit nomen, omnes tamen Mezentium sentiunt, qui cum sua felicitate procubuit interfectus nec ad illa consilii ludibria reservatus est, ut sumeret praemia
10 qui non vicerat et qui vinci potuerat rogaretur. qui, ne quid tale videret, procubuit moriens sic positum est, quasi non victus cecidisset, sed voluntate sua: hoc ideo, ut victoris minueretur gloria et praevenisse talium consiliorum turpitudinem crederetur qui necessitate potius quam volun-
15 tate conciderat. *sin et opes nobis et adhuc intacta iuventus [auxilioque urbes Italae populique supersunt,] sin et Troianis* 420 *cum multo gloria venit sanguine (sunt illis sua funera parque per omnis tempestas): cur indecores in limine primo deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?* adfuit
20 partibus suis et ea quibus gravabatur extenuationis artibus relevavit inducta scilicet conparatione. nos, inquit, si priores opes perdidimus, habemus alias, primum intactam iuventutem. iuventus intacta est quae nondum interfuit bellis perindeque robore integro et ab omni certaminum
25 fatigatione discreta monstratur. sunt et auxilia multarum urbium multorumque populorum: totum falsum adserebat, ceterum si verum esset, ostenderet definienter urbium nomina et vocabula gentium vel hominum demonstraret. haec fuerunt pro partibus Turni: dicit iam alterius partis
30 incommoda gravia satis et perniciosa, ut parem ostendat utriusque partis extitisse fortunam. si constat, inquit,

---

1 *o solitae* V (in lemmate recte). 3 *hoc fuit* V ed. corruptum puto, fortasse *significat*? 8 *utiectis* V *interfectus* nos om. ed. 9 *concilii* V ed. 16 *auxilioque — supersunt* deest in V, sed explicatur. 17 *sunt* V *suntque* ed. 18 *cores* pro *cur indecores* V. 19 *occubat* V. 23 *quaedum* V *quae nondum* edF. 27 *definienter* V *expresse* ed.

etiam Troianis non sine infinitorum caede gloriam provenisse ac perdidisse infinitam iuventutem, quam illorum putamus extitisse victoriam? vincit ille qui ex congressione belli sine clade discesserit: at isti et amiserunt suos et pari certaminum tempestate subversi sunt. quae cum ita 5 sint, cur in ipsis initiis deficimus et ante sonitum tubae graviter contremiscimus? et ante solitus est utcumque relevare malorum apertorum invidiam et vera falsis obruere. nam non aequa utriusque partis calamitas fuit (nam in ipsius gravior magis) et non initium fuerat belli, quando 10 iam constabat saepe et male pugnatum, tremorem autem non repentinum fore ex tubarum clangoribus, sed usitatum et ex adversis malis anticum. interea quia potuit in mendacio convinci, addidit etiam ista consentiens subtiliter veris:
425 *multa dies variusque labor mutabilis aevi rettulit in melius,* 15 *multos alterna revisens lusit et in solido rursus fortuna locavit.* certe, inquit, si adverso eventu pugnavimus, detrimenta superioris temporis futuris possumus successibus reparare. ludit enim homines fortuna et superiores deicit aliquando et erigit aliquando deiectos. multa dies haec 20 praestat et indefessa laboris instantia, venient meliora posterius et nostra commoda proventu meliore firmabunt. respondet et illi parti qua Diomedes dictus est auxilia denegasse: *non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi.* inde, inquit, consilio et mente defecistis, quia Diomedis societas 25 vobis prodesse noluit. *at Messapus erit felixque Tolum-*
430 *nius et quos tot populi misere duces nec parva sequetur gloria delectos Latio et Laurentibus agris:* qui vere fuerant hos propriis nominibus designavit, quos falso adserebat generaliter tetigit: quosque, ait, tot pòpuli duces miserunt. 30 non, inquit, parva sequetur gloria quos habemus ex civibus lectos Latio et Laurentibus agris. laudis loco est positum, ut natura fortes intellegantur quos Italia generat, quorum

---

3 *vicit* ed. 4 *discessit* ed. 7 *sonitus* V *solitus* ed. 10 *ipsius* V (sc. parte) *ipsis vis* ed. 27 *sequitur* V. 30 *quos velut* V *velut quos* edF *quosque ait* nos, quia *velut* intellectu caret. | *miserant* V ed.

praecipui erant qui meruerant deligi. haec falsa adserebat, sed his adiunxit veritatem, ut totum videretur esse credibile: *est et Volscorum egregia de gente Camilla agmen agens equitum et florentis aere catervas.* ecce positum est nomen, 5 quia constabat Camillam venisse cum exercitu: habemus, inquit, auxilio etiam Camillam. haec utpote femina quia plena laude praeferri non potuit, adplicat et per quae posset iure meritoque laudari: Volscorum, ait, de gente est, quasi apud Volscos non tantum viri verum etiam 10 feminae fortes esse videantur; egregia de gente, in magno quippe populorum numero sunt nonnulli qui ceteros nobilitate praeveniant, agmen agens equitum, crescit laudis augmentum, meruisse enim exercitum ducere quantae est felicitatis! et florentis aere catervas, ne ignobilibus adplicata 15 videretur; nec eorum quantitas definitur, ut aestimatio incerti numeri fidem veritatis excedens ducis meritum cumularet. plena Volscorum praedicatio: multi, inquit, fuerunt instructi equis et fortes atque armis splendidi ac refulgentes. qualis illa gens fuit, quam fortis in viris, quando 20 feminae ipsorum et ire ad bellum non dubitant et praeficiuntur armatis! *quodsi me solum Teucri in certamina poscunt idque placet tantumque bonis communibus obsto, non* 435 *adeo has exosa manus victoria fugit, ut tanta quicquam pro spe temptare recusem:* consensus iste non ex voluntate Turni, 25 sed ex necessitate veniebat; nam verba eius sic prolata sunt, ut nolentem potius demonstrarent. si, inquit, solus petor qui Aeneae congrediar et hoc putatis conducere commodis vestris, ut ex unius fortuna pendeat utilitas vestra, et ego inpedio quod prodesse omnibus potest, cupiens 30 vobis pro voluntate vestra esse consultum condicionem propositam non recuso. ne autem de se diffidere videretur, ait non adeo me deseruit fortuna prosperior, ut recusem

---

1 *erant* om. ed. | *diligi* V. 3 *vulsgorum* (infra *vulsc.*) V. 5 *habemus* — 6 *Camillam* om. ed. 7 *preferre* V *praeferri* ed. post. 8 *ait* V *inquit* ed. 15 *videntur* V corr. ed. 18 *arma splendidis* V corr. ed F. 19 *ille* V corr. ed. | *fortis in viris* V *fortes viri* ed. 27 *cum Aenea* ed.

quod mihi adferre possit decus et gloriam. *ibo animis contra:* ibo magis obvius nec expectabo, dum veniat, ostendam cunctis totum posse qui plenis animis peragenda susceperit. *vel magnum praestet Achillem factaque Vulcani*
440 *manibus paria induat arma ille licet:* licet ille Achillem 5
virtute praeveniat, licet ille Vulcani donis armetur, ibo contra provocaturus segnem quam expectaturus hostis arbitrium. paria arma inquit, quia et ipse habuit aliqua quae Vulcanus effecerat. *vobis animam hanc soceroque Latino Turnus ego, haut ulli veterum virtute secundus, devovi:* 10
qualitas ista verborum miserationem potius significabat quam pugnaturi monstrabat audaciam. ego, inquit, vobis et socero devovi animam meam, licet conparatione virtutis secundus veteribus non sim. ratius se veteribus aequalem fecit, quam si cum adrogantia diceret se esse meliorem. 15
solum Aeneas vocat: verba repetit Drancis, quia supra dixit „illum aspice contra qui vocat“; respondit ipse *et vocet oro:* opto, inquit, et rogo ut Aeneas me vocet solum; utraque enim condicio pro me est. Si vicero, erit gloriae meae, sin alius certaminis exitus fuerit, sequetur memo- 20
riam meam ingens fama, quod cessantibus vobis solus certare contendi. *nec Drances potius, sive est haec ira deorum, morte luat, sive est virtus et gloria, tollat:* unum tantum non dicat Drances, quia ipsius causa aut occubui aut vici, neve ex adversis meis gaudeat aut ex prosperis 25
aliquam sibi vindicet partem, scilicet ne dicat: ego hunc in periculum misi aut inpulsu meo factum est ut certaret et vinceret.

445 *Illi haec inter se dubiis de rebus agebant certantes: castra Aeneas aciemque movebat:* reprehensio est Latinorum 30
et Aeneae maxima praedicatio. tempore enim quo dubia

---

7 *provocaturus* V *pr. potius* ed. 9 *efficerat* V *fecerat* ed. 12 *monstrabat* om. ed. 14 *sim ratius* V (*sim rectius* H) *similem nec* ed. 15 *quam si* V *quasi* ed. | *esse* V *se esse* ed. *sese*? 16 *drances* V *Drancae* ed. 17 *respondi* V corr. ed. 20 *sequitur* V corr. ed. 22 *haec est* ed. 23 *victus* pro *virtus* V. 31 *praedicatio* V *laudum pr.* ed.

tractabantur hoc est incerta, quoniam eventum in ancipiti habent, cum deberet celeriter statui quid omnibus recte conduceret, illi trahebant non tractatibus publicis, sed privatis iurgiis tempus, alii dicendo, audiendo alii; castra
5 Aeneas movebat, non parietes castrorum, sed exercitus copias, non iam passim aut confuse, sed structa acie atque ordinibus ita ac si hostis adesset ex more conpositas. *nuntius ingenti per regia tecta tumultu ecce ruit:* subitus nuntius per regia tecta ruit cum ingenti tumultu. *magnisque urbem*
10 *terroribus inplet:* moraliter nuntium descripsit primo domum regis, dehinc magnis terroribus inplesse civitatem. duplici autem ratione ad domum Latini primo pervenerat, vel quia rex ante omnis super rebus instrui debuit vel quia illic fuerant primi omnes concilii peragendi causa congesti:
15 quo facto tota urbs maiore desperationis horrore deiecta est. subnectitur quid nuntius ille vexisset. *instructos acie Tiberino a flumine Teucros Tyrrhenamque manum totis de-* 450 *scendere campis:* usque adeo verus ille nuntius fuerat, ut quam in infinito modo esset hostilis exercitus et quam in-
20 structus et ex quibus populis videretur esse collectus et qua vel quam lata terrarum descenderet parte referret et diceret. crescebat autem metus, quod iam omnis campos coepisset opplere et agminis fines non parerent. quis non crederet ad bellum venire congestos qui faciem pugnae in-
25 finito iuventutis modo et ordinum digestione monstrabant? in his quae ostendendi maioris metus causa proponuntur maiorem vim habent infinito modo vel generaliter dicta vel inchoative expressa ut hoc loco. nam descendere cum nihil ostendat iam esse conpletum, significat adhuc esse
30 quod descendat ac per hoc metum esse maiorem, cum in-

---

1 *quoniam* V *quum* ed. 4 *iurgiis* om. ed. 7 *conpositus* V corr. ed. 10 *describsit* V *-bit* ed. 11 *erroribus* (in lemmate *terroribus*) V corr. ed. 14 *consilii* ed. 15 *defecta* V *deiecta* nos *affecta* ed. 16 *vexisset* V *apportasset* ed. 19 *in infinito* V ed. ne suspectum videatur cf. 9, 356. 23 *et — parerent* om. ed. 25 *iuventutis* om. ed. 26 *ostendendi* V *ut ostendi* ed. 27 *vel* V *quam v.* edF. 28 *inchoativo* V ed.

finitum appareat et quantum adhuc supersit nesciatur. hoc et generalitas praestat, dicebatur quippe venire Teucros, venire Tyrrhenos et non saltem vel aestimatus numerus referebatur; nam si sic poneretur: descenderunt, inpleverunt, hoc solum putaretur quod oculis subiacebat. *extemplo* 5 *turbati animi concussaque vulgi pectora et arrectae stimulis haut mollibus irae:* insperatus nuntius cunctos motu vario diversoque turbavit, statim quippe confusa sunt atque concussa vulgi pectora terrorque ipse sumpsit augmentum. concussa sunt, inquit, vulgi pectora; plus est enim con- 10 cuti quam turbari. et arrectae stimulis haut mollibus irae, animorum perturbatio et concussio pectorum ira omnis accenderat. *arma manu trepidi poscunt,* videbantur arma poscere, sed hoc non sine trepidatione faciebant. *fremit arma iuventus,* fiducia iuventutis nonnulli ducebantur, ut 15 armari contenderent. *flent maesti mussantque patres:* hos enim maior reipublicae sollicitudo tangebat qui potiores in civitate fuerant et quibus fuit genus ac substantia potior. flebant isti, quoniam pro loco suo ipsi periculis proximi 455 fuerant, ipsi detrimentis. *hic undique clamor dissensu vario* 20 *magnus se tollit in auras*: dissensus varius fuit in illo coetu, quoniam diversi utpote in maxima multitudine diversis animorum aestibus movebantur, nec mutus ille aut sine fletibus patrum fuerat maeror, sed ex Latini domo clamor ac voces referebantur ad caelum. *haut secus atque alto in luco cum* 25 *forte catervae consedere avium piscosove amne Padusae dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni:* facta est conparatio avium minutarum et potiorum secundum naturam suam descriptarum. minores quippe separatim se in luci arbores congerunt atque illic strepunt; cycnos, qui sunt 30

---

4 *reperebatur* V *refereb.* nos *reperieb.* ed. 6 *arreptae* (et infra) ed. 9 *cum sit* V *sumpsit* nos *iunxit* ed. *subiunxit* ed. post. 16 *armari* V *-ti* ed. | *hoc enim maior* V *hos e. m.* nos *haec e. maiores* ed. 19 *quoniam* V *quum* ed. 20 *fuerant ipsi* V *essent atque* ed. 22 *quoniam* V *quum* ed. 23 *moverentur* ed. 25 *referebantur* V ed. *efferebantur*? 30 *arbore* ed.

potioris formae, Padusa facilius colligit propter piscem quem de eius flumine capiunt. *immo, ait, o cives, arrepto tempore Turnus, cogite concilium et pacem laudate sedentes, illi* 460 *armis in regna ruunt:* magna obiurgatio Turni verbis pau-
5 cissimis dicta, quid trepidatis? inquit, habetis tempus otiosum, sedete magis et bona pacis quietemque laudate, dum illi armis optata possideant. *nec plura locutus corripuit sese et tectis citus extulit altis:* non locutus est plurimis, quia obstabat necessitas praesens et multis loqui non debuit
10 qui in aliis multiloquium reprehendebat; quapropter cum non plura dixisset, sese proripuit et extra tecta citus exiit; mature enim hosti debuit et properanter occurri. coepit iam dare mandata et dispositionibus commodis suos potiores instruere. *tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis:*
15 aiunt maniplum dici ducentorum militum numerum sub uno rectore constitutum. iste igitur multos maniplos mandat armandos et producendos in campum. *duc, ait, et Rutulos,* scilicet ut manipli et Rutuli isto curante regerentur. *equitem Messapus in armis et cum fratre Coras latis* 465
20 *diffundite campis:* conpendiose locutus est qui festinabat adgredi certamen, ut Messapus et Coras fraterque eius per campos equitem funderent. *pars aditus urbis firment turrisque capessant:* aditus urbis portae sunt vel minores ingressus, qui muniendi fuerant omni cura, ne hostis intraret,
25 propter meliorem vero tuitionem turres quoque conscenderentur. *cetera qua iusso mecum manus inferat arma:* cetera manus, id est cetera multitudo mecum constituta, ferat arma qua iussero. *ilicet in muros tota discurritur urbe:* metu omnes exciti, quia extremum sperabatur excidium,
30 concurrebant ad muros ex omni civitate ipsam saltem defensuri, si possent. ilicet ubi fuerit positum extrema omnia significantur ut alio loco (2, 758) „ilicet ignis edax summa

---

1 *formae* V *fortunae* ed. 6 *magis* V *potius* ed. 8 *portis* V *tectis* ed. et Verg. libri hoc recepi propter interpr. 18 *manipli* V ed. *Volscorum* desidero. 19 *equites* (et infra) ed. 25 *conscenderentur* V *custodiendae* ed. 29 *sperabatur* V *timebatur* ed. 31 *ilicet* — 32 *loco* om. ed.

ad fastigia vento volvitur, exuperant flammae et furit aestus ad auras." adsumptum fertur ex veteri consuetudine, sicuti retro meminimus, ex more iudicum; nam cum actus suos explessent, hac voce per praeconem utebantur, ut dicerent ilicet hoc est ire licet, ut universi qui aderant 5 observationis sollicitudine solverentur. *concilium ipse pater* 470 *et magna incepta Latinus deserit ac tristi turbatus tempore differt:* inpediente ratione temporis quo tantae cladis nuntius venerat differt Latinus concilium desertis magnis inceptis hoc est actibus commodis, metu scilicet instantis exitii. 10 inceptum dispositionem animi significare et in primo libro (37) ex persona Iunonis exposuimus. *multaque se incusat:* subiungit ipsius incusationis multiformem causam: *qui non,* inquit, *acceperit ultro Dardanium Aenean generumque adsciverit urbi:* qui non ultro susceperit in adfinitatem 15 necessarium virum commodumque non tantum sibi verum etiam civitati. ultro ideo dixit, quia habere gratiam potuit ex voluntatis ratione quod videbat futurum esse ex necessitate. incipit fieri quod mandatis conplexus est Turnus, ut portae necessariis praesidiis firmarentur. *praefodiunt* 20 *alii portas aut saxa sudesque subvectant:* haec fuerunt munimenta portarum, ut saxis et sudibus armarentur. *bello dat* 475 *signum rauca cruentum bucina:* cum enim hoc factum fuerit, illico conseritur bellum. *tum muros varia cinxere corona matronae puerique:* inbellis aetas et sexus cinxit muros 25 corona varia. varietatem fecerat mulierum puerorumque diversitas, at hos mixtos potius quam separatos debemus accipere, ut pueri cum matribus stetisse videantur. *vocat labor ultimus omnis:* non quo aliquid efficere potuissent, oppleverant muros, sed quoniam ultimo labore hoc est peri- 30 culo suis parietibus trudebantur. *nec non ad templum*

---

4 *haec* V *hac* ed. 6 lemma *concilium* — 8 *differt* corrupit ed. 9 *consilium* V, sed in lemmate *concilium,* quod praetuli. 10 *commodis* V *commotus* ed. 13 *ubi iungit* V *nunc i.* ed. *subiungit* nos. 14 *inquit* om. ed. 21 *subvectant* V *subiciunt* ed. 22 *armarentur* V *firmarentur* ed. 30 *quoniam* V *quum* ed. 31 *truderentur* ed.

summasque ad Palladis arcis subvehitur magna matrum regina caterva dona ferens: cum haec agerentur, subvehebatur regina tendens ad templum et arcem Minervae ferens dona. subvehebatur dixit, non ambulabat, quia defecerat
5 animo, nec portabatur in totum, quia utcumque iter faciebat pedibus suis: ibat, inquit, ad templum, sed continebatur utrimque, ut pervenire potuisset. *iuxtaque comes Lavinia virgo, causa mali tanti:* legitur et causa malis 480 tantis, quia multa acciderant mala. cum ea, inquit, et
10 Lavinia pergebat, quae fuerat malis omnibus causa; si enim nuptiarum eius controversia non extitisset, tot numquam orerentur adversa. *oculos deiecta decoros:* deiecerat Lavinia oculos vel propter invidiam temporis vel propter virginalem verecundiam. potuit, inquit, habere fiduciam
15 erigendi oculos, quoniam pulchri fuerant, sed premebatur conscientia. sciebat enim se esse malorum omnium causam et quid virgini conveniret eunti per publicum noverat. *succedunt matres,* ingressae sunt matres ubi fuerat dea, *et templum ture vaporant:* quasi plurima species turis favorem
20 numinis multo maiorem in tanto periculo provocare potuisset, sic officiosis manibus altaria cumulabant, ut vapore ipso templi partes universi tepuissent. *et maestas alto fundunt de limine voces:* quicquid maeroris animo retinebant flebilibus vocibus testabantur plangentes praeterita et futura
25 metuentes, hoc magis dolore concussae, ne in Aeneae conubium Lavinia perveniret; nam idcirco cum ea ad Minervae templum matres multae congestae sunt. fundunt inquit: tale est fundunt quale est templum ture vaporant, quasi precum copia extorquere posset numini quod brevitas ne-
30 quibat inplere. adfectus hic expressus est feminarum, quae videbant studium suum in Turni successibus defecisse et putabant adiumento numinis ac turis copia et multiloquio precum fieri posse quod provenire cupiebant. *armipotens,*

---

7 *utrumque* V ed. 10 *malorum omnium* ed. 12 *urerentur* V *orerentur* nos *fuissent* ed. 15 *quum p. essent* ed. 16 *sciebant* V corr. ed. 20 *nominis* V corr. ed.

praeses belli, Tritonia virgo: tria posuerunt quibus benivolam redderent, quae tamen tempori ac personae congruerent. bellum enim gerebatur; debuit rogari quae in armis plurimum poterat et omnibus bellis praeesse consueverat. quae autem in causa virginis fuerat roganda quam virgo? 5 subiungitur summa petitionis eo dictionis genere quod personae mulierum conveniret: *frange manu telum Phrygii* 485 *praedonis et ipsum pronum sterne solo portisque effunde sub altis.* tria postulata sunt: ut frangeretur telum quod manu portabat Phrygius praedo; Phrygius et praedo deformationis 10 causa sunt posita, ceterum Aenean debuerant dicere; volunt enim ex facto Paridis omnis Troianos esse raptores et castitate violanda gravissimos inimicos; nomen Aeneae suppressum est et dicta sunt ea quae habere morsum iniuriae potuissent. et ipsum pronum sterne solo, ut confusus atque 15 superatus in faciem caderet; hoc est enim pronum cadere, ut praecipitatus in caput vultum terrae conlidat. portisque effunde sub altis, ut eo loci fundatur iaceatque exanimis unde ab omnibus feminis e muris turribusque ac portis conspici posset. 20

Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus: furens Turnus ipse, quem maior tangebat necessitas belli, quem exagitaverant Latini dicta et nimia constantia Drancis inimici, parabatur instructione bellica furore potius quam consilio provocatus. ducebatur enim spe magna vincendi, 25 ut post victoriam Laviniae nuptias obtineret et ultionem congruam in perniciem Drancis exerceret. certatim dixit instanti properatione. *iamque adeo Rutulum thoraca indutus [aenis horrebat squamis]:* armari istum generaliter dixit, vadit nunc ad species armorum et corporis membra. 30 iam, inquit, thoracem sumpserat. thoracis munimen ad-

---

5 *causam* V corr. ed. | *quam virgo* V om. asterisco addito ed. 6 *eo* V *et* ed. 9 *postulata* V *quaesita* ed. 10 *deportabationis* V *deformationis* ed F. 12 *castitatis violanda* V *c. violandae* ed. 14 *iniuriae* V *invidiae* ed. 19 *unde* V ed. *ubi*? 23 *Drancae* ed. 24 *furor* V corr. ed. 26 *latiniae* V. 27 *Drancis* om. ed. 29 *aenis — squamis* deest in V, sed explicatur. 31 *thoracam* V ed. *-cem* ed. post.

hibetur, ut virum fortem a scapulis contegat usque ad ventris ultimam partem. squama est quae currente subtilitate artis sic conponitur, ut serpentis imitetur exuvias. *surasque incluserat auro, tempora nudus adhuc:* post munimenta quippe totius corporis inducitur galea. tempora nudus genus esse locutionis similibus locis ostendimus. *laterique accinxerat ensem:* sumpsit alia quibus muniret corpus suum, ensem vero quo perimeret inimicos lateri suo apte suspendit. *fulgebatque alta decurrens aureus arce:* 490 veniens ab arce totus aureus apparebat. *exultatque animis et spe iam praecipit hostem:* sic animis exultabat, ut hostem iam se superasse confideret. mittitur conparatio, quae carmina consuevit ornare: *qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis tandem liber equus [campoque potitus aperto]:* praesepia quidem propter alimoniam grata sunt animalibus, sed diuturna retentio vinculorum illis admodum gravis est. proinde praesepia fugiuntur, cum post exclusam inediam desiderium libertatis accedit, ut pensetur luxuriando captivitas et ruptis vinculis taediorum nexus nodique solvantur. *aut ille in pastus,* hoc est in prata vel pascua, *armentaque tendit equarum:* aut ventris aut libidinis causa raptatur. *aut adsuetus aquae perfundi flumine noto:* aut certe festinat 495 ad flumen, cuius aqua lavari consuevit. *emicat:* ipse exponit quid sit emicat: *arrectisque fremit cervicibus alte luxurians luduntque iubae per colla, per armos:* hoc erat emicare, placere sibi omni parte membrorum, dum arrectis cervicibus se in altum erigit, dum per colla eius perque armos ludentes comae funduntur: hoc ad corpus, ad animum vero fremit et luxuriatur pertinet. *obvia cui Vol-*

---

2 *currente* V ed. ne suspectum videatur cf. 2, 765. 5 *tempore* (in lemmate *tempora*) V. 12 *mittitur* V *additur* ed. 14 *campoque — aperto* deest in V, sed explicatur. | *potitur* ed. 16 *retentio* V *retinentia* ed. 17 *fugiunt* ed. 20 *armentaque — equarum* post *pastus* add. ed., sed eadem verba inferius pro lemmate scribenda erant. | *prata vel* om. ed. 22 *perfundit* V. 23 *lavare* V. | *emicat* ad antecedens lemma transponi malim propter *festinat*.

scorum acie comitante Camilla occurrit portisque ab equo
500 *regina sub ipsis desiluit:* desilire celeritatis habet et fortitudinis significationem, descendere vero tarditatis. ubi Turnum vidit degentem ante portas, ut honorificam sese monstraret, mox equo desiluit. *quam tota cohors imitata relictis* 5
ad terram defluxit equis: defluxit, hoc est ex alto ad plana pervenit; deferre enim Turno universi debuerant imitati factum reginae suae. *tum talia fatur:* quae sint vel qualia videamus. *Turne, sui merito si qua est fiducia forti, audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae:* omen potest videri 10
quod Camilla in ipso portae limine excepit exeuntem ducens auxilia equitum, accedente etiam eo quod ultro ei pollicebatur operam suam. verum ne adrogantis esset, si diceret quia fortis sum, audeo prima Troianorum coeptis occurrere, posuit in medio dubitationem, ut nec Turni spem fran- 15
geret nec ipsa aliquid superlatum dixisse videretur. ait ergo Turne, coepit a nomine; loquebatur enim regina cum rege, in quo si fortunae partis inspici placeat, non erravit, si animorum, recte etiam sic nomen dixit. signum est quippe merae benivolentiae, cum orationem futuram 20
nomen antevenit. si qua esse poterit fiducia, inquit, in fortibus, audeo et spondeo me Troianis ire obviam posse. ecce signum primum audaciae, ut non diceret expectaturam se, dum venirent, sed occursuram inminentibus. Tyrrhenis ecce et occursuram sese confirmat et id solam esse fac- 25
turam; ait enim *[solaque Tyrrhenos equites ire obvia*
505 *contra]* .... *me sine prima manu temp-*

---

1 *egregia de gente* pro *acie comitante* ex v. 432 contra metrum V. 4 *degentem* V *stantem* ed. 8 *suae* om. ed. 10 *omne* V *omen* corr. ed F. 16 *superaltum* V *superlatum* nos *super alium* ed. | *duxisse* V ed. | *videret* ed. 18 *placet* ed. 21 *potuit* V *potest* ed. *poterit* nos. 22 *adeo et* V *audeo et* nos om. ed. 23 *spectaturam* V corr. ed. 24 *Tyrrhenis* V ed.: expectes *Troianis,* si cum ed. ad antecedentia revocaveris; sed quoniam post *ait enim* lemma 504 supplendum esse patet, ad sequentia potius traxi, cum lemmate autem *ecce alterum signum* excidisse puto, quod punctis signavi. 27 num hic quoque ut VII epil. *prima manu* coniungat interpr. in dubio relinquit.

tare pericula belli: permitte ut ego primas belli partis excipiam. *tu pedes ad muros subsiste et moenia serva:* vel quia pars est aliquanta victoriae in conservatione civitatis vel quia intra ipsam Lavinia et soceri fuerunt, debuit dili-
5 gentius et cautius defensari. fuit igitur magnum consilium feminae ut separaret ipsa Tyrrhenos; Troes cum Aenea atque Arcades contra, si ad muros accederent, Turnum invenirent praesentem. *Turnus ad haec oculos horrenda in virgine fixus:* horrendam dixit quae sine reverentia videri
10 non posset. cum, inquit, talis animos Turnus vidisset in virgine, stetit oculis fixis; placebat enim non tantum consilium eius verum etiam insigne constantiae. ad haec ergo quae illa dixerat sic ipse instituit loqui. *o decus Italiae virgo, quas dicere grates quasve referre parem?* ecce dictio
15 prolata in necessitate belli: uno enim versu et dimidio laudem prosecutus est virginis adserens eam ornamentum esse totius Italiae et gratias in praesenti agit atque acturum sese spondet et in generalitate brevi totum conplexus est quicquid sentire aestimatio posset aut loqui.
20 *sed nunc, est omnia quando iste animus supra:* huius versus 510 ordinatio talis est: sed nunc, quando super omnia est iste animus. *mecum partire laborem:* quia video te, inquit, animi virtute omnia superare, nolo omnem laborem, sed eius partem volo suscipias, hoc ideo quia audentem in-
25 gentia non debuit onerare quam plurimis. laus missa est pro persona et sexu: quia inconveniens fuit in femina corporis laudare virtutem, laudationem eius ad animi bona consultius revocavit, quo virorum fortium exempla transierat. incipit iam ipse dicere consilia sua et audentem
30 instruere. *Aeneas, ut fama fidem missique reportant exploratores:* ubi hanc vidit Turnus tanta animi fervere virtute,

---

4 *socer* ed. 6 *superaret* ed. | *Tros* V ed. 7 *ac si* V ed. absurde: *contra si* emendavi (potest in archet *cō* fuisse). 12 *eius* V *suum* ed. 17 *acturum* V *relaturum gratiam* ed. 18 *conplexus* V *comprehensum* ed. 19 *sentire aestimatio* V *existimari* ed. 24 *ideo* V *i. dixit* ed. 28 *transierat* (i. e. Camilla) V *transferat* ed. 29 *sua* om. ed.

coepit ei dispositionum suarum secreta committere. relatio tamen ipsa non fabulosa fuit, sed tempori necessaria: loquitur, inquit, fama fidem rerum. res nova fuit: fama loqueretur aliquando quod credi debuisset! dicit iam unde potuit fieri ut fama illa veridica probaretur: missique reportant 5 exploratores. quod dixit fama, hoc adserunt, inquit, et qui exploratum missi sunt, perindeque non creditum est temere quod fama pertulit, quia confirmabatur adseveratione multorum et eorum quorum officium est nihil nuntiare nisi quod sit plena veritate suffultum. nam inde hoc tractum 10 est exploratorum nomen, quia explorata ferunt hoc est conperta atque discussa. fidem bis debemus accipere: fidem attulit fama, fidem attulerunt exploratores. *equitum levia inprobus arma praemisit, quaterent campos:* inprobum dixit, ne inimicum suum sine laceratione transiret, vel inde in- 15 probum, quia bellum prior repetebat. levia arma, hoc est expeditos equites, praemisit ad hoc solum, ut ungulis verberent campos ostentationis causa et propter tegendam fraudem, non tamen ut certamen inciperent. proinde nullum adserebat esse terrorem, quando ille exercitus ad hoc 20 venerat, ut proludere potius quam ad certamen exercendum venisse videretur. *ipse ardua montis per deserta iugo superans adventat ad urbem:* ipse per montis deserta et ardua superans, hoc est ad ipsum cacumen ascendens, transcenso montis iugo ad urbem venire disposuit. conpleta relatione 25 dispositionum partis diversae, in qua ostendit laborem Camillae non fore oneri, suum vero, ubi ipse Aeneas esset, futurum esse maiorem, consiliorum propriorum incipit partis 515 intrare. *furta,* inquit, *paro belli:* furtum belli est cum non aperto certamine, sed dolis et fraude ad victoriam 30 tenditur. *devexo in tramite silvae ut bivias armato obsidam milite fauces:* hoc erat furtum belli, cui natura loci suf-

---

3 *fuit* V *f. ut* ed. 5 *fa illa* V. 8 *confirmatur* ed. 10 *plana* V *plena* corr. ed. 15 *transiret* V *praetermitteret* ed. 17 *ungulis* V *iaculis* ed. 18 *verberent* V ed. *verberarent*? 21 *proludere* V *ad praeludendum* ed. 23 *et* om. edF. 26 *labore* V corr. ed. 31 *devexo* V ed. *convexo* libri Verg. omnes.

fragabatur qua Aeneas cum exercitu iter fuerat habiturus. inducitur partis ipsius plena descriptio; utilitas enim consilii apparere non posset, nisi nosceretur primo positio montium formaque terrarum. sed vitiosum fuit extendi 5 narrationem eo tempore, quo celerius et dici omnia et fieri necessitas exigebat. hanc tamen quoniam oportuit exprimi propter demonstrandos Turni tractatus, in inferioribus posuit. *tu Tyrrhenum equitem conlatis excipe signis:* hanc partem Camilla ipsa poposcerat, sed ut audacior red- 10 deretur, addit ei per quos securior iret ad bellum. *tecum,* inquit, *acer Messapus erit turmaeque Latinae:* et ducem laudavit acrem dicendo et turmas Latinas adfectu laudantis expressit. *Tiburnique manus ducis et tu concipe curam:* ducis sic in medio est, ut sine pronuntiantis culpa vel 15 superioribus vel inferioribus possit aptari. quippe si dicatur Tiburnique manus ducis, recte dicitur, si ducis et tu concipe curam, non erratur. laudavit omnis, ne inertis ardenti iunxisse videretur. *sic ait et paribus Messapum in proelia* 520 *dictis hortatur sociosque duces:* magna dictio, quae nec 20 repetit dicta nec moram rebus urgentibus fecit. *et pergit in hostem:* conpletis quae fuerant tanta in necessitate mandanda perrexit ad bellum. *est curvo anfractu valles accommoda fraudi armorumque dolis, quam densis frondibus atrum urget utrimque latus, tenuis quo semita ducit an-* 525 25 *gustaeque ferunt fauces aditusque maligni. hanc super in speculis summoque in vertice montis planities ignota iacet tutique receptus, seu dextra laevaque velis occurrere pugnae sive instare iugis et grandia volvere saxa:* haec est loci lata descriptio, melius posita ex poetae quam ex Turni 30 persona, in qua nihil aliud est nisi quod pro utilitate faciat insidiantis, ut possit probari quod dixit accommoda

---

1 *habitaturus* V corr. ed. 6 *exigebatur* V corr. ed. | *quoniam* V *quum* ed. 10 *addit ei* V *addidit eis* ed. 11 *inquit* om. ed. 13 *tiburnique* V *Tyburtique* ed. 14 *in medio* V *medium* ed. 15 *posita aptari* V corr. ed. 16 *tuburnique* V. 22 *anfractum* V. | *vallis* V, sed infra *valles*. 28 *instar erigis* V. 31 *posset probari* V *pr. possit* ed.

fraudi armorumque dolis. valles est, inquit, inter duo latera usque ad radices montium pressa, curvo anfractu, hoc est flexuosa. hanc tanta densitate ligna silvestria ramis ac frondibus vestiebant, ut fidelis latebras dolis praestare posset et hostibus auferre prospectum, quorum alterum 5 proveniebat ex multitudine arborum, alterum ex occasione umbrae quae fundebatur ex frondibus. coartata vero utrimque latera angustum intra se aditum transeuntibus parabant nec sinebant ire confertos aut evagari, si vellent. ingressus faucium atque egressus satis maligni, difficiles 10 atque contrarii gradientibus. hanc super id est super hanc; in speculis: ipse exponit quid sit in speculis dicendo summoque in vertice montis. de summo quippe speculari quis potest et longius videre. ignotam planitiem dixit quae nulli esset cognita aut quae in imo constitutis suspicioni 15 esse non posset. haec oportune poterat suscipere venientis atque occasionem dare vel occurrendi hostibus dextra vel laeva vel saxa perniciosa volvendi. tutos ergo praestabant altitudo montis et constituta in summo planities. dextra, inquit, ac laeva, alteram vel utramque intellegere non 20 possumus nisi per eum qui in illa planitie forte constiterit; ipse enim cum sese converterit, laevum dextrumque commutat; sed poeta sic laevam dixit et dexteram ut hanc aut 530 illam intuens faceret. *huc iuvenis nota fertur regione viarum:* ut ostenderet loci difficultatem multis generibus in- 25 peditam adiri non posse nisi ab his qui eius aditus aut semitas nossent, dixit Turnum eo pervolasse, utpote qui iret ad cognita. fertur dixit, ut celeritatem ostenderet festinantis; velociter enim praeveniendi fuerant Aeneae tractatus, ne ex parte Turni doli ac fraudis periret occasio. 30

---

7 *umbrarum quae fundebantur* ed. 9 *parebant* V *praebebant* ed. | *sinant* V corr. ed. | *evagare si velent* V corr. ed. 10 *faucium* om. ed. 11 *idem* V *id est* corr. ed. 12 *et speculis* paulo inferius recte *in sp.* V. 16 *potest* V ed. *posset* nos propter *esset.* 17 *occurrendo* V corr. ed. 18 *praestabant* V *reddebat* ed. 20 *altera vel* V *alteram vel* nos *vel altera* ed. 26 *adire* V corr. ed.

Velocem interea superis in sedibus Opim, unam ex virginibus sociis sacraque caterva, conpellabat et has tristis Latonia voces ore dabat: Diana in caelo posita unam ex 535 virginibus quas socias habuit et Opis diceretur, conpellabat
5 hoc est adloquebatur. tristis positum est et remansisse putatur incertum utrum tristis Latonia virgo voces daret an tristis voces: dictum hoc melius adverti non potest, nisi morem poetae retinentes quem ubique servavit bis intellegamus tristis, ut qualis animo fuit talia habuisse videatur
10 et verba: proinde tristis Latonia voces tristis emittebat. *graditur bellum ad crudele Camilla, o virgo, et nostris nequicquam cingitur armis:* et personam tetigit simul et causam; nam et quae iret et quo pergeret dixit et futuri certaminis adversa monstravit, quippe ideo crudele bellum
15 adstruxit, non quo sit aliquando non crudele, sed ex quo significaretur Camillam non esse redituram, denique addidit frustra eam divinis armis instructam, utpote cui ad conservationem salutis non essent profutura. ostendit poeta omni occasione nullum deum opitulari cuiquam posse cum
20 vita hominis in ultimum cogitur finem. denique alio loco (10, 470) nec ipsum Iovem filio suo Sarpedoni profuisse testatus est. hic ergo, quoniam poterat Opis dicere nihil est in hac causa metuendum, quoniam Camilla armis tuis defenditur, praevenit dicens it ad bellum non evasura neque
25 ei proderit quod armis nostris accincta est. signa dedit moriturae, non tamen nominavit quod non valebat avertere. nostris, inquit, armis, sagittis scilicet quibus cum Diana sociae virgines utebantur. *cara mihi ante alias:* subtilis et honesta conparatio. voluit enim alias multum sibi caras
30 esse, sed Camillam plus quam ceteras cariorem, nec dixit carior aut carissima et tamen ipsam omnibus praetulit.

---

2 *conpellebat* V. 4 *et* V *quae* ed. sed cf. 5, 328. | *dicebatur* ed. sed cf. 820. | *compellavit* ed. 5 *alloquuta est* ed. 6 *utrum tristis* V *an tristes* ed. 7 *potuit* ed. 9 *anima* V ed. 10 *voces tristes* V ed. 15 *quo* V *quod* ed. 22 *quum poterat* ed. 24 *non evasura* V temere mut. ed. 30 *et Camillam* V corr. edF. | *plus quam ceteras cariorem* V *ceteris multo c.* ed.

neque enim novus iste Dianae venit amor subitaque animum dulcedine movit: haec fuit praecipui amoris gratia, quod ceteris antiquior videbatur; parit enim maiorem vetustas adfectum et benivolentiae meritum temporis diuturna continuatione conduplicat. si haec sola fuisset amoris causa, 5 satis abundaret ad incutiendum dolorem, congerit alias, ut probari posset unde illa cara ante alias haberetur. *pulsus ob invidiam regno virisque superbas:* et caput incipit fabulae et ipsum primo virginis patrem, in quo reprehendi potuit, magna laude prosequitur purgatque eius 10 personam; esse enim crimen posset, si causa non diceretur exclusi. male quippe mereri de civibus et, quod est deterius, universis notabile satis est. quomodo igitur iste defenditur? pulsus est, inquit, regno; non pellitur quispiam nisi interveniente violentia, violentiam non nisi eius iniu- 15 stitia generat qui meruit excludi: denique addidit ob invidiam, ut ostenderet nullum expulsionis suae praebuisse materiem, sed illam vim superbia potius civium et studio 540 aemulationis exortam. *Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe:* ecce alia defensio innocentiae, ut cessisse 20 potius malis et plurimis quam ob aliquod crimen iuste videretur eiectus. *infantem fugiens media inter proelia belli sustulit exilio comitem:* magnam patris et multis modis adstruit pietatem. quid enim, dum fugeret violentos, effecit? non aurum aut opes attendit, non saltem vitae subsidia 25 requisivit, eripuit filiam bello perditi regni solacium in ipsius salute constituens. infantem avexit magnum onus adgressus non corporis, sed aetatis; portabat enim talem quae adhuc fari non posset et cui deesset nutricis auxilium. media inter proelia belli: sic et alio loco ait (6, 110) 30 „illum ego per flammas et mille sequentia tela eripui his umeris medioque ex hoste recepi". duo praecipui exempli eripuisse et portavisse: magnum alterum fuit, in quo portatus est senex debilis et ingentis formae et ideo toleran-

---

7 *caro* V *cara* nos *charior* ed. 17 *nullum* V ed. *nullam eum?* 25 *adtendit* V *curavit* ed. 34 *formae* V *corporis* ed.

dus, quia pater; in altero, hoc est in praesenti, infans et sine adminiculo nutricis, ut dictum est, quae non esset ferenda in fuga et quae requiescendi gratia stratis, quae non fuerant, reponi non posset, in qua tamen conpensatio
5 teneretur perditae potestatis et familiaris rei, gratum in adversis paternis pondus, quod eo gravius, quia satis minimum fuit; quantae enim sollicitudinis ingruebat cura portare eam quae per aetatem periculis esset innumeris proxima! *matrisque vocavit nomine Casmiliae mutata parte*
10 *Camillam:* matris huic addidit nomen aliqua inde subtracta particula, ut Camilla potius quam Casmilia diceretur, habiturus in exilio comitem filiam et in appellatione infantis dulcissimae nomen uxoris. *ipse sinu prae se portans iuga longa petebat solorum nemorum:* diligentius hanc prae se 545
15 portabat pater, quam si adessent nutrices, quibus mos est infantes tergo gestare. petebat autem solitudines nemorum, ne in manus persequentium veniret cum filia sua. *tela undique saeva premebant et circumfuso volitabant milite Volsci:* hoc est circumfuso quod est undique; tela saeva
20 quae necem insontibus ferrent, nec tamen ipsa fuerant saeva, sed homines qui ea portabant. omnis autem fugientem presserat desperatio multis undique armatis persequentibus. *ecce fugae medio summis Amasenus abundans spumabat ripis: tantus se nubibus imber ruperat:* ubi ecce
25 ponitur est aliquid mali, ut plurimis locis exposuimus; nam hoc loco deceptionem dicit occurrisse torrentis. antequam, inquit, tuta fugiendo retineret, ad Amasenum fluvium venit, quem sic repleverant aquae, ut summas eius ripas operuissent, non quo ita perpetuus flueret, sed quia
30 ipso tempore sic pluvias casus attulerat, ut congestum agmen undarum oportunum transitum pernegaret. *ille*

---

1 *in praesenti* V *in* om. ed. 2 *ameniculo* V. 4 *non fuerant* V *deerant* ed. 9 *casmiliae* (et infra *casmilia*) V *Casmillae* ed. et Verg. libri. | *mutate* V *mutilata* ed. 12 *comitem item* V *item* cum edF omisi ut dittogr. | *filiam et* V *et* om. ed. 15 *quam si* V *quasi* ed. 19 *vulsci* V. 25 *mali* V *novi* ed. 29 *non quod* ed.

550 *innare parans infantis amore tardatur caroque oneri timet:* cum contra armatorum civium violentiam solum natandi subsidium superesset, obstabat carissimi oneris cura: quomodo enim filiam prae se ferret, cum in eam corporis partem incumbendum esset qua potuit ferri? a dorso vero 5 quomodo, quae etiam modico haustu necari potuisset aut inpulsu praecipitis undae paternis visceribus rapi? *omnia secum versanti:* generalitas ista intellectum latissimum tenet; tantum enim pater advertitur pro filiae salute tractasse quantum unusquisque potuerit coniectando colligere. ad- 10 didit secum; in locis enim solis id est desertis quem habere consiliarium posset? aut quis in tali causa patre cautior valuit reperiri? *subito vix haec sententia sedit:* ideo vix, quia occurrebant tractanti contraria, ideo vix, ut quod faciendum tractando reppererat id non temeritas, sed ne- 15 cessitas ingruens attulisse videretur. cum dicit vix haec sententia sedit, ostendit etiam ipsam, cum displiceret, temporis urgente desperatione placuisse, non quo esset tuta aut certi eventus, sed quia alia superesse nequiverat. melius quippe fuerat incertis filiam credere quam retinendo in- 20 festis hostibus reservare; in incerto enim provenire etiam prosperum potest, in aperto vero discrimine ac desperatione plenissima nihil praeter adversum. *telum inmane manu valida, quod forte gerebat bellator:* oportunitas duplex ac praesentibus consiliis congruens; nam et telum magni robo- 25 ris fuit et portator ipse fortissimus. non enim tractari maxima species posset, nisi ei congrueret virtus plena gestantis. obtulerat autem fortuna aestuanti subsidium quo inventum potuisset inpleri; neque enim illud telum ipsius temporis fuit aut praesentis necessitatis causa ferebatur, 30 sed studio bellatoris iugiter atque ex more servato. *solidum nodis et robore cocto:* ipsius hastae materies firma naturalibus nodis et ad fortitudinem artis quoque ingenio

---

1 *innatare* contra metrum V. 11 *solis id est* om. ed. 12 *quis* V *qui* ed. 13 *ideo vix* priore loco del. ed. post. 14 *ut quod* V *quia u. qu.* ed. 18 *non quod* ed. 20 *infestis* bis scripsit V.

roborata. consilii textum et inventionem Metabi non ante factum poeta rettulit, sed dum fit, quod admirabiliter fecit, ne, dum refert inventum et consilii ipsius facta persequitur, unam rem iterum diceret, quod est satis superque vitio-
5 sum. *huic natam,* huic hoc est telo forti ac solido filiam suam, quam voto patris et casus sui ratione liberare cupiebat, *libro et silvestri subere clausam implicat atque habilem* 555 *mediae circumligat hastae:* circumspectum patrem cauta pietas fecerat, nam ex arboris cortice librum fecit, quo
10 infantem clauderet; teneris enim membris necessarium adminiculum fuit quo contineri possent et ad ulteriorem ripam integra pervenire. mediae autem hastae idcirco inplicatam nexuit, ne in unam partem gravior optatum spatium transire non posset. habilem dixit bene conpositam et prudenter
15 aptatam. *quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:* quod fuit piissimi patris et quod in potestate habuit fecit, eventum vero, quem in manu non habuit, credidit de caelo poscendum tendens in altum dexteram qua portabat infantem. recte dixit ad caelum, quod deorum omnium
20 templum est et rogatur qui in tempore fuerit necessarius. *alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo, ipse pater famulam voveo:* dolentis et perturbati dictio et eius quem hostilis iam premebat exercitus non potuit esse prolixi sermonis, dicebat tamen concinnam laudem eius quam roga-
25 bat praeferens eam suis meritis et maternis: suis hoc modo, quod virginitatis honore polleret, quod procul esset a luxuriosis voluptatibus et delegerit silvas, in quibus labor esset et asperitas dura, commemoratione vero materni nominis auxit laudem, ut alio loco Priamiden posuit vel Anchisi-
30 aden et alia. quae nata es, inquit, ex Latona: quia laudantis vox est et laudis partis in sola appellatione nominis posuit, nos possumus sentire quae potuerunt apertius dici;

2 *quo infantem,* sed punctis superpositis deletum post *fecit* habet V. 3 *inventum* V *-tam* edI *-ta* edF. 4 *unam* V edI *eandem* edF. 5 *ac* V *et* ed. 9 *arborum* ed. 27 *labor* om. ed. 28 *et* om. ed. 29 *vixit* V *hausit* H *auxit* O ed. | *vel Anchisiaden* om. ed.

nam et regalis fuit et magna et geminis partis felicior mater, utpote quae Apollinem Dianamque peperisset, praecipuos scilicet deos et exercitatos in iaculis et sagittis. in pronominibus videamus quantum sit pondus: tibi, ait, quae ex Latona nasci meruisti, tibi, sorori Apollinis, tibi quae 5 maiestate numinis fulta es, tibi dignae cui servire debeat filia mea, tibi quae potes servare periclitantem. videamus quid significet hanc: hoc est quam in periculis positus non reliqui hostibus meis, quam solam habeo, quae est solacium calamitatum et exilii mei, quam fiducia tui committo 10 incertis, ut evidentissimam fugiat mortem. ipse pater famulam voveo, qui donandi et vovendi habeo potestatem. sic, inquit, tibi hanc voveo, ut desinat mea esse filia et efficiatur famula tua. aequius enim patri videbatur ut viveret essetque in obsequio deae quam cum ipsa libertate acerbo 15 periret interitu. quod autem dixit voveo, non de futuro locutus est, sed de praesenti atque perfecto; in promissione quippe post eventum prosperum posset mutare sententiam, post translatum vero dominium nihil cogitare quod admitteret fraudem. *tua prima per auras tela tenens,* hoc est 20 hastam: cum hasta eam teneret innexam, sic locutus est, quasi ipsa hastam suis manibus regeret. *supplex hostem fugit:* quae te verbis meis rogat et tibi est supplex non quem-
560 quam persequitur, sed infestos cupit evadere. *accipe, testor, diva, tuam:* teste te tibi transcribitur iudicio meo, accipe non 25 promissam, sed traditione perfecta iam tuam. *quae nunc dubiis committitur auris:* non temeritatis est quod aeris incerto committitur, sed fiduciae numinis tui, serva iam tuam, serva tuo numini potentiaeque commissam. *dixit et adducto contentum hastile lacerto inmittit;* tanto enim for- 30

---

1 *geminis partus* V *gemino partu* ed. 4 *qui ex* V corr. ed. 6 *dignae* om. ed. 8 *positos* V *positam* ed. 10 *fiduciam* V corr. ed. 13 *et* — 14 *tua* om. ed. 15 *ipse* V corr. ed. 16 *inritu* V corr. ed. 17 *atque* V *et* ed. 19 *possit* V *post* corr. ed. | *dominum* V *dominium* O *donum* ed. 20 *aures* V. | *tenens hostem* V *h.* del. ed. *hoc est hastam* nos. 28 *nominis* et *nomini* V ed. | *potentiam quae* V corr. ed. 30 *contentum* (et infra) V *contortum* ed. et Verg. libri fere omnes, sed *contentum* interpretatione firmatur.

tius aliquid iacitur quanto manus retrorsum fuerit ducta. denique subnexuit *sonuere undae,* ut aqua quoque ipsa mittentis vim fortitudinemque sensisset. contentum accipiendum est oculorum et animi sollicita destinatione lib-
5 ratum. *rapidum super amnem infelix fugit in iaculo stridente Camilla:* infelicem recte posuit non ideo, quia fugit et evasit hostis, sed quia illa aetate tot pericula sustinere commeruit. primo omnium infelix ideo, quod in ipso suae nativitatis exordio in sedibus patriis, amissa etiam matre,
10 morari non potuit, quod adhuc infans exercitum civium habuit inimicum, quod cum eius ingenti periculo patriam perdidit pater, opes quoque et regnandi potentiam, vel quod sine adminiculo nutricis avecta est in solitudines et longinqua terrarum, quod occurrente inundatione torrentis
15 ad ipsam mortem plena desperatione perducta est, dehinc quod in ipso iactu diversis potuisset periculis premi; nam et cadere in undas cum iaculo potuit et, si transisset, terrae conlidi. certe quam discriminosum fuit hastae iactu liberari, quae auspicio humanae necis facta est, non salutis! omnis
20 haec desperatio eo tendit, ut Metabi et Camillae appareat meritum et Dianae potentia, infelicem autem summatim vult esse Vergilius qui inde evadit unde potuit mori. *at Metabus magna propius iam urgente caterva dat sese fluvio:* 565
cum subiaceret oculis Metabi periculum evidentissimum
25 fluminis et aliud urgeret a tergo, adgrediendum alterum fuit, ut alterum vitaretur. verum quia ex altera parte manifesta pernicies inminebat, in alteram vero non deerat spes optata transeundi, dedit se fluvio, scilicet consentiens aquae, vel maxime quia ulterior ripa iam retinebat in-
30 fantem. dat sese fluvio non solum illud significat, quod in fluvium sese coniecit, verum etiam qua arte fluminis

---

1 *quanto* V *qu. magis* ed. 2 *aquam* V corr. ed. 9 *amissam etiam matrem* HO ed. 10 *orare* V ed. *morari* nos. 13 *evecta* ed. 16 *potuit* V *potuisset* nos *potuerit* ed. 18 *discriminosum* V *periculosum* ed. 22 *qui* V *quod* ed. | *inde potuit* V corr. ed. 29 *ulteriori* V *ulterior ripa* nos *ulterior pars* ed.

impetum natando transiit. dedit se fluvio consentiens aquae, ut dictum est, ut paulatim in oblicum tendens amnem turbidum persecaret; si enim contra agminis impetum niteretur, et laboraret plurimum et maiorem vim superare non posset. arte ergo et subtilitate conpletum est. *atque hastam cum virgine victor gramineo donum Triviae de caespite vellit:* cum hastam missam poeta supra describeret, non dixit quali eventu pervenit; quia enim noverat dispositionem suam, praetermisit hanc partem, ut in evulsione eius et praesens factum et praeteritum demonstraret. hastam, inquit, cum virgine, ut hoc quoque palam fieret quod ita uti hastae fuerat conligata pervenit. virginem dictam voto patris et spe accipiendum est, non aetatis puellae dictante ratione. victor gramineo de caespite vellit. victor dictus est, non quod aliquos in certamine deiecisset, sed quod evadendo cum filia civis superasset infestos. de caespite vellit gramineo: caespes omnis ex congregatione plurimarum herbarum et adgestione commixta pulveris solidatur, plus tamen, si fiat ex gramine, quod est natura durissimum. eo igitur favore numinis delata est hasta ubi fortius fixa consisteret, ne laxatis terrae morsibus lapsa casu ipso perniciem inferret infanti; quam vero fortiter inliserit caespiti uno verbo monstratum est quod est vellit; nam non vellitur nisi quod habet aliquam difficultatem et extorquetur magis quam educitur loco. donum Triviae de caespite vellit: melius dictum est donum Triviae, quam si dixisset filiam suam vellit; consecrata enim in alienaturam transierat, vel maxime traditione perfecta. *non illum tectis ullae, non*

---

1 *transierit* ed F. | *consciens* V *consentiens* ed. 3 *agminis* V cf. 548 *amnis* ed. 4 *laborare* V ed. | *maiore* V corr. ed. 8 *quia enim* V *sed quia* ed.: ad rem cf. 10, 435. 9 *pratermisit* V *praetermisit* nos *pater misit* ed. 16 *de* om. ed. 19 *ego* V *eo* ed. 21 *lelaxatis* deinde *relaxatis* tum per abrasionem *elaxatis* V *e laxatis* ed. *laxatis* nos. | *casu* om. ed. | *ipsi* ed. 22 *infantem* V corr. ed. | *inlaeserit* V corr. ed. 25 *educitur* V *evellitur* ed. | *domum* (et infra) V. 27 *in alie natura* V *in alienaturam* nos *in alterius potestatem et naturam* ed. 28 *non ullae* ed.

moenibus urbes accepere: noluit ire ad aliquam civitatem nec uti privatorum tectis aut moenibus publicis propter causam fugae et filiam nutriendam, vel quia pudebat eum solum videri post regnum servientem sordibus et cunis
5 infantis. *neque ipse manus feritate dedisset pastorum:* † nec consensisset feritate pastorum vitam ducere, hoc est vivere pastorum more, qui ferarum ritu in solitudine ac silvis transigunt vitam. sequitur *et solis exegit montibus aevum:* et omnem vitam suam in solitudine montium ac desertione
10 transegit; talem enim vitam pastores ducunt, quos imitatus est Metabus. potest et sic intellegi solis montibus, ut nullo tempore vitae suae reliquerit montis propter praedictas causas, pudoris scilicet et timoris. *hic natam:* duo propo- 570 suit, locum et personam, respondit loco, ut ostendat quid
15 sit hic vel quem laborem pertulisset ille in montibus nutriens filiam vagientem: *in dumis* inquit: ecce non tantum deerant stramina quae iacenti subdi potuissent verum etiam dumi supererant qui nocerent; *interque horrentia lustra:* cum sint lustra in quibus ferae cubitant merito metuenda,
20 adiecit horrentia, ut illa ostenderet ferarum fuisse maiorum, quibus acrior natura est et deterior rabies; nec minus etiam illud expressit, quid sit solis montibus, utpote qui essent sine homine bestiarum inmanium causa. venit iam ad personae rationem, ut demonstraret quemadmodum in tam
25 dura vastitate regionum puella nutrita esset: *armentalis,* inquit, *equae mammis et lacte ferino nutribat,* alebat filiam non humano lacte, quia deerat, sed ferino. duplex ratio est cur equam dicere voluit feram: una quia in illis locis cum feris degebat indomita, altera quia equinum genus

---

2 *nec ut* V *nec uti* nos *aut in* ed. 3 *vel* V *hospitari vel* ed. 5 *nec consensisset* — 6 *ducere* — *vivere* etc. V ed.: haec ex lemmate elici non posse et iis quae ad sequens lemma Don. scripsit contraria esse patet; fortasse post *consensisset* distinguendum et „accipi" subaudiendum ex *accepere,* dehinc *ducens* et *vivens* scribendum est, sed crucem apponere malui. 7 *ritu* V *more* ed. | *in* om. ed. 10 *talem* — *ducunt* om. HO ed. | *quos* V *quod* ed. 16 *inquit* om. ed. 21 *et deterior rabies* om. ed. 23 *causa* V *casa* ed. 28 *voluerit* ed. 29 *indomitis* ed.

veteres ferum dicebant, quia nondum humanis usibus serviebat. sed hoc loco ferinum lac debemus accipere eius scilicet animalis quod esset asperum et locis regionibusque respondens. *teneris inmulgens ubera labris:* hoc vult poeta monstrare, quod etiam in hac parte Metabo tanta alendae 5 filiae difficultas occurrerat, ut, nisi ipse per se labris puellae uber equae servata moderatione mulsisset, alimonia ad eam pervenire non posset. hoc ideo pater sollicitus faciebat, quia quod fuit et grande et asperum tenera adhuc infantis labra sustinere non poterant nec fauces admittere copiam 10 quam praebebat. armentale animal ideo posuit, ne in totum videretur agreste ac se mulgeri non sineret. expressit obsessum multis periculis et casibus fatum, nunc ad eam acceditur partem, ut palam fiat posse naturam consuetudine commutari; nam cum esset femina et amplitudine generis 15 potens, eam locorum qualitas et usus vivendi sic solidatam reddidit, ut omne quod fuerat nata respueret. *utque pedum primis infans vestigia plantis institerat, iaculo palmas armavit acuto:* mox ut potuit stare pedibus suis, instruit eam pater portare quod iaceret; neque enim fuit in illis 20 locis femina quae incipienti lanam monstraret aut telam. docuit eam pater quod praebebat locus, non quod sexus 575 exigebat et persona discentis. *spiculaque ex umero parvae suspendit et arcum:* ut portaret manibus ferrum missile et umeris arcum et pharetram sustineret. *pro crinali auro,* 25 *pro longae tegmine pallae tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent:* ad eorum vicem quibus aptari feminae consuerunt venantum iuvenum sumebat ornatum; nam pro auro quod addi capitibus virginum solet proque pallio tigridis pellis per dorsum fundebatur a vertice. *tela manu* 30 *iam tum tenera puerilia torsit et fundam tereti circum caput egit habena:* tantum proficiebat in eo quo produce-

---

7 *ubereque* V *uber equae* nos *uberaque* ed. *ubera* ed. post. 8 *potuisset* ed. 9 *fuit ei* V ed. *f. et* ed. post. 10 *potuerant* ed. 12 *ac si* V *ac se* edF. 16 *solidam* ed. 17 *quod fuerat nata* (cf. 8, 129) V temere mut. ed. 18 *armavit* V *oneravit* ed. 27 *aptare* V *se a.* ed. 29 *palleo* V *palla* ed. 32 *quo* V *quod* ed.

batur studio, ut iam tela iaceret manu et lapides ageret funda. *Strymoniamque gruem aut album deiecit olorem:* 580 noverat iam in illa aetate destinata percutere, denique ictibus suis aut gruem deiecit aut cycnum. pulchre ac 5 proprie posuit deiecit; aves enim in volatu percussae non capiuntur, sed cadunt. capi enim dicuntur cum visco aut retibus tenentur aut laqueis. *multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres optavere nurum:* iam felici rumore percrebuerat, ut multas illam matres nurum frustra constaret 10 optasse. cum non dicit quorum quantorumve oppidorum nec ipsarum definit numerum matrum, plus vult intellegi, quoniam generalitas latitudinem intellectus semper et ubique conplectitur. dicendo autem frustra cito ostendit nullam nuptias eius inpetrare potuisse. matres hoc loco non ut 15 alibi mulieres propter designationem sexus debemus accipere, sed veras matres; nulla enim nurum quaerit aut postulat nisi quae sit mater adolescentis. *sola contenta Diana aeternum telorum et virginitatis amorem intemerata colit:* pulchre amasse eam dicit, sed non illam partem amoris esse sec- 20 tatam quae eam ab armorum studio ad usum domesticum vel lanarum pensa revocaret aut quae virginitatis honores auferret. me, inquit Diana, praetulit cunctis, me contenta perpetuitatem intemerati pudoris deligere maluit et non telas amare, sed tela. *vellem haut correpta fuisset militia* 585 25 *tali conata lacessere Teucros:* non sic Dianae Camilla displicet, quod transducta sit amore bellandi, sed quod ausa sit bello provocare Troianos tale procul dubio crimen admittens quod nec ipsa posset Diana defendere aut proprio sublevare praesidio. quod potuit lacessere, hoc fuit in 30 offensione gravissimum; venire quippe ad bellum, cum desit causa bellandi, culpae est maximae et provocare felices extremae dementiae. Teucrorum nomen cum ingenti posuit laude; nam illis et virtus cum felicitate supererat et fato

---

8 *iam* V ed. *tam?* | *percrebuerat* V *ita p.* ed. 14 *inpetrasse potuisse* V corr. ed. 22 *contenta* om. cum falsa antecedentium distinctione ed. *propter me* ed. post. 33 *et fato* V *et iis f.* ed.

ac diis volentibus regnum Italiae debebatur et Laviniae matrimonium. totum noverat Diana per potentiam numinis et sciebat sacrilegium esse, si quis contra Teucros arma sumeret aut belli certamen intraret. quod vero ait conata, ostendit in audendo difficultatem et ausus eiusmodi non se- 5 cuturos effectus; conatus enim secundum Sallustianum etiam morem coepta significat, non tamen inpleta. *cara mihi comitumque foret nunc una mearum:* si hoc, inquit, non fecisset, posset adhuc mihi cara et comes esse cum ceteris. haec dicendo ostendit mox esse perituram, sed quod fuerat 10 luctuosum amantis animo nominare non potuit. *verum age, quandoquidem fatis urgetur iniquis, [labere, nympha, polo finisque invise Latinos, tristis ubi infausto committitur* 590 *omine pugna; haec cape et ultricem pharetra deprome sagittam: hac quicumque sacrum violarit vulnere corpus, Tros* 15 *Italusque, mihi pariter det sanguine poenas]:* quia potuit dici cur non subvenis periclitanti aut eam non subtrahis bello? ad hoc respondentis partibus functa extremis, inquit, fatis urgetur, nullo potest auxilio sublevari, quia necesse est fieri quod fatorum ratione debetur. ecce nec 20 tunc saltem felix Camilla; nam perit in adultis annis quae tot pericula et innumeros casus, cum adhuc vagiret, evasit. verum age: coeperat dicere verum age et ituram dictis hortari, sed ubi hoc dixit, interposuit causam mittendi et tunc rediit ad ea quae mandabat. nos iungamus quod poeta 25 necessaria ratione separavit et ordinemus sensum: verum age, labere, nympha, polo finisque invise Latinos, tristis ubi infausto committitur omine pugna; haec cape et ultricem pharetra deprome sagittam, quandoquidem fatis urgetur iniquis: hac quicumque sacrum violarit vulnere corpus, 30

---

1 *debeatur* V corr. ed. 2 *nutriminis* V *numinis* ed. 5 *huiusmodi* ed. 6 *conatus* etc. cf. 9, 398. 12 *iniquis* item inferius V *acerbis* ed. et optimi Verg. libri. | *labere* — 16 *poenas* deest in V supplevi eadem ductus ratione qua 1, 25. 21 *in adultis annis* V *in armis* ed. 23 *ituram* V *iterum* ed. 26 *verum age* om. ed. 28 *homine* V. 29 *quandoquidem* — 30 *iniquis* om. ed.

Tros Italusque, mihi pariter det sanguine poenas. persequamur nunc singula, ut dictorum vim reseremus. verum age, labere, invise iubentis est, age tamen etiam hortantis; miscere enim debuit auctoritatem et benivolentiam, ut in-
5 pleretur facilius quod volebat. labere, nympha, polo finisque invise Latinos, tristis ubi infausto committitur omine pugna: et relicto interim caelo labere ad eas Italiae partis in quibus infelix geritur bellum et Camillam perditurum est. haec cape: haec tecum, inquit, porta. verum quia
10 incertum fuit quae tradita viderentur (totum enim generalitas obscuraverat), subiecit ea quibus ostenderet data: et ultricem pharetra deprome sagittam. magna brevitas et conpendiosa dictio, in qua pars dicitur traditorum et tamen intellegitur totum. cum dicit enim deprome sagittam et
15 non nominat pharetram, ostendit evidentius quae dedisset. arcus quoque non est facta commemoratio, sed tamen intellegitur datus. namque dixit hac quicumque sacrum violarit vulnere corpus, Tros Italusque, mihi pariter det sanguine poenas. potest videri et arcum dedisse quo sa-
20 gitta posset excludi. quicumque non ad hominem pertinet, sed ad gentem; denique sequitur Tros Italusque mihi pariter det sanguine poenas. sacrum, inquit, violarit vulnere corpus et de morte tacuit, ne omen quamvis periturae facere videretur. ideoque violarit posuit quasi leviter laeserit nec
25 dixit quicumque eam occiderit. *post ego nube cava miserandae corpus et arma inspoliata feram tumulo patriaeque reponam:* solacia sunt ista fati extremi, quae cum fiunt, vivorum potius officia probant nihil sentientibus mortuis. quid enim consequeretur Camilla, si percussor eius interiret?
30 quid sentiret, si arma non perderet? quid haberet commodi, si funus occisae ferretur ad patriam? sed haec idcirco commemoravit, ne in totum ei quam dolebat defuisse videretur. *dixit,* hoc est conplevit Diana quae voluit. *at* 595

---

1 *italusve* V ed., sed infra bis *italusque* V. 3 *invise* V *nympha* ed. 4 *auctoritatem benivolentiam* V *cum auctoritate b.* ed. *et* interposui. 8 *et Camillam perditurum* V temere mut. ed. 19 *potest* — 22 *poenas* om. ed. 32 *quam* V *propter q.* ed.

illa levis: levem dixit remota segnitia properantem ad ea inplenda quae Diana mandaverat. *caeli demissa per auras insonuit nigro circumdata turbine corpus:* quicquid de summo fuerit emissum necesse est, ut det sonitum, et ventum sibi ex aere conciliet, sed huic Dianae auxilio magis videtur 5 esse procuratum, ut facilius perveniret ad terras et devenientem cerneret nullus.

At manus interea muris Troiana propinquat Tyrrhenique duces equitumque exercitus omnis, compositi numero 600 *in turmas: fremit aequore toto insultans sonipes et pressis* 10 *pugnat habenis huc obversus et huc; tum late ferreus hastis horret ager campique armis sublimibus ardent.* reliquum est hoc superioris descriptionis, quam inperfectam dimisit, ut Camillae fabulam diceret, qua subtracta si prima pars atque ista iungatur, non erit divisa narratio; supra (447) 15 enim dixit „nuntius ingenti per regia tecta tumultu ecce ruit magnisque urbem terroribus inplet, instructos acie Tiberino a flumine Teucros Tyrrhenamque manum totis descendere campis", hic dicit at manus interea muris Troiana propinquat Tyrrhenique duces equitumque exercitus omnis, 20 ut appareat integrari posse narrationem, si Camillae fabula subtrahatur. veniebant igitur sic muris propinquantes, ut cessante officio nuntii videri possent in aequalitate camporum, usque adeo manifesti, ut qui essent et quemadmodum instructi accederent singulorum non negaretur ob- 25 tutibus. *nec non Messapus contra celeresque Latini et* 605 *cum fratre Coras et virginis ala Camillae adversi campo apparent hastasque reductis protendunt longe dextris et spicula vibrant adventusque virum fremitusque ardescit equorum:* quam pulchra, quam diversis ornatibus singu- 30 lorum exercituum facta descriptio! ibat Troianorum

---

1 *levis levem* V *leves leves* ed.: at Don. *levis* de nympha, non de auris accipit. 8 *etrurique* V, at interpr. *tyrrhenique* habet, quod recepi quamquam nullo Verg. libro firmatum, *Hetruscique* ed. 17 *terroribus* V *clamoribus* ed. 24 *quiescent* V *qui essent* nos *quiescerent* ed. 25 *obtutibus* V *aspectibus* ed. 29 *adventusque* — 30 *equorum* om. ed.

manus et ceterorum equitum digesta per turmas, fremebant equi et pressis habenis frenorum inpatientes resistebant mutantes terga huc et illuc, omnis autem ager armis ardebat hastis in sublime porrectis. at in altera parte 5 videbantur illi quos cum Camilla dimiserat Turnus, Messapus scilicet et Latini ceterique quorum superius meminit, omnes ibant cum inpigra celeritate, ut hostem ad patriam venire non sinerent, hastas gestantes dexteris retrorsum adductis spiculaque vibrantes. magna subtilitas dicentis 10 et eloquentiae copiosa substantia, ut in descriptionibus partium nihil diceret simile. ibant praedicti duces venientibus obvii et contra muros positis. quid agerent in campo facillime videbatur; sic enim pergebant paratis hastis et dexteris, ut hostem petere viderentur, ibant 15 vibrantes spicula ita crebro motu, ut ea iam crederentur esse missuri. adventusque virum fremitusque ardescit equorum: adventus non ad patriam, sed inter se; sequitur enim *iamque intra iactum teli progressus uterque substiterat:* progressus iam uterque exercitus fuerat et idcirco 20 crescebat fremitus equorum et animis ferebantur, quia qui sunt ex usu bellorum sciunt quando sibi certandum sit, sciunt quando arripi possit initium belli. ubi ergo tantum inter utrumque exercitum remansit spatii, ut tela utrimque missa pervenire in alteros possent, *subito erumpunt* 25 *clamore furentisque exhortantur equos:* hortamenta vocis 610 idcirco adhibentur, ut excitentur etiam inviti. isti hortabantur equos iam furentis et olim in belli certamen cupientis exire. talis est et vox quae mittitur antequam certamen intretur, ut hortamento sit singulis, et plurimum 30 in ausus validos inpellit armatum. *fundunt simul undique tela crebra nivis ritu:* ecce quantum potest ante certamen

---

12 *positi* V ad sequentia inepte traxit ed. *positis* emendavi. | *ageret* V *agerent* ed. 13 *videbantur* V *-batur* ed. | *sic enim* om. ed. 14 *hostes* ed. 15 *eam iam* V *ea iam* ed. *iam iam*? 18 *substeterat* V. 27 *quos* V *equos* nos *qui* ed. | *furentes* V *f. erant* ed. | *olim* om. ed. 29 *intretur* V *initietur* ed. 30 *impellat* ed. | *armatos* ed. post.

clamor, non enim in cassum emittitur, inde quippe nascuntur incrementa virtutis et necessitas plena pugnandi, inde timidis pavor accedit, inde fortibus vires augentur. non ergo missa sunt tela, sed fusa ut nives, nec ab uno aut ex una parte, sed simul ab omnibus. veniebant autem 5 nivium more, praebebat hanc speciem candor ferri et telorum diffusa congeries. *continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus conixi incurrunt hastis:* hoc dictum est more bellantum; nam primo aliqui audaciores erumpunt, quos ceteram pubem sequi conveniat. Tyrrhenus igitur et 10 Aconteus cum singulis ex diversis partibus eruperant hastis tanto impetu atque ictu, ut ruinae more cecidissent. denique ait *primique ruinam dant sonitu ingenti perfracta-* 615 *que quadripedantum pectora pectoribus rumpunt:* expressum est eorum factum qui sibi fuerant obvii. equi, inquit, 15 ipsorum conlisis inter se pectoribus magnum emiserant sonitum; quo facto *excussus* est *Aconteus fulminis in morem aut tormento ponderis acti,* cum pectus pectori fuisset inlisum. cum Aconteus excussus dicitur, similitudo fulminis data est aut certe ponderis alicuius quod tru- 20 ditur adiumento violentiaque tormenti. *praecipitat longe et vitam dispergit in auras:* inplevit partis excussi dicendo longe iactatus est, in tantum ut habuisset spatium morae quo in aere concluderet vitam et ante moreretur quam ruina corporis sui premeret terram; Tyrrhenum inpulsu 25 ruinae descriptae intellegendum est. *extemplo turbatae acies:* ecce post duorum congressum, ut diximus, omnes cum ingenti perturbatione motae sunt acies. *versique Latini reiciunt parmas et equos ad moenia vertunt:* Latini maiorem metum apud se esse fugiendo testati sunt; nam 30 et reiecerant parmas et equos converterant, ut murorum 620 sibi firmitate consulerent. *Troes agunt:* agi dicuntur

---

9 *primi* ed. 14 *rumpunt* V *excussus — acti* add. ed., sed hoc infra pro lemmate scribit V. 18 *ut turmento* V. 21 *argumento* V *augmento* ed. (*amento*?) *adiumento* nos. 23 *factatus* V *iactatus* nos *fractus* ed. | *ut* V *ne* ed. 25 *tyrrhenum* V *perisse* add. ed., sed facile subauditur. 26 *turbati* V.

pecudum greges, cum de loco traducuntur ad locum. quantum igitur in Latinis militiae dedecus fuit, ut non tantum fugere verum agi more mutorum animalium et inpelli viderentur! *princeps turmas inducit Asilas:* primus
5 Asilas induxit turmas in medios; quis enim metueret fugientis? *iamque propinquabant portis, rursumque Latini clamorem tollunt et mollia colla reflectunt:* ubi iam Latini proximi esse coeperant portis, resumpta audacia et proprio intellecto dedecore repente ad pugnam cum clamore con-
10 versi sunt. *hi fugiunt,* hoc est Troiani, *penitusque datis referuntur habenis:* debuerant enim celerius remeare in campum, ne locorum condicione aut aliquibus insidiis caperentur, vel maxime recursu insperato decepti. *qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus nunc ruit ad terram* 625
15 *scopulosque superiacit unda spumeus extremamque sinu perfundit harenam, nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens saxa fugit litusque vado labente relinquit:* propriis et signatis verbis expressa conparatio, qua ostenderetur alternus impetus, spatium et alterna successio;
20 nam revera sic ex alto inpellitur mare, ut properantes fluctus in ultimas harenas usque tendantur atque inde explicatis lapsibus eodem unde venerant referantur linquentes saxa quae fuerant supergressi. *bis Tusci Rutulos egere ad moenia versos, bis reiecti armis respectant terga* 630
25 *tegentes:* quotiens id factum sit dixit: Tusci, inquit, bis Rutulos egerunt ad moenia, bis reiecti sunt, ita tamen cauti, ne insequens hostis aversos opprimeret aut feriret, qua causa respectabant hoc est retrorsum attendebant et scutis terga propria tuebantur. par fugientium numero
30 putatur esse condicio; bis enim fugati sunt Rutuli, bis Tusci, sed in eo Rutulorum turpius factum deprehenditur,

---

1 *traduntur* V *traducuntur* (cf. 734) nos *trahuntur* ed. 3 *fuere* V *fugere* nos *ferri* ed. 5 *Asilas* in interpr. om. ed. 6 *rursumque* V *rursusque* ed. et Verg. libri. 13 *recursum sperato* V corr. ed. 14 *terras* ed. 15 *superiacet unda* V. 19 *secessio* V corr. ed. 24 *respecta* V. 25 *quotiens* V *quod* ed. | *dixit* om. ed. 31 *rutulorum* V ed. *Tuscorum* expectes: lapsus Donati videtur esse ut 9, 450.

quia scutis terga contexerant, ne aversi caederentur. *tertia sed postquam congressi in proelia totas inplicuere inter se acies legitque virum vir:* tertio certamine ad verum et potiorem conflictum ventum est; nam et confusae sunt partes et unusquisque vir virum sibi cum quo 5 certaret facta prius exploratione deligebat. qualis putamus electos nisi eos qui possent facile superari? nullus enim deligit a quo possit occidi. *tum vero,* id est quando ad tertiam congressionem accessum est et ad id ventum, ut singuli cum singulis congrederentur, *et gemitus morientum* 10 *et sanguine in alto armaque corporaque et permixti caede* 635 *virorum semianimes volvuntur equi, pugna aspera surgit:* quando non dictum est qui magis in plurimis caesi sint, intellegendum est cladem illam partium fuisse, non partis. *Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire, hastam* 15 *intorsit equo ferrumque sub aure reliquit:* coepit specialiter in aliquibus ostendi quid sit legitque virum vir; nam Orsilochus Remulum cum vellet occidere, ne temere fortiorem peteret, dolo efficere contendit quod inplere virtute non poterat. hasta igitur caput equi sub aure percussit 20 tanto impetu, ut ferrum perseverasset in vulnere. *quo sonipes ictu furit arduus:* ne remaneret obscurum quod dixit arduus, addidit *altaque iactat vulneris inpatiens arrecto pectore crura.* cum inimicum telum et dolorem ferre non posset, percussus sonipes erigebat in sublime 25 suum pectus et crura posterioribus tantum pedibus nitens. 640 *volvitur ille excussus humi:* usque ad hanc partem descriptus est, ut ostenderetur provolutus ad terram, nex autem eius consecuta intellegitur potius quam videtur. volvitur ille excussus humi: non terrae excussus volvitur, 30 sed in terram venit, cum dorso equi fuisset excussus. *Catillus Iollam ingentemque animis, ingentem corpore et armis deicit Herminium:* deicit et ad Iollam pertinet et

3 *adversum et* V *ad verum ac* ed. 8 *diligit* V corr. ed. 19 *virtute* om. ed. 20 *potuit* ed. 25 *potest* V *posset* corr. ed. 28 *nex* V *vox* ed. 29 *videretur* ed. 32 *cathilus* V. | *Iolam* ed. 33 *dicit et ad* V corr. ed.

ad Herminium, quos Catillus occidit. Herminium laudat, quem adseruit ingentem fuisse animo, armis et corpore. haec laus in honorem victoris posita est, qui talem valuit superare. indicia subnectit virtutis eius et animi, *nudo,* 5 inquit, *cui vertice fulva caesaries:* haec fuit probatio nudi capitis, quia capilli eius parebant, in tantum ut eorum color quoque flavus cerneretur; *nudisque umeris [nec vulnera terrent]:* incedebat etiam nudis umeris nullum gerens vulnerum metum. *tantus in arma patet:* quantum 10 audax et nudus ex ea corporis parte qua facilius potuit peti tantum ad excipiendam mortem oportunus et patens. *latos huic hasta per armos acta tremit:* latitudinis non 645 in cassum facta commemoratio est; facilius enim praebebit vulneribus locum qui amplissimi corporis spatium dederit. 15 fuit igitur occasio occidendi talem qui per temeritatem nudus ibat ad bellum et ad excipiendum vitae interitum adferebat lati corporis molem. *funditur ater ubique cruor, dant funera ferro certantes pulchramque petunt per vulnera mortem:* necessario poeta confugit ad generalitatem, ne et 20 sibi prolixitatis moram et legentibus taedium quaereret; quando enim tam ingentis pugnae et tantorum populorum caedes speciali descriptione percurreret? quo in genere dictionis nihil amplius potest sentiri quam legitur. generalitas vero, quia nullis terminis clauditur, infinitam habet 25 aestimationem tantaque potest esse quantum eam valuerit extendere qui tractarit. conclusio ergo ista melior fuit quae narrationi veluti quendam faceret finem et initium alteri daret; multum quippe adiuvat legentis animum dissimilitudo quaesita per transitus et in ipsa continuatione 30 referentis procurata varietas. utraque tamen aliquid

---

4 *subnectitur* V corr. ed. | *animini* V. 6 *parebant* V *pat-* ed. 7 *nudique umeri* ed. et Verg. libri. | *nec* — 8 *terrent* deest in V, sed explicatur. 11 *excipiendam* V (cf. v. 645 et 649) *expedi-* ed. 13 *praebit* V *praebet* ed. *praebebit* nos propter *dederit.* 14 *quia* V *qui* corr. ed. 20 *quaereret* V *pareret* ed. 25 *quantam voluerit ostendere* ed F. 29 *transitum* ed.

simile referenti necessaria est, sed neutra debet separata esse ab altera; specialitas quippe habet descriptionum moram, generalitas vero adfert celerem relationibus finem et, dum nihil tangit, nihil videtur omittere. videamus tamen quid sit poeta in ipsa generalitate conplexus. funditur, inquit, ater ubique cruor: ostendit in latitudine diffusi utriusque exercitus una simul animorum praesumptione pugnari. dant funera ferro certantes; necesse enim fuerat interire quam plurimos ubi solum fuerat ferrum. pulchramque petunt per vulnera mortem: pulchra mors est eius qui in acie cadit et, dum comminus concertat, occumbit; est enim turpis mors eius qui fugiens perit. adpetebant ergo omnes sine trepidatione discrimen et ex contrario eventu insignem exitum vitae.

At medias inter caedes exultat Amazon unum exerta latus pugnae, pharetrata Camilla: quanta istam laude poeta prosequitur, ut inter virorum caedes et funera inaestimabilis numeri sola exultaret, quasi ludicris et non veris dimicationibus interesset! quod autem exerto brachio et nudo latere fuisse descripta est, et signum audaciae fuit et praedicta est causa qua posset occidi. more enim suo Vergilius, sicuti saepe iam dictum est, nihil superfluum ponit in descriptionibus suis; denique infra (803) dicturus est illic eam percussam ubi nudum corpus praebebat ad excipiendum interitum vitae. pharetratam dixit interea, ut genus armorum ostenderet quibus illa pugnare consuesset. per pharetram intellegendum est illam et 650 sagittas habuisse. *et nunc laeta manu spargens hastilia densat, nunc validam dextra rapit indefessa bipennem:* hoc fuit exultare, ut uteretur telis quibus vellet et quando vellet nec tamen frangeretur labore aliquo, mittendo hastilia aut securi feriendo. *aureus ex umeris erat arcus*

---

3 *vero* V *autem* ed. 6 *ostenditur* ed. 9 *fuerat ferrum* V ed. *furebat f.?* 14 *vitae* V *vitare* ed. 16 *istam* V *ista in* edF. 23 *distributionibus* V ed. correxi cf. locum simillimum 8, 106. 24 *dicturus* V *dictum* ed. 28 *laeta* V *lenta* Verg. libri. 32 *ex humeris* (plerumque *umeris*) *erat* V *ex h.*

et arma Dianae: hic conplevit quod superius dixit „pharetrata Camilla". ecce et arcum aureum eam dixit habuisse et Dianae arma, quae fuerunt in specie sagittarum. *illa etiam in tergum si quando pulsa recessit, spicula converso*
5 *fugientia dirigit arcu:* illa in tantum arcu fidebat et spiculis, ut etiam tum debuisset timeri cum fugeret. nam converso arcu retrorsum non frustra iactabat spicula. Amazon dicta est non nata, sed facta, in hoc magis laudabilis, quia quod aliae nascendo valuerunt haec potuit
10 inplere meditando. ergo laudis adfectu Amazon dicta est, ut imitando talis esset quales sunt Amazones quas adiuvat studium gentis et origo praeclara nascendi. *at circum* 655 *lectae comites:* fuerunt cum ea lectae comites; non ideo lectas dixit, ut apud Dianam reprobae remansisse vide-
15 rentur, sed quod omnis lectas habuisset. *Larinaque virgo Tullaque et aeratam quatiens Tarpeia securim:* quod de una dixit virgo ad omnis pertinet; omnes enim virgines fuerant Dianae, quippe obsequebantur ministerio eiusdem deae. *Italides:* nec inmerito Italides, utpote quae essent
20 ex Italia; sic hoc loco laudare Vergilius Italiam voluit, quasi nulla terra meliores proferre possit aut talis. *quas ipsa decus sibi dia Camilla delegit pacisque bonas bellique ministras:* tantum Camilla ad Dianae animum pertinebat, ut apud socias suas pro dea haberetur. denique, cum
25 iret ad bellum, has sibi esse comites voluit, quod essent ornamento in pace et ministrae in certaminibus belli. potest et sic intellegi ut bello et paci ornamento esse viderentur, ut sic in utroque obsequerentur, ut utrumque ornarent, et hoc esse arbitror melius. ipsa est enim pura
30 societas et vera religio, ut nullum tempus dissimiles faciat quos foedera suscepta coniunxerint. pulchrum est enim servare societatem et eius commodum custodire. nullam istarum dicit belli gessisse certamen, sed adseruit ministerio

---

sonat ed. et Verg. libri. 6 *tum* om. ed. 16 *terpeia* V. 18 *quippe* V *quae* ed. 19 *ibi merito tales* V corr. edF. 22 *diligit* V. 23 *pertinebat* V *accedebat* ed.

fuisse bellanti, ne exponeretur Camilla de sociis, si inpares essent in causa certaminum, aut ipsa quae laudabatur esset inferior, si exercitatione illae praestarent; tamen ipsarum praesentia non vacua fuit, quoniam, ut dictum est, ministerio iuvabant operaque bellantem. *quales* 5
660 *Threiciae cum flumina Thermodoontis pulsant et pictis bellantur Amazones armis, seu circum Hippolyten seu cum se Martia curru Penthesilea refert magnoque ululante tumultu feminea exultant lunatis agmina peltis:* tales, inquit, apparebant Italiae virgines quales sunt Amazones 10 verae, cum aliquos pulsant bello aut ipsae pulsantur aut cum se post victoriam refert Penthesilea curru vecta et ululatibus laetis superiorem se plena gratulatione testatur.
665 *quem telo primum, quem postremum, aspera virgo, deicis? aut quot humi morientia corpora fundis?* confecta con- 15 paratione redit ad Camillam admirans in ea feriendi celeritatem et fusorum inaestimabilem numerum; nam discerni non poterat quem primo loco, quem postremo mactasset; tanta quippe pugnandi ars et celeritas fuit, ut neque ordo neque numerus occisorum dici posset aut 20 colligi. aut quot humi morientia corpora fundis? morientia dixit, non mortua, ut ostenderet tantam fuisse celeritatem caedis, ut innumeri essent fusi nec tamen adhuc aliquis animam reddidisset. *Eunaeum Clytio primum patre, cuius apertum adversi longa transverberat abiete pectus:* cum ipse 25 laudantis studio dixisset discerni non posse quem telo primum, quem postremum Camilla dimicans deiecisset quantaque morientium corpora reliquisset, ne ipse sibi hoc genere videretur indixisse silentium aut in generalitate Camillae glorias minuisse, tangit specialiter de fortioribus 30 aliquos, ut ex ipsis appareat quomodo ceteri fuerint fusi. primo, inquit, Eunaeum stravit e Clytio patre progenitum, cuius apertum adversi longa transverberat abiete pectus.

---

4 *quoniam* V *quum* ed. 9 *exultat* ed. 10 *Italae* ed. 16 *redit* V *aut* ed. *ait* ed. post. 17 *effusorum* V *et fusorum* nos *et effus.* ed.

huius, inquit, pectus, cum adversus veniret, longa hasta transverberavit. ecce laus prima bellantis, praeventus est hostis antequam potior fieret, praeventus est non insidiis, sed velocitate certantis; neque enim videre venientem 5 plagam non potuit qui veniebat adversus. transverberationis intellectus ille est, ut non ictum levem ut cautus, sed ut inprudens ac nescius totum receperit pectore. ferientis hic laus est, quae sic direxerit hastam, ut praevidendo caveri non posset. *sanguinis ille vomens rivos cadit:* ex ingenti 10 enim pectoris plaga totus semel sanguis effusus est. *atque cruentam mandit humum moriensque suo se in vulnere versat:* cadentes enim repentino ictu mordent quod fortassis occurrerit; iste igitur mordens terram et crebris hoc morsibus faciens vertebat se et in suo se cruore volvebat. 15 hoc dicendo ostendit eum tam graviter percussum, ut illic caderet ubi confossus est. quod vero adsidue volvebatur in vulnus et terram mandebat, quam rigaverat cruor, apparebat eum aliquem adhuc sensum doloris habuisse. *tum Lirim Pagasumque super:* Eunaeo addidit Lirim et 670 20 Pagasum. *quorum alter, habenas suffuso revolutus equo dum colligit, alter, dum subit et dextram labanti tendit inermem, praecipites pariterque ruunt.* cum Liris lapsu equi deceptus habenas colligere niteretur, omisit tuitionem corporis sui, Pagasus, cum lapso auxilium ferret et inermem 25 dexteram lapso porrigens, discrimen inminens uterque vitare non potuit, sic factum est ut pariter necarentur. *his addit Amastrum Hippotaden sequiturque incumbens eminus hasta:* Amastrum quoque Hippotadis filium stravit hasta percussum addiditque his qui supra dicti sunt strati.

---

1 *venerit* V *-iret* nos *-isset* ed. 2 *praeventus est* V *est* om. ed. 5 *non potuit* V *non* om. ed. | *qui* V *quia* ed. | *transverberationis* V *vim* add. perperam distinguens ed. 6 *aut cautus* V corr. ed. | *sed ut* V *ut* om. ed. 7 *hic* V *haec* ed. 10 *semel* V *simul* ed. 11 *se in suo* V. 12 *quod* V *quidquid* ed. 19 *cunio* V *Eunaeo* nos om. ed. 20 *suffosso* ed. 21 *collegit* V. | *et dextram* V *ac d.* ed. et plerique Verg. libri. 23 *amisit* ed. 24 *etermem* V corr. ed. 28 *hippotadis* V errore Donati pro Hippotae. 29 *strati* V *str. esse* ed.

675 *Tereaque Harpalycumque et Demophoonta Chrominque:* etiam ad hos pertinet quod dictum est addit, hoc ostendit que repetita coniunctio. *quotque emissa manu contorsit spicula virgo tot Phrygii cecidere viri:* more suo plurimos generalitate collegit cum laude pugnantis; nam quanta 5 tela coniecit tot Phrygios stravit. haec fuit subtilitas dimicantis, ut nullus ictus isset in vacuum. tot Phrygii cecidere viri, aut vere Phrygii aut pro Phrygibus pugnantes. *procul Ornutus armis ignotis et equo venator Iapyge fertur:* quomodo ignotis armis incipit dicere: *cui* 10 680 *pellis latos umeros erepta iuvenco pugnatori operit, caput ingens oris hiatus et malae texere lupi cum dentibus albis agrestisque manus armat sparus, ipse catervis vertitur in mediis et toto vertice supra est.* agrestem Ornutum dicit bello interfuisse armatum pro qualitate personae, denique 15 pro lorica corium bubulum habuit quo dorsum eius umerique tegebantur, caput autem eius ad galeae vicem operuerat caput lupi cum dentibus suis, dimicantis vero manus sparus armabat nulla artificis subtilitate conpositus. sparum dicunt regionis more fustem nodosum, quo rustici 20 utuntur cum eunt ad bellum. ipse bellator interea tali equo vectus discurrebat inter catervas, ut non equo ferri videretur, sed vento, et, cum esset in multitudinis medio, solus altior apparebat. *hunc illa exceptum (neque enim* 685 *labor agmine verso) traicit:* hunc, id est talibus armis in- 25 structum et tanti equi velocitate confisum; illa, hoc est quae nosset usum belli meliore peritia, exceptum eum fugientem cum ceteris percussit. quomodo dixit exceptum? excipi quippe dicuntur qui contra veniunt ut in venabula ferae: nisi hoc intellegi voluit exceptum, separatum elec- 30

1 *chronimque* V. 3 *que* post *ostendit* om. ed. | *que* pro *quotque* V. 7 *isset in vacuum* V *esset inanis* ed. 9 *ornutus* V *Ornytus* Verg. libri. 10 „quomodo ignotis armis et equo venator Iapyge fertur" post lemma inepte interpos. ed. desunt haec in VHOU. 19 *manum* ed. 23 *vento* V ed. sic Don. *Iapyge* explicat! 24 *neque* V *nec* ed. 27 *meliore* V *-ri* (ut solet) ed. 29 *excipe* V *excipi* H *excipere* ed. | *ut* om. ed. 30 *voluerit* ed.

tione animi et ad poenam destinatum ex omnibus, quoniam nova specie incedebat et solus altior fuit: erat autem facile talem sternere qui averso agmine terga praebuerat. ferro traicit inquit, hoc est sic nescium per-
5 cussit, ut omne ferrum per corpus eius eundo transisset. *et super haec inimico pectore fatur:* aperit causam poeta ostendens cur eum Camilla in tanta multitudine fugientum specialiter persecuta sit; temerarius enim bello sese miscuerat et eius inertiam armorum qualitas demonstrabat, de-
10 buit igitur belli sentire virtutem qui arbitratus est non emersurum quemquam a quo posset occidi. ergo animi sui commotionem Camilla et iracundiam pectoris his vocibus fudit: *silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?* nesciens Camilla quod Ornutus diceretur gentis eum nomine arguit,
15 in quo grave voluit esse convicium. denique sic exorsa est: apparet, inquit, tuae, Tyrrhene, gentis vanitas; ratum quippe te constat non contra homines ire, sed feras et non in campum aut bellum, sed in silvas venandi voluptate contendere. *advenit qui vestra dies muliebribus armis*
20 *verba redargueret:* advenit dies, qui armis muliebribus vestra redargueret verba. talis vos vel nunc esse cognosce quos mulieres superent, mulieres occidant. *nomen tamen haut leve patrum manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae:* ipsa per iracundiam factum suum depressit dicendo magnum
25 esse dedecus armis muliebribus viros occumbere. ipsa iterum cum veneris, inquit, ad. parentum tuorum manis, comitabitur te magni nominis fama erisque dissimilis ceteris, quod Camillae dextera diceris occisus. haec non se expugnant, sed duo admirabiliter tenuit; ait enim habes
30 maximum crimen, quod femina tibi intulit mortem, laudem vero meliorem, quod Camilla. *protinus Orsilochum et* 690 *Buten, duo maxima Teucrum corpora:* laudantur isti, ut

1 *quum n. sp. incederet* ed. 3 *sternere qui* V *discernere quia* ed. 8 *sit* V *est* ed. 14 *cum* V *eum* corr. ed F. 16 *tyrrhenae* V om. ed. 22 *mulieres superent* om. ed. 25 *mulieribus* V corr. ed. 27 *magna* ed. 28 *dexterae* V corr. ed. | *dicaris* V ed. 29 *expugnat* V *expurgat* ed F.

Camillae meritum crescat quae talis occidit. dicitur iam quomodo occiderint singuli. *sed Buten aversum cuspide figit loricam galeamque inter, qua colla sedentis lucent et laevo dependet parma lacerto:* iste eques fuit, hoc indicat quia dixit sedentis. loricam habuit, galeam et parmam; 5 cum his omnibus munitus adiri non posset, sequentis Camillae vivacitas partem qua hominem penetraret invenit; nam cum laeva umeri parte parma tegeretur, inter loricae finis et galeae caro quae feriri posset apparuit atque ita fixus est cuspide. superfluum fuit mortuum 10 dicere, cum designatione ictus et loci intellegi valeat quid sit consecutum. *Orsilochum fugiens magnumque agitata* 695 *per orbem eludit gyro interior sequiturque sequentem:* fugiens, inquit, fraude potius quam timore neque ut periculum declinaret, sed ut deciperet inprudentem; nam qui 15 vere fugit recto et longo contendit itinere, ista vero in orbem fugiebat interioribus gyris: haec fuit fraus quae illam fecit sequentem sequi. *tum validam perque arma viro perque ossa securim altior exurgens oranti et multa precanti congeminat, vulnus calido rigat ora cerebro:* ecce 20 quantum profuit dolus: quae fuit prima, cum gyris interioribus fugeret, tantum potior facta est, ut non eminus neque hasta, sed securi potuerit ferire circumventum, ita instanter oppressum, ut non uno, sed secundo quoque ictu, cum in cassum multa conferret in precem, monstretur 25 esse percussus. quo autem corporis loco ictus exceperit inde apparet: oppressus quippe cum sese scuto contegeret, illa exurgens altior et scutum ipsum et caput rogantis uno securis ictu atque alio repetito perfregit. *incidit huic* 700 *subitoque aspectu territus haesit Appenninicolae bellator* 30 *filius Auni:* incidit, hoc est in manus eius inprudens invenit Auni filius, incolae montis Appennini, ipse tamen bellator. *haut Ligurum extremus, dum fallere fata sine-*

---

3 *fugit* pro *figit* V. 24 *non uno sed* om. ed. 26 *percussus* V *conversus* ed. 31 *invenit* V *devenit* ed. 32 *Auni* om. ed. | *ipsa* V corr. ed. | *tamen* V *tantum* ed.

bant: iste inter suos non de inferioribus fuit et fraude certabat, quamdiu ei vitam fata largita sunt et Camilla non vidit. *isque ubi se nullo iam cursu evadere pugnae posse neque instantem reginam avertere cernit, consilio ver-*
5 *sare dolos ingressus et astu incipit haec:* quando sic se 705 advertit oppressum, ut resistendi fiducia non esset nec spes ulla fugiendi suppeteret, vertit se ad solitum morem, ut declinaret dolo quod alia ratione non poterat. his igitur instituit loqui: *quid tam egregium, si femina forti*
10 *fidis equo?* praefers te, inquit, et superbia vani tumoris attolleris, quia equus te fortissimus portat, sed non tua, sed ipsius virtute praesumis; quando enim potest ulla esse virtus in femina? *dimitte fugam et te comminus aequo mecum crede solo pugnaeque accinge pedestri:* qua-
15 propter, si aliquam tui fiduciam geris, petamus campum et aequa condicione certemus. sit iustum inter pares pugnae certamen atque appareat virtus propria magis quam aliunde quaesita. *iam nosces ventosa ferat cui gloria laudem:* experiundo cognosces quis debeat iure
20 meritoque laudari et quis per inanem iactantiam velit esse quod non est. ventosa gloria est quae in verbis est, non in re et est ut ventus qui transit per aera nec apud aliquem aut aliquo in loco consistit. *dixit, at illa furens acrique accensa dolore tradit equum comiti paribusque* 710
25 *resistit in armis:* mox ut illa audacia verba consumpsit, Camillae dolor simul et furor excitus est, commota igitur tradidit equum comiti suae et ut fuit armata sic stetit. *ense pedes nudo puraque interrita parma:* quam cito et stetisse eam dixit pedibus suis et nudum gladium habuisse,
30 paratum scilicet ad feriendum! pura parma, hoc est expedita et sine pondere; stetit autem nullo condicionis pro-

---

1 *iste* V *ille* ed. 4 *consilia* V. 5 *et astu* om. V. 10 *praefers te* V *te* om. ed. | *vanitatum oris* V corr. ed. 11 *sed non* V *et n.* ed. 13 *et te* V *et* om. ed. corr. ed. post. 23 *alico* V. 26 *simul* om. ed. 28 *quam cito* V *quia c.* ed. 30 *puraque* post *paratum* inepte interpos. ed F. 31 *proposita et* V *propositae* nos *impedita aut* ed.

positae turbata terrore. *at iuvenis vicisse dolo ratus avolat ipse (haut mora) conversisque fugax aufertur habenis:* iuvenem dixit non laudantis studio, sed vituperantis; nam femina cum interrita constitisset propositis condicionibus adquiescens, mox iuvenis gnarus quod superari posset 5 aufugit pro victoria retinens quia subsidio fugae declinaverat mortem, conversis ab ea habenis cuius praesentiam cupiebat evadere. *quadrupedemque citum ferrata calce fatigat:* parum fuit fugisse ac fiduciam habuisse quadrupedis, cum iret velociter, urgebat quoque quamvis celerem calce fer- 10 rata. faciebat hoc mortis metu, quam se putaverat eva- 715 sisse. *vane Ligus frustraque animis elate superbis, nequicquam patrias temptasti lubricus artis nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno:* solent, inquit, Ligures esse fallaces; sed tu non tantum fallax sed et vanus in- 15 ventus es. non tibi proderit inflata loquacitas et elatum stolidis tumoribus pectus, evadendi tibi non erit spatium, frustra te pater ista perdocuit, tenebo quamvis lubricum, tenebo mobilem, tenebo fallacem, totum quod nosti Camilla frustrabitur nec te umquam patri remittet incolumem, 20 ostendisti artem, sed quae adversus Camillam obtinere non possit. *haec fatur virgo:* ut supra cum vituperatione posuit „at iuvenis vicisse dolo ratus“, sic hoc loco cum laude ait haec fatur virgo; nam conparat quid iuvenis, quid fecerit virgo. *et pernicibus ignea plantis transit equum* 25 720 *cursu frenisque adversa prehensis congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit:* ille, ut fugeret, equi cursu confisus est, haec, ut sequeretur fugientem, usa est pedibus suis; fuit enim igneis plantis, hoc est ultra hominum morem et femineum sexum satis aptis ad cursum. ecce 30 quod equi auxilio iuvenis inplere non potuit superavit virgo pedibus suis et ipsum quoque equum velocitate

3 *vituperationis* ed. 8 *quadrupedemque,* alibi *quadrip.* V. 12 *Ligur* ed. 17 *solitis* ed. 19 *fallacem* V *te f.* ed. 20 *remittiet* V. 21 *eam illam* V ed. *eam* del. ed. post. *Camillam* nos ut in epilogo septimi. 27 *a sanguine* ed. 28 *fugientem* om. edF. 31 *inplere* V *esse* ed.

transiit plus faciens quam si aversum stravisset ad terram. denique quasi rediens in faciem fugientis inpacta est ibique retentis frenis, ne rursum aliam verteretur in fugam congressione ex aperto perfecta poenas sumpsit. ex eo para-
5 bola subnectitur, ut egregium factum imagine proposita conparationis ornetur. *quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto consequitur pinnis sublimem in nube columbam conprensamque tenet pedibusque eviscerat uncis:* Camillae laudem plenissime in libro septimo (803 sqq.) prosecutus
10 est, sed hanc omni occasione laudationis accumulat. sic, inquit, illa secuta est ac fugientem stravit, quomodo accipiter columbam inter nubes positam conprehendit et unguibus laniat. magna autem virtus est sequi fugientem; quippe qui sequitur de interstitio venit et qui fugiendo
15 praecedit ac sequentem metuit addit fugae maiorem necessitatem, ut possit evadere. proinde laudandus est qui sequi potuerit fugientem, plus Camilla, quae transiit equum cursu et de inimico poenas exegit. *tum cruor et vulsae labuntur ab aethere plumae:* hoc ad ornatum descriptionis
20 pertinet, ceterum Camillae facto satis remotum est. sacrum dixit alitem aut sacris propter augurium necessarium aut execrabilem avibus ac satis metuendum, sicuti et (3, 57) „auri sacra fames“ dicta est, quia ipsius causa omnibus oportuna perpetrandis sceleribus via est.

25 *At non haec nullis hominum sator atque deorum observans oculis summo sedet altus Olympo:* interea Iuppiter, ad quem cura hominum deorumque pertinet, non nullis oculis quae gererentur attendens *Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva suscitat et stimulis haut mollibus in-*
30 *citat iras:* suscitat pulchre posuit quasi cum suis otiose dormientem aliis duro Marte pugnantibus. suscitabatur ergo 725

---

1 *adversum* ed. | *in terram* ed. 10 *hanc* V *hic* ed. 11 *ac* om. V add. ed. 14 *stravit* punctis superpositis *quippe qui* suppositis V utrumque recepit ed., sed *stravit* absurdum est. 18 *exigit* V corr. ed. 21 *aut sacris* V *a. sacrum* ed. 27 *non illis* V corr. ed. 28 *gerentur* V corr. ed. | *Tarchontem* ed. 29 *aut* pro *haut* (et infra) V.

stimulis acrioribus ad bellum, ut illis fieri solet qui alto somno pressi facilius evigilare non possunt. *ergo inter* 730 *caedes cedentiaque agmina Tarchon fertur equo [variisque instigat vocibus alas]:* cum cecidissent alii, ceteri vero instantibus cederent, Tarchon discurrebat per universos et 5 equo celeri vectus pulsos revocabat ad bellum non blandis verbis, sed ad obiurgationem necessariis. *nomine quemque vocans:* in hortationibus omnibus plurimum valet nominum commemoratio; incitatur enim ad capessendam gloriam cuius nomen ex aliquibus factis est notum; denique sequi- 10 tur *reficitque in proelia pulsos:* ecce quantum profuit causae et quanti refecti sunt commemoratione nominis sui. *quis metus, o numquam dolituri et semper inertes Tyrrheni, [quae tanta animis ignavia venit?]* imitatus est Iovem, qui eum stimulis haut mollibus exclusit in campum; nam ipse quo- 15 que acriora suis ingessit. quis, inquit, metus vestras mentes pectoraque possedit? quid tales existitis, ut dolere vos existimet nullus? semperne inertem ducetis vitam et numquam tendetis ad ea quae strenuis et virtuti con- veniant? cur ignavi? cur miseri? quis hoc malum vobis 20 inimicus invexit? coepit iam ipsorum enumerare ludibria, ut pudore confusi tandem se intellegerent viros. *femina palantis agit:* una, inquit, femina: obtrectationem sumpsit a numero et sexu. addidit *atque haec agmina vertit:* de- monstrantis hoc dictum quantum obiurgationi ipsi pondus 25 adiecit! quanto, inquit, agmine sitis congregati intuemini oculis vestris, et tamen vos una agit femina et dare terga conpellit. signato usus est verbo agit; agi enim dicuntur inertia animalia, quotiens de loco ad alterum ducuntur aut in venationibus ad voluptatem venantis terroribus mi- 30 735 nores ferae per diversa iactantur. *quo ferrum quidve haec*

1 *alio* V *alto* ed. 3 *cedentiatque* V. | *variisque* — 4 *alas* deest in V, sed explicatur. 5 *et equo* V *et* om. ed. 10 *ex aliquibus factis* V *ab a. fatis* ed. 11 *profuit* V *posuit* edF. 12 *quanti* V ed. *quantum*? | *sui* V *proprii* ed. 13 *quae* — 14 *venit* deest in V, sed explicatur. 17 *dolendos* V *dolere vos* nos *dolituros v.* ed. 19 *tenditis* V corr. ed. 31 *iactan-*

geritis tela inrita dextris? certe, si vobis inertia placet, cur non deponitis ferrum? cur non exoneratis dexteras gladiis? proici debet quod frustra portatur. *at non in Venerem segnes nocturnaque bella:* scio tamen vos in aliis fortis,
5 sed tunc cum venerium venitur ad bellum et nocturna certamina. *aut ubi curva choros induxit tibia Bacchi:* aut tunc minus segnes cum vobis saltatio turpis et chorus sono tibiae canentis inducitur. *expectate dapes et plenae pocula mensae, hic amor, hoc studium:* amatis illa quae virtutis
10 gloriam negant, exquisitas scilicet ac deliciosas dapes et ultra necessitatem naturae ingesta et usque ad ebrietatem pocula. *dum sacra secundus haruspex nuntiet ac lucos* 740 *vocet hostia pinguis in altos:* tamdiu, inquit, vina consumitis, donec aliquid vobis prosperum de sacris haruspex
15 nuntiet aut pinguis hostia temulentis ingeratur ad cibum. *haec ecfatus equum in medios moriturus et ipse concitat et Venulo adversum se fervidus offert:* cito dixit quid etiam ipsi inmineret cui ceteri displicebant. obtulit se, inquit, Venulo adversum; debuit enim prior aliquid audere qui
20 omnium hortator extiterat. *dereptumque ab equo dextra conplectitur hostem et gremium ante suum multa vi concitus aufert:* occurrit Venulo, sed ab equo sedentem rapuit inimicis eum conplexibus retinens ac prae se portans. hoc factum quoniam non admittebat fidem et incredibile fuit
25 posse dorso equi deripi armatum, addidit difficultatem dicens multa vi concitus aufert, ut maiore virtute atque impetu venientis id fieri potuisse legentes adprobent et facilius credant. *tollitur in caelum clamor,* Tyrrhenorum scilicet 745 voce qui factum mirabantur. *cunctique Latini convertere*
30 *oculos*, ut cernerent quod numquam viderant. *volat igneus*

---

tur V *agitantur* ed. 6 *induxī ibia* atramento in *indixī* mutatum in interpr. *inducitur* V, quare *induxit* cum Leidensi Verg. scribendum putavi. 7 *segnes* V *s. estis* ed. 8 *expectare* ed. 9 *amartis* V corr. ed. 12 *ac* V *et* ed. 16 *effatus* ed. 17 *fervidus* V *turbidus* Verg. libri. | *offert* V *infert* optimi Verg. libri. 20 *direptumque* ed. 22 *set* V *et* ed F. 24 *quum non admitteret* ed. 25 *diripi* V ed. secundum lemma correxi.

aequore Tarchon arma virumque ferens: totum mirabile fuit, scilicet quod rapuerat virum, quod per campos volitans regebat quadrupede cursum, quod tenebat arma et secum vehebat armatum. *tum summa ipsius ab hasta defringit ferrum et partis rimatur apertas, qua vulnus letale* 5 *ferat:* cumulat his augmentis Tarchonis laudem describens certamen quoque eius, quod inter tot difficultates non dubitabat exercere; primum quippe proelio strenuus et consilio bonus renitenti sustulit ferrum defringens eam partem hastae qua tenebatur infixum, ne spem etiam ipse gereret 10 in reluctatione feriendi, dehinc rimari coepit hoc est attentius quaerere eam corporis partem qua non laederet ho-750 minem vulnere, sed necaret. *contra ille repugnans sustinet a iugulo dextram et vim viribus exit:* nec Venulo consilium defuit; sustinebat enim occursu necessario inminentem iu- 15 gulo hostilem dextram. Tarchon quaerebat instantius qua hosti tale vulnus inferret, Venulus contra eam tuebatur corporis partem qua posset occidi. interea dum contrarii nituntur, vi effudit Venulus quod advexerat inimica violentia. et hoc memorabile; nam tantum fuit evasisse quan- 20 tum fecisse gloriosum. *utque volans alte raptum cum fulva draconem fert aquila inplicuitque pedes atque unguibus haesit, saucius at serpens sinuosa volumina versat arrectisque horret* 755 *squamis et sibilat ore [arduus insurgens; ille haut minus urget obunco luctantem rostro, simul aethera verberat alis]:* 25 pulchra inventio ad ornatum parabolae istius adposita draconis et aquilae (sunt enim in suo genere fortissima), quia nec raperet Tarchon, nisi quia fortissimus fuit, nec evaderet Venulus, nisi quia inferior non fuit. descriptio quo-

---

6 *Tarchontis* ed. 10 *infixus* ed. 13 in lemma *contra*— 14 *exit* quod continuum habet V „sustinet enim occursu necessario a iugulo dextram" post *dextram* inepte inseruit ed. non extat in HOU. 17 *hostile tale* V corr. ed. 18 *contrariis* V ed. 19 *Venulum* V ed. *Venulus* nos: interpr. ad 751 docet Donatum evasisse Venulum putare. 20 *fuit* om. edF. 21 *alta* V. 23 *saucius et* V. 24 *arduus* — 25 *alis* deest in V, sed explicatur. 26 *adposita* nescio an post *ornatum* transponendum sit.

que adiecta certantium, ut inde probaretur quale extitisset inter Tarchonem Venulumque certamen. tenebat draconem aquila summo in aere suspensum inhaerens unguibus et rostro simul infesta, renitebatur ille sinuosis flexibus, sibilis
5 quoque et venenati formidine capitis terrebat instantem. *haut aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon portat ovans:* post parabolam respondit superioribus. *ducis exemplum eventumque secuti Maeonidae incurrunt:* hos non tantum animarunt Tarchonis dicta, sed exemplum magis et
10 facti eventus, in quo auspicium ceteris fuit et fiducia dimicandi.

Tum fatis debitus Arruns velocem iaculo et multa prior 760 *arte Camillam circumit et quae sit fortuna facillima temptat:* fatis debitus Arruns id est fatis Camillae et ipse quoque
15 ultimis fatis obnoxius velocem Camillam circumiit iaculo occasionem quaeritans feriendi. *qua se cumque furens medio tulit agmine virgo hac Arruns subit et tacitus vestigia lustrat:* sequebatur insciam tacitus et ad ipsas ibat partis in quas illa tendebat. dixit autem causam qua
20 perfectum est ut illa explorantis Arruntis non sentiret insidias: ferebatur, inquit, studio belli et furore certaminum. *qua victrix redit illa pedemque ex hoste reportat hac iuvenis* 765 *furtim celeris detorquet habenas:* ideo furtim, quia iuvenis feminam non audebat provocare congressu. *hos abitus*
25 *iamque hos aditus omnemque pererrat undique circuitum et certam quatit inprobus hastam:* quacumque abibat vel quacumque habuit transitum et quoscumque illa circuitus obibat observabat iste opperiens casum quo posset circumvenire fortiorem. hastam autem manu frequentius agi-
30 tabat; hoc enim hominis suggerebat inprobitas hoc est concepta inpatienter cupiditas feriendi; sic enim pergebat

---

3 *aquila* V om. edF. 4 *intesta* V *infesta* nos om. ed. 5 *venenati* V *venantem* ed. | *terrebat* V *tenebat* ed. 7 *respondet* ed. 12 *arins* in lemmate (et infra) *arruns* in interpr. V. 24 *habitus* — 25 *additus* V *abitus* — *aditus* scripsi, quia hoc interpr. confirmare videtur, *abitus* — *abitus* ed. 25 *circuitum et* V *et* om. ed. 28 *abibat* ed.

crebro commovens hastam, ut videretur sibi iam inplere posse quod coeperat. *forte sacer Cybelo Chloreus olimque sacerdos,* hoc est vere consecratus et cuius devotionem probasset antiquitas, Cybelo id est loco in quo Cybele colebatur, *insignis longe Phrygiis fulgebat in armis:* admirabilis fuit et hunc Phrygia arma fulgere faciebant etiam tunc cum longius degeret. post generalitatem dicit speciatim quomodo longe fulgebat, nam ipse est verus fulgor 770 et plenus qui longe positus apparet et cernitur. *spumantemque agitabat equum;* non enim spumant equi nisi qui plurimum currunt. *quem pellis aenis in plumam squamis auro conserta tegebat:* et tetigit speciem et quomodo facta esset ostendit. pelle, ait, fuerat tectus ornata aeneis squamis et auro fulgentibus. squama est proprie serpentis et piscis, quam facit conpositio naturalis; nam et ordinibus digesta est et viarum plurimarum inpressione distincta. quicquid igitur in hanc similitudinem subtilitatis artificium fingit squama dicitur. haec fit ex minutis laminis invicem se retinentibus, quae speciem faciant squamae et sint tali digestione conpositae ut est in avibus pluma, ubi, cum una alteram premit, nascitur in aspectu gratia et animum conpositio ipsa delectat ac pascit. *ipse peregrina ferrugine clarus et ostro spicula torquebat Lycio Gortynia cornu:* ipse inquit, ut ab equo ad hominem transitum faceret, ipse ergo eques peregrina ferrugine clarus fuit. cuius sit meriti ista ferrugo ostri indicat additamentum; non enim species speciei coniungitur, nisi utraque sibi aequo merito et honore respondeat. proinde, quia ostro scimus nihil esse gratius, ferruginem peregrinam hoc est ex melioribus regionibus advectam, quae ostro meruit iungi, maioris pretii debemus accipere. habuit autem spicula, quae Lycio cornu hoc est Lycio arcu torquebat. cornum hoc loco ligni genus dixit, non alicuius animalis. *aureus ex* 775 *umeris erat arcus et aurea vati cassida:* totus ad pulchri-

7 *speciatim* V *per species* ed. 13 *aeneis* V *ahenis* (et in lemm.) ed. 23 *cortynia* V. 27 *specie* ed. 32 *cornum* V *cornu* ed. nescio an recte.

tudinem decoremque conpositus. *tum croceam chlamydemque sinusque crepantis carbaseos fulvo in nodum collegerat auro:* istius chlamys fuit ex carbaso, in colorem tamen croceum versa. hanc chlamydem, quo expeditior esset,
5 aureis nexibus in nodum habuit collectam. *pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum:* nomine artis qualis esset tunica demonstravit; nam huiusmodi vestes acu pictae dicuntur. tegebantur autem crura eius barbarico opere tegminibus factis. et hoc nomen est artis; nam qui
10 hanc exercent barbaricarii dicuntur, exprimentes ex auro et coloratis filis hominum formas et diversorum animalium aut specierum imitatam subtilitate veritatem. *hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma Troia captivo sive ut se ferret in auro venatrix, unum ex omni certamine pugnae* 780
15 *caeca sequebatur totumque incauta per agmen femineo praedae et spoliorum ardebat amore:* hunc inquit, pulchre pretioseque vestitum. virgo: levitate excusat quae aetatis elata superbia, sive ut glorias de Troianis factas templis ostenderet sive ut ipsa talibus spoliis uteretur, quo pulchrior
20 venatrix iret ad silvas, sic unum sequebatur, quasi in tanta bellantium multitudine solus esset in campo. faciebat hoc non iuvenis amore ducta, sed vestium. caeca, inquit, sequebatur: quomodo sequebatur, si caeca? non ergo caeca quasi extincto lumine, sed cupiditate spoliorum nihil videns
25 praeter ipsum, quod insidianti Arrunti proderat ad ea quae cupiebat inplere. *telum ex insidiis cum tandem tempore capto concitat:* tandem, aut quia diu observabat per diversa currentem et non temere adire debuit quam timebat aut quia cupienti tardus est exitus expeditionis, etiamsi
30 tota maturitate proveniat. telum igitur tandem captato tempore atque invento ex insidiis, quoniam ex aperto non

---

1 *clamidemque* V. 3 *clamis fuit ex* V corrupit ed. | *colore* ed. 4 *croceo verso* V *croceo versa* ed. 9 *artis* om. edF. 12 *aut* V *et* ed. 13 *templi* V. 17 *excusat quae* pro eam quae: ne haereas cf. 12, 598. 23 *ergo* om. ed. 26 *cum* V *cui* ed. 28 *percurrentem* ed. 30 *tandem* om. ed. 31 *quum*— 530, 1 *auderet* ed.

audebat, contendit, ne periret obrependi occasio qua illa intenta in Arruntis necem nec cogitabat alia nec videbat. *et superos Arruns sic voce precatur:* tam difficile fuit Camillam sterni hostili manu, ut ad eius procurandum exitium et occasio quaerenda temporis duceretur et loci 5
785 et deorum favor suppliciter invitandus. *summe deum, sancti custos Soractis Apollo, quem primi colimus, cui pineus ardor acervo pascitur et medium freti pietate per ignem cultores multa premimus vestigia pruna:* necesse fuit eum laudari supplicis voce cuius inplorabatur auxilium, 10 dixit summe deum: plena laus est eius qui summus adseritur perindeque quo nullus sit potior. qui sanctum Soractem tueris ac protegis: post laudem numinis dixit Soractem sanctum; sanctum enim efficitur quicquid aliquod amaverit numen. incipit iam commendare merita 15 sua, quamvis hoc quoque ad dei ipsius pertineat laudem qui cum tanta reverentia meruit coli. quem primi, inquit, colimus, hoc est electi. cui incenditur ingens acervus ex taeda atque ita, ut numquam deficiat, sed semper alatur nutrimentis. hoc genus ignis ideo in deprecatione 20 positum est, quia naturali suco tamquam oleo violentius incenditur et incensum diu perdurat. tantaque, inquit, apud nos fiducia est numinis tui, ut premamus ignem nudis vestigiis nec laedamur. post laudem, quam desideriis praeferri convenerat, post commendationem sui 25 petitionis adicit summam: *da, pater, hoc nostris aboleri*
790 *dedecus armis, omnipotens:* grande, inquit, praestabis beneficium, si nostrorum armorum dedecus aboleatur et pereat; quales enim viri dici poterant quorum audebat femina misceri certamini, quam vincere fuit crimen et ab ea 30 superari flagitium? *non exuvias pulsaeve tropaeum virginis aut spolia ulla peto:* quia potuit dici iugulare feminam

---

1 *obripiendi* V ed. 2 *Arruntis* V ed. *Chlorei* expectes, lapsus Donati cf. v. 630. 6 *et deorum* V *et* om. ed. 10 *supplici* ed. | *cuius* V *a quo* ed. 20 *nutrimentis* om. ed. | *igni* V *ignis* ed. 22 *accenditur — accensum* ed. 25 *sui* V *suae* ed.

virtutis est crimen, cur tu eam perire desideras manibus tuis? idcirco ipse haec praeveniens dixit non quaero aliquam gloriam ex illius nece nec exuvias eius aut tropaeum aut spolia referre contendo. *mihi cetera laudem facta* 5 *ferent:* si laudari cupio, habeo alia quae mihi adferant laudem. *haec dira meo dum vulnere pestis pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbis:* sine gloria, inquit, volo remeare ad patriam meam, dummodo ista pestis intereat. accedat hoc solum titulis meis, non aliquid fecisse fortiter, 10 sed virorum armis tale dedecus sustulisse. *audiit et votis Phoebus succedere partim mente dedit, partim volucris dis-* 795 *persit in auras:* omnia quidem Phoebus audiit, sed admisit aliqua, alia respuit. videamus praestita et exclusa tractemus: *sterneret ut subita turbatam morte Camillam* 15 *adnuit oranti, reducem ut patria alta videret non dedit inque notos vocem vertere procellae:* praestitit deprecanti ut Camillam subita morte prosterneret, ut autem incolumis ipse remearet non admisit et hanc precum partem procellis dimisit et ventis. *ergo ut missa manu sonitum dedit* 20 *hasta per auras, convertere animos acris oculosque tulere* 800 *cuncti ad reginam Volsci:* mox ut hasta coniecta est et sonitum dedit, Volsci omnes animo in reginam oculisque conversi expectabant quid ille sonus aut eventus adferret. *nihil ipsa nec aurae nec sonitus memor aut venientis ab* 25 *aethere teli:* ipsa interea, quam aliae cupiditates occupaverant, nec stridorem aeris audiit nec audiit de summo veniens telum nec aliquid adversi pervidit aut sensit. *hasta sub exertam donec perlata papillam haesit virgineumque alte bibit acta cruorem:* tamdiu nec vidit hastam 30 nec sensit, donec eam sub papilla percuteret et totum eius biberet sanguinem. quanta fuit animi eius occupatio, ut nisi letaliter percussa hastam venisse nescisset! conpleta est Camillae descriptio, ne superfluum quid poeta

---

1 *virtuti* ed. 3 *aut* V *nec* ed. 10 *votis* V *voti* ed. et Verg. libri optimi. 11 *partim* V *partem* ed. et Verg. libri optimi. 24 *aure* V *auras* ed. 27 *adversi pervidit* V *perversi vidit* ed. 32 *conplecta* V corr. ed.

dixisse videatur; ait enim (648) „at medias inter caedes exultat Amazon unum exerta latus.“ ecce ipsa parte interiit quam habuit nudam. dehinc dicta est pharetram, arcum, securim atque hastam habuisse hisque omnibus
805 usa esse monstrata est. *concurrunt trepidae comites dominamque ruentem suscipiunt:* trepidas recte posuit, utpote quae adhuc nescirent plenam vim causae. *fugit ante omnis exterritus Arruns:* ante omnis hoc est omnibus actibus dimissis. *laetitia mixtoque metu:* laetus fuit, quia arreptum conpleverat desiderium, metuebat autem ne quis ultor emergeret vel ne illa sic icta esset, ut viveret. usque adeo ipsa fuit potior causa fugiendi, ut secutum sit *nec iam amplius hastae credere nec telis occurrere virginis audet;* non enim credebat ipso vulnere morituram. *ac velut ille*
810 *prius quam tela inimica sequantur continuo in montis sese avius abdidit altos occiso pastore lupus magnove iuvenco conscius audacis facti caudamque remulcens subiecit pavitantem utero silvasque petivit, haut secus ex oculis se tur-*
815 *bidus abstulit Arruns contentusque fuga mediis se inmiscuit armis:* parabolam sumpsit eius animalis quod sit audax ad faciendum et satis temerarium, timidum sane post factum; nam habet naturalem industriam, ut, ubi quid se adverterit admisisse quod possit aut debeat vindicari, fugam per solitudines petat. hoc Arruns imitatus aufugit et sese, ut facilius latitaret, catervae commiscuit. *illa manu moriens telum trahit:* non dixit educit aut rapit; hoc enim eorum est qui nondum urgentur in mortem. trahit inquit, ut defectu ipso ostenderet morientem. *ossa sed inter ferreus ad costas alto stat vulnere mucro:* cupiebat telum extrahere, sed infixum ossibus ferrum altius tenebatur. *labitur exanguis, labuntur frigida leto lumina:* recedente per lapsum sanguine oculi quoque morientis labebantur in mortem. *purpureus quondam color ora reliquit:* deficiente

---

6 *utpote* om. ed. 8 *actibus* V *aliis* ed. *actutum*? 13 *aut telis* contra metrum V. 15 *esse* pro *sese* V. 16 *magnoque* ed. 19 *fuge* V. 31 *etsanguis* V. 32 *labebuntur* V *labuntur* ed.

in vultu eius colore purpureo emergebat pallor infelix. *tum sic expirans Accam ex aequalibus unam adloquitur,* 820 *fidam ante alias, quae sola Camillae, quicum partiri curas:* cum ultimum iam spiritum redderet, elegit unam ex
5 aequalibus quae Acca diceretur atque huic extrema verba commisit. dixit causam qua effectum est ut cum sola loqueretur: ex aequalibus inquit, quia hoc ei fuit commune cum ceteris, addidit aliud, quod esset ipsius fida ante alias; quae sola Camillae, augmentum laudis, quia
10 sola audire meruit quod aliae nesciebant et fidem secretis sola poterat reservare; quicum partiri curas, relationem curarum animi relevationem ac sollicitudinis vult esse Vergilius, proinde Camilla tam caram habuit Accam, ut quicquid animo gereret quod ageret sensum huic semper
15 narraret et cum ea narrando divideret. curas etiam consilia et tractatus debemus accipere. *atque haec ita fatur:* quo factum est ut haec ei intimaret ac diceret: *hactenus, Acca soror, potui:* usque ad hoc tempus, inquit, Acca soror, aliquid potui. quid benignius, quid his dictis dulcius,
20 quam ut in salutis fine posita nomine suo appellaret quam carissimam praeter ceteras habuit? quid religiosius quam sororem dicere et probatam fide germanitatis honore praeferre? *nunc vulnus acerbum conficit:* a commemoratione superioris temporis quo potens in certaminibus et nobilis
25 fuit transit ad praesentem casum quo urgebatur in finem; quippe dicendo conficit ostendit eiusmodi esse cui ob retinendam salutem nullo posset remedio subveniri. verum ne illa diceret qualecumque istud est, auxilio medicinae sanabitur, hoc ipsum satians addidit. *et tenebris nigrescunt*
30 *omnia circum:* usque adeo, inquit, conficit, ut tenebrae occurrere coeperint oculis meis, quod esse non dubium est principium mortis. infert iam quae fuerit causa loquendi, ne ignaram deciperet cui plenissimam spoponderat fidem.

3 *fida* edF. 5 *diceretur* V cf. 532 *-batur* ed. 7 *inquit quia* V ed. *i. et quia?* 8 *quod* V *quae* ed. 14 *ageret sensum* V cf. 6, 160 (159) *ageret sensim* ed. *angeret sensim* ed. post. 17 *intemaret* V corr. ed. 23 *a commemorationem* V *ad c.* ed.

825 *effuge:* properatum iter fugam dixerunt veteres nostri ideoque fugitivis hoc adpositum nomen est, quia currunt tantummodo: ergo fugitivorum, inquit, more celerius perge *et haec Turno mandata novissima perfer:* novissima mandata ideo, ut sciret iam non superfuturam quae alia 5 posset iterum iterumque mandare. *succedat pugnae Troianosque arceat urbe:* licet in ipsa morte constituta habuit in animo commodum Turni: principaliter quippe nihil fuerat curandum nisi ut urbem non invaderet inimicus, in qua Lavinia degebat quae fuit totius certaminis causa. 10 denique hoc ei consilium et inter initia tractatus dedit, hoc etiam nunc mandat esse servandum; supra (506) enim dixit „tu pedes ad muros subsiste et moenia serva“: prima erit gloria parsque maxima victoriae, si ad urbem non sinatur hostis accedere. sciat me ille susceptas partis 15 non voluntate reliquisse, sed morte, quocirca succedat in sollicitudinem mortuae et ante omnia urbem a Troianorum invasione defendat. *iamque vale:* cum ulterius loqui non posset, extremo verbo ait iam vale. *simul his dictis linquebat habenas ad terram non sponte fluens:* quia urge- 20 batur pleno exitu animae, et habenas iam reliquerat et invita fluebat in terram. *tum frigida toto paulatim exolvit se corpore:* paulatim recedente calore corporis paulatim 830 frigescebat. *lentaque colla et captum leto posuit caput:* mors quippe solvit omnia quae vigorem corporis regunt. 25 *arma relinquunt:* ceciderunt et arma, cum haec ulterius tenere non posset. *vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras:* indigne ferens quod sic perisset relicta vita in tenebras gemibunda perrexit. *tum vero inmensus surgens ferit aurea clamor sidera:* quoniam supra (805) dixerat 30 „concurrunt trepidae comites“ et incertum fuit quid illud

1 *properantum* ed. post. 8 *principaliter* V *in primis* ed. 9 *invaderent inimici* ed. 10 *degebat* bis scr. V. 12 *esse* om. ed. 17 *sollicitudine* V ed. 26 *relinquint*, sed atramento v superpos. V *relinquit* ed. | *haec* V *et h.* ed. 28 *ferens* V *referens* ed. 29 *gemebunda* ed. 30 *quum supra dixerit* ed. 31 *fuisset* ed.

vulnus adferret, hic, ubi animam reddidit, dictum est tum vero hoc est tunc magis usque ad caelum perveniebant ululatus et voces missae cum fletibus. *deiecta crudescit pugna Camilla:* cum deficiente tantae exercitationis
5 femina bellum molliri debuisset, tunc exasperatum est magis, ut mors eius pensari posset ultione, asperatum est quoque ex alia parte, quia spes creverat magis magisque vincendi, ubi Camilla non fuerat. *incurrunt densi simul omnis copia Teucrum Tyrrhenique duces Euandrique Ar-* 835
10 *cadis alae:* incurrunt dictum est in unum locum currunt atque ex congesta multitudine facti sunt densi, Teucri scilicet, Tyrrheni et Arcades, quoniam mors Camillae spem certam vincendi monstraverat perindeque acerbitatem cumulaverat belli.

15 *At Triviae custos iam dudum in montibus Opis alta sedet summis:* Opis, quam Diana egerat, ut Camillae mortem congrua ultione pensaret, sedebat in altis montibus pugnas observans, ut Arruns posset occidi. *spectatque interrita pugnas:* hoc, inquit, faciebat interrita; quid enim metueret quae
20 aberat procul et sedebat in summo? haec autem illi montium altitudo praestabat, ut secura esset et facilius necessaria exploraret ex edito et dispositam Arruntis necem valeret inplere. *utque procul medio iuvenum in clamore furentem prospexit, tristi mulcatam morte Camillam, ingemuitque de-* 840
25 *ditque has imo pectore voces:* ubi vidit Arruntem cum ceteris furere et occisae crudelis interitus animo dolentis occurrit, ingemuit et talis dedit voces: *heu nimium, virgo, nimium crudele luisti supplicium Teucros conata lacessere bello!* vox huius dolentis laudem continet Troianorum; poeta
30 enim in Camillae morte non incertum belli vult esse, sed

3 *confletibus* V corr. ed. 12 *quoniam* V *quum* ed. 13 *monstravisset — cumulavisset* ed. 16 *fecerat* V *egerat* nos *praeceperat* ed. | *ut* om. ed. 17 *pensare* ed. 18 *expectatque* V. 19 *metuerat quae haberat* V corr. ed. 21 *secura* V *sequuta* ed. 23 *furentum* V, sed Don. *furentem* legisse interpr. docet itemque post *prospexit* distingendum esse. 24 *mulcata* V *multatam* ed. | *ingemuit* V. 26 *fuere* V corr. ed. 27 *ingemuitque* ed.

poenam nec illud quod accidit eventui deputat, sed confirmat esse supplicium, quasi si diceret posses vivere nec poenas gravissimas perpeti, si Troianos non ultro provocasses in bellum. *nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam profuit [aut nostras umero gessisse sagittas]:* quid 5 profuit solitudinem te passam esse silvarum? quid dumos tolerasse? quid tractasse arma? quid Dianam tota veneratione coluisse? omnibus locis deorum cultum dicit poeta frustra esse neque umquam auxiliari deos cuiquam posse 845 cum ad fatalem necessitatem fuerit ventum. *non tamen* 10 *indecorem tua te regina relinquit extrema iam in morte neque hoc sine nomine letum per gentis erit aut famam patieris inultae:* consolationis verba sunt ista, quae mortui nec audiunt nec possunt ulla ratione sentire. in adversis tuis, inquit, non erit tuum inferius meritum nec indefensum 15 manebit quo perire potuisti aut inultae per populos leti tui nuntius perget. perindeque accedit titulis tuis nobilis fama, quod te Diana, si a morte servare non potuit, tamen defendit occisam. *nam quicumque tuum violavit vulnere corpus morte luet merita:* nam quicumque corpus tuum 20 ferro credidit violandum congruam luet tuis manibus poenam. violare est sacrum aliquid violenter adpetere: sed hic non solum corpus violatum est verum etiam ipsa quoque salus extincta. quod crimen cumulavit potius poeta quam minuit; nam cum violare non liceat vulnere, ubi 25 erit Arruntis causa qui sacram virginem violavit et per- 850 didit? *fuit ingens monte sub alto regis Dercenni terreno ex aggere bustum antiqui Laurentis opacaque ilice tectum:* hunc locum ordinatio magis exponit: fuit, inquit, sub alto monte ingens bustum terreno ex aggere hoc est congesta 30 terra conpositum, tectum opaca ilice, Dercenni Laurentis regis antiqui. in descriptione brevissima et locum designavit et eius situm et quid esset et cuius ostendit, sed

---

1 *accedit* V corr. ed. 2 *si* om. ed. | *vivere* V *vincere* ed. 5 *aut — sagittas* deest in V, sed explicatur. 11 *te* om. V. 15 *nec* — 16 *manebit* om. ed. 17 *perindeque* V *que* om. ed. 21 *manibus* V *meritis* ed. 23 *ipsa* om. ed.

haec descriptio non est superflua, pertinet quippe ad causam; nam talis Opi fuerat necessarius unde videret ex occulto Arruntem et ipsa a quoquam videri non posset. timidus enim et cautus propter conscientiam facti nisi per
5 insidias circumveniri non poterat. iste igitur locus adgestione terrae editus fuit, sed hunc obscurabat altitudo sublimior montis et arbor quae omnem contexerat ramis. dicta est interea terrenae adgestionis causa: sed haec bustum, inquit, fuit regis Dercenni. propter magnitudinem vero
10 arboris et servatae meritum ait antiqui, ut et nobilitatem mortui demonstraret et temporis prolixi spatium quo infinita incrementa arbor eadem sumpserat. fuit ergo sub alto monte, ut obscuratum proceritate eius plenis aspectibus videri non posset, opaca ilice contectum, ubi et latere
15 Opis posset et de summo cuncta prospicere. dixit antiqui, dixit regis, dixit Laurentis, totum laudis causa; tanto enim maiora busta veteres faciebant quanto potior habebatur defuncti memoria. *hic dea se primum rapido pulcherrima nisu sistit:* Opis moras omnis celeritate praeveniens hunc
20 tenuit locum. pulcherrimam loco isto debemus accipere non corpore, sed consilio bonam, quae providet talem propter explendas insidias locum. *et Arruntem tumulo speculatur ab alto,* hoc est quod supra exposuimus insidianti oportunam fuisse altitudinem tumuli, quae ni fuisset ante
25 consulto descripta, quaereremus hanc, cum Opis in alto consedisse diceretur, quaereremus et arborem quae obscurabat insidiantem. *ut vidit fulgentem armis ac vana tumentem,* ut hunc vidit armorum splendore fulgentem et mox perituro gaudio tumidum, *cur, inquit, diversus abis?* 855
30 *huc dirige gressum, huc, periture, veni, capias ut digna Camillae praemia. tune etiam telis moriere Dianae?* dolentis

---

10 *et* ante *servatae* om. ed. 11 *quo* V *quod* ed. 12 *arborea desumpserat* V ed F[1] *arbor ea d.* ed. post. *arbor eadem sumpserat* nos. 16 *dixit regis* om. ed. 17 *maior arbusta* V *maioris a.* ed. *maiora busta* nos. 20 *pulcherrima* ed. 22 *expeculatur* V. 24 *ni* om. ed. 25 *quaeremus* (et infra) ed. 31 *tunc* pro *tune* (infra recte) V. | *tune — Dianae* om. ed.

vox ista est et inde magis commotae, quod exultantem de Camillae morte Arruntem vidit et alieno laetum exitio, cum ipse suum mox adfuturum nec intellegeret nec videret. haec tamen loquebatur secum utpote in summo posita et propter insidiarum effectum latens, scilicet non ut Arruns 5 audiret, sed ut comminatione verborum satisfaceret aestibus suis. locuta est ergo quasi ad praesentem et tamquam praesentem insultanter appellat. quid, ait, in diversa contendis? diversum est quod est longe remotum ab altero et subsidio prolixioris spatii obscuratur et tegitur. huc 10 dirige gressum, huc, periture, veni, magis huc veni, quo facilius pereas; capias ut digna Camillae praemia, ut Camilla tibi rependat pro meritis praemium. tune etiam telis moriere Dianae? debes necari telis eius quam in Camillae morte credidisti temnendam? *dixit et aurata volucrem* 15 *Threissa sagittam deprompsit pharetra cornuque infensa tetendit?* cum dicit infensam, aliquid magnum per commotionem magnam et quod modum artis excedat factura monstratur. prompsit igitur sagittam et hanc nervo aptatam tendit recurvo cornu; pertinet enim ad artem iaciendi 20 860 quod arcus omnis curvatur in finibus. *et duxit longe,* ipsam scilicet sagittam cum nervo, *donec curvata coirent inter se capita:* tanto enim sagitta longius ac fortius volat quantum retrorsum, dum tenditur, revocatur, arcus quoque ipse tunc exeunti maiorem impetum praestat, si capita eius ad- 25 ducta iungantur. *et manibus iam tangeret aequis, laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam:* ipse est modus sagittae mittendae nec esse amplior potest, ut harundo aptata nervo atque in dexteram partem usque ad papillam reducta perveniat et sinistrae manus digitos tenentis arcum 30

---

2 *mortem* V corr. ed. | *corruentem* V ed. *Arruntem* nos. | *alienum laeto* V corr. ed. 6 *comminationem* V corr. ed. 8 *tendis* ed. 9 *quod est* om. edF. 14 *debes* V ed. *debesne*? 15 *contemnendam* ed. | *auratam* V ed. correxi secundum Verg. libros. 17 *infensa* ed. 20 *iacendi* V corr. ed. 21 *quod arcus* V corrupit ed. *arcusque* ed. post. 25 *tunc exeunt* V *t. exeunti* nos om. ed.

ferri species tangat. *extemplo teli stridorem aurasque sonantis audiit una Arruns haesitque in corpore ferrum:* praetermisit poeta quod sagitta missa sit, quae res proficit conpendio narrantis; quod enim non est dictum potest ex his
5 quae consecuta sunt nosci. non enim percuteretur Arruns, si sagitta non esset eiecta, cuius volatu, mox ut aeris stridorem cognovit, insertus est. *illum expirantem socii* 865 *atque extrema gementem, obliti ignoto camporum in pulvere linquunt:* quid infelicius huius morte cuius cadaver colli-
10 gendum nec socii curaverunt? denique tanta eius oblivione ducti sunt, ut eum pro alieno in campis, in pulvere et ignotis linquerent terris. quod fuit ultionis augmentum, ut remansisset nudus, feris etiam oportunus alitibus. insepultorum causa ideo omni supplicio est gravior, quia
15 secundum ipsum Vergilium habet aliam apud inferos poenam. *Opis ad aetherium pinnis aufertur Olympum:* pinnas celeritatem debemus accipere; quid enim moraretur in terris ulterius quae mandata perfecerat?

Prima fugit domina amissa levis ala Camillae: ecce
20 quantum potest qui exercitum regit! quia una concidit Camilla, omnes qui per ipsam regebantur in fugam versi sunt. *turbati fugiunt Rutuli: fugit acer Atinas disiectique* 870 *duces desolatique manipli tuta petunt et equis aversi ad moenia tendunt:* laudem simul dicit Camillae et eorum
25 vituperationem qui in Turni partibus fuerant. quid enim turpius quam perdito auxilio unius feminae versos esse omnis in fugam, eos quoque qui magni ferebantur et fortes, nihilque illis tutum praeter muros civitatis fuisse? *nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis sustentare valet*
30 *telis aut sistere contra, sed laxos referunt umeris languentibus arcus:* nec valuit quisquam telis arcere Teucros instantis aut his resistere; denique languerant metu et ipsos

---

6 *volatus* ed. 7 *incertus* V *iniectus* ed. *insertus* nos cf. 10, 886. 8 *oblitum* ed. 15 *habeat* V *-bebat* ed. *-bet* nos. 19 *fuit* pro *fugit* V. | *ecce* — 21 *Camilla* om. ed. 20 *regii* V *regit* nos. 22 *deiectique* ed. 23 *dissolatique* V. 30 *umeros* V. 31 *telercose* V *telis arcere* nos *tenere* ed. 32 *languebant* ed.

arcus non manibus paratos ad necem hostis, sed laxos
875 ferebant umeris suis. *quadrupedoque putrem cursu quatit ungula campum:* urgente maiore insequentium vi ipsi equos urgebant, ut quadrupedo cursu id est satis properato in patriam tenderent. *volvitur ad muros caligine turbidus atra* 5
pulvis et e speculis percussae pectora matres femineum clamorem ad caeli sidera tollunt: cum nihil adhuc e muris spectantium subiceretur aspectibus inpediente pulveris nube, tamen aperta coniectura res adversae credebantur, quando caligo densissima omnis versos praecedebat ad 10
patriam. matres interea, quae suam suorumque intellexerant pestem, femineis vocibus hoc est luctuosis et tristibus caelum omne sideraque pulsabant. *qui cursu portas primo*
880 *inrupere patentis hos inimica super mixto premit agmine turba:* aliquantis, inquit, in hoc casu obfuit celeritas sua; 15
quippe qui primo ingressi sunt portas et se pericula omnia crediderant evasisse in ipsis interiere liminibus; nam cum sequentis turbae multitudo congesta per unum aditum omnis simul intrare non posset, omnis simul sequentum ruina est obruta. *nec miseram effugiunt mortem:* non mortem 20
illi effugerant, sed reppererant fugiendo eoque deteriorem, quia non fuit illa gloriosa, sed misera. incipit dicere quomodo misera: *sed limine in ipso, moenibus in patriis atque inter tuta domorum confixi expirant animas.* quanta clades illo tempore atque illo loco infelices oppressit, ut 25
liberati congressionibus campi in portis, in patria, inter parietes suos, quibus tuti esse defensique debuerant, suis vel suorum gladiis interissent! *pars claudere portas nec*
885 *sociis aperire viam nec moenibus audent accipere orantis:* tanta funerum congeries ipso portarum iacebat in limine, 30

2 *quadrupedoque* (et infra) V *-umque* ed. 4 *id est satis* V *satis scilicet* ed. 5 *tenderent* V *redirent* ed. 8 *expectantium* V ed. *spect-* nos cf. v. 837 et 853. 12 *pestem* V *cladem* ed. 15 *aliquot* ed. 16 *prima* V *primo* nos *primi* ed F. 17 *interire* V corr. ed. 18 *sequentibus* ed. | *omnes* — 19 *possent* ed. 23 *quomodo* V *quando* ed. 27 *tum esse defensique* V *tuti e. d.* nos corrupit ed. 28 *gladiis interissent* V *defendi* interpos. ed. | *nec* V *haec* ed. 30 *fuerun* V *funerum* ed.

ut nec aditus fieri sociis venientibus posset nec esset tutum rogantis excipere. *oriturque miserrima caedes defendentum armis † et duro sub Marte cadentum:* quam miserum spectaculum fuit civis caedi a civibus suis, prohiberi sinu
5 patriae, cum tam grave discrimen ingrueret, occidi ab his qui defensionis auxilium praebere debuerant! *exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum:* flebant parentes et gemebant, cum viderent excludi liberos suos et a civibus sterni. *pars in praecipitis fossas urgente ruina volvitur:*
10 exclusi ab ingressu portarum plurimi ante plangentum oculos parentum altas praecipitabantur in fossas et per ingentem metum ipsi sibi quaerebant exitium quod declinare nitebantur. *inmissis pars caeca et concita frenis arietat* 890 *in portas et duros obice postis:* sic alios caecaverat metus,
15 ut equorum impetu tamquam aries conliderentur in portas. claudendarum portarum haec necessitas fuit atque hic metus, ne hostis, dum fugientis persequitur obtinendae civitatis causa, liberum reperiret ingressum; aequius enim fuit excludi aliquos, plurimos liberari cum patria. caeca, inquit,
20 pars, quae non videret clausas portas et aliorum in ipsis portis exitium. *ipsae de muris summo certamine matres (monstrat amor verus patriae, ut videre Camillam) tela manu trepidae iaciunt ac robore duro stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis praecipites primaeque mori pro* 895
25 *moenibus ardent:* mulierum turba in superiore murorum parte constituta gladios quos ferebat abiecit imitata duris et adustis stipitibus ferrum. audaciam vero illis dederat patriae amor sincerus et verus et exemplum Camillae, quae

---

3 *et duro sub Marte cadentum* V *aditus inque arma ruentum* libri Vergiliani: *aditus* certe Don. legisse videtur propter *prohiberi sinu patriae,* sed cum reliqua quoque lectione Vergiliana nescio an verba *occidi — debuerant* magis congruant quam cum lectione codicis ex 12, 410 cum errore metrico *et duro* (*duro et* emend. ed F) huic loco inserta, quare crucem apposui. | *quam* V *quia* ed. 4 *suis* V *suis et* ed. 11 *praecipitantur* ed. 16 *hic* V *is* ed. 19 *plurimosque* ed F. 28 *patrios* V *patrius* ed. *patriae* nos. | *amor* V *amor et* ed. | *sinceris et veris* V *sincerum et verum* ed. | *et exemplum* V *exemplum* ed.

in aliena causa, dum obtinere nititur, cecidisse probabatur, quo magis decuit istas utcumque certare pro patria et ante ipsas turris occumbere.

Interea Turnum in silvis saevissimus inplet nuntius: inplere est ad plenum aliquid intimare. *et iuveni ingentem* 5 *fert Acca tumultum:* tumultum interpretati sunt veteres timorem multum esse. unde non tantum ad Turnum adversa pervenerant verum etiam alia quae illi molem magnam maximi timoris adferrent. quid dicebat Acca vel quem malorum ordinem dabat? *deletas Volscorum acies:* ibat in 10 pluralem acierum numerum, ut omnis Volscos firmaret extinctos. hic erat verus tumultus, qui sine falsitate esse non poterat; non enim revera omnis Volscos dimicationis adversus eventus absumpserat. *cecidisse Camillam:* sic secundo loco casum Camillae posuit, quasi oppressis illis 15 integrae res esse potuissent, si Camilla vixisset. erigenda pronuntiatio est in Camillae nomine; illic est enim maior Turni desperatio, quod Camillae auxilium perdidit. *ingruere* 900 *infensos hostis et Marte secundo omnia corripuisse:* addebat inminere hostis et successibus prosperis omnia tenuisse. 20 *metum iam ad moenia ferri,* illum scilicet metum quem fecerat hostis adventus iam inminere civitati. unde revera firmabat retenta iam cetera, quando sola moenium superat captio, cuius casum talem inde magis metuere debuit Turnus, quia intra eam Lavinia fuit. necessario verbo 25 usa est ferri; inpellebatur enim prosperitate successus et non ibat hominum more, sed ferebatur fortunae suffragio. *ille furens (et saeva Iovis sic numina poscunt) deserit obsessos collis, nemora aspera linquit:* ille hoc est Turnus, vel quia adversis cognitis furebat vel quia consilia omnia 30 et tractatus utilis infesto Iove perdiderat, collis quos

---

1 *nitetur* V *niteretur* ed. | *probatur* ed. 5 *intemare* ut 822 V *intumere* ed. 8 *provenerant* ed. 10 *ibit* V *ibat* nos *dixit* ed. 11 *plurali* ed. | *affirmaret* ed. 14 *assumpserat* ed. 19 *infensos* ex *infestos* ut videtur corr. V *infestos* ed. 23 *affirmabat* ed. | *superaret* ed. 27 *non ibat* V *non* om. ed. 28 *et saeva* V *nam s.* ed.

obsederat et aspera nemorum deserit ea utique destinatione mentis, ut saltem patriam tueretur ac muros. *vix e conspectu exierat campumque tenebat,* hoc est mox ut reliquerat fauces et ad campum venerat, *cum pater Aeneas saltus in-*
5 *gressus apertos exuperatque iugum silvaque evadit opaca:* 905 ipsae sunt fauces, montes ipsi atque ipsa silva et ipsae angustiae quas cum Camillae consilio Turnus obsederat, ut Aenean cum suis copiis ingressum suffragio loci qui aperto Marte non poterat adgrederetur et funderet; sed
10 Aeneae vigilante fortuna et fato infelicis Turni perfectum est ut illo propter urbis statum obsidionem deserente Troianorum numerus quae dudum fuerant obsessa liber securusque transiret. *sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur agmine nec longis inter se passibus absunt:* alter
15 defendendae civitatis causa, alter capiendae non longis inter se aberant passibus; non longorum passuum significatio ostendit minus fuisse quam mille; si enim plus essent, milia dicerentur. *ac simul Aeneas fumantis pulvere campos prospexit longe Laurentiaque agmina vidit et saevum Aenean* 910
20 *agnovit Turnus in armis adventusque virum flatusque audivit equorum:* hoc est quod dixit non longis passibus; nam et videbat hostis et equorum flatus audiebat. quod ait longe vidit, priorem vidisse accipiendum est, sed et Turnus et Rutuli similiter videbant; hoc enim praestabat aequa-
25 litas campi. *continuoque ineant pugnas et proelia temptent, ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero sistat equos noctemque die labente reducat:* fuit quidem occasio pugnandi collectis in unum omnibus, sed consumpta luce et inminentibus tenebris pugnari non potuit. quid ergo

---

1 *obsiderat* V. | *deseruit* ed. | *ea utique* V *tenuitque* ed. 6 *montes ipsi* V invertit ed. 10 *vigilante* V *prospera* ed. 11 *illo* om. ed. | *statum* post *obsidionem* transpos. ed. | *deserente* V temere mut. ed. 12 *quae — obsessa* item. 16 *non locorum* V *nam l.* ed. *non longorum* nos cf. 5, 193. 17 *mille* V *m. passus* ed. 20 *adventusque* V ut M. Vergilii. | *virum* V *pedum* omnes Verg. libri. 23 *priorum* V corr. ed. 26 *sistat* V *tingat* ed. et Verg. libri.

915 factum est? *considunt castris ante urbem et moenia vallant:* castra dici ubicumque exercitus etiam sine aedificiis sederit multis locis diximus et hic evidenter apparet; nam cum dicit ante urbem considunt et moenia vallant, ostendit solos homines, non etiam aliquam molem fuisse 5 castrorum.

---

3 *sederit* V *quod* ed. — subscriptio deest in V spatio octo versuum relicto.

AENEIDOS LIBER XII.

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos defecisse videt: saepe diximus librorum capita a continuae narrationis textu non esse discreta, sed habere transitum quendam, quem habent dictiones etiam in medio. finibus igitur
5 undecimi libri, qui Rutulorum certaminis adversa continent, caput duodecimi respondet. proinde Latinos quos dixit non solos debemus accipere qui sub Latino agebant, sed eos quoque qui fuerunt in partibus Turni; nam sic dictum est Camillae morte omnis esse turbatos, ut primo Volsci
10 in fugam versi viderentur: ecce mixti fuerant, non Latini soli, sed etiam alii congregati ex plurimis gentibus. infractos nonnulli in duabus partibus orationis ponunt adserentes in aliquando minuere et augere aliquando. hic tamen constat non negari fractos, sed potius valde fractos
15 ostendi, quod ipsum ut plenissime roboretur, infractos in una parte orationis ponere debemus ut est inflexum. infracti, inquit, fuerant Latini pugnando: infracti sentiendi sunt animo scilicet et viribus, utpote qui adverso Marte pugnassent et deteriorem metuerent, infracti ergo qui nol-
20 lent congredi et qui iam pugnare non possent. usque adeo valde fractos dixit, ut sequatur defecisse videt. deficere est enim non tantum lassari verum etiam a commodo uniuscuiusque rei discedere, quod hoc loco sentiendum est defecisse, pro Turno iam nolle pugnare et adfectum cer-
25 taminum, quod ulterius ferre non poterant, reiecisse. *sua*

---

5 *continent* V *continet* ed. 6 *respondit* V corr. ed. 7 *sed eos* V *et* interpos. ed. 9 *mortem* V. | *primum* ed. 14 *negare* edF. 19 *deteriore* V *-ra* ed. 20 *iam* om. ed. 22 *laxari* ed.

nunc promissa reposci, se signari oculis: ex eo quod deserto bello omnes simul ad civitatis tuta contenderunt intellexit Turnus quid de summa belli universi sentirent, colligens ex ratione gestorum reposci pollicitationem suam qua dixit (11, 434) „quodsi me solum Teucri in certamina 5
poscunt idque placet tantumque bonis communibus obsto non adeo has exosa manus victoria fugit, ut tanta quicquam pro spe temptare recusem: ibo animis contra". hoc ipsum quia noverat negari non posse, quod in celebritate concilii, in causa publica et vel maxime sua, in † con- 10
flictu ac rege praesente ipse se professus est subiturum, *ultro inplacabilis ardet:* ardebat iracundia et obsistente ratione temporis iram ipsam lenire ultione non poterat. *attollitque animos;* debuit enim ultro velle quod recusare non poterat, debuit etiam invitus velle quod abnuentibus 15
cunctis ad ipsius periculum fuerat rediturum. *Poenorum*
5 *qualis in arvis saucius ille gravi venantum vulnere pectus tum demum movet arma leo:* Poenorum, inquit, hoc est Afrorum, quorum regionibus leones magni nascuntur; et recte leoni conparatur rex; habet enim ille inter omnis 20
feras maximum principatum, ut habebat inter suos Turnus. sed conparatur vulneratae bestiae et infixo venabulo frustra saevienti; sic enim defectu omnium quasi letali plaga percussus fuerat Turnus, eo magis ardescens, quia nec effugere praesens periculum poterat nec invidiam concitatae sedi- 25
tionis aliqua ultione defendere. *gaudetque comantis excutiens cervice toros [fixumque latronis inpavidus frangit telum et fremit ore cruento]:* sic, inquit, attollebat animos positus in suis calamitatibus Turnus, ut speciem videretur habere gaudentis, ne desperatione extrema deiectum quisquam 30

---

2 *tuta* V *tecta* ed. 5 *quae* V ed. *qua* nos. 10 *conflictu* V ed. non minus corruptum puto quam v. 30, nam si iurgia Drancis intellegeret, nomen haud dubie addidisset: *consilio* hic quoque emendandum censeo, quod non idem est ac *celebritate concilii,* sed crucem apponere satius visum est. 11 *sese* ed. 12 *obsistente* V ed. *obsidente* ed. post. 13 *leniter* V *lenire* ed. 15 *etiam* V *enim* ed. 27 *fixumque*—28 *cruento* deest in V, sed explicatur.

sentiret aut crederet. quod ipsum in leone accipiendum est, quia post infixum letale vulnus et movere adhuc arma dentium poterat et toros iratus excutere, gaudere vero, hoc est habere solacium, quod telum ipsum et venabuli 5 hastam frangeret, quasi hoc solum ad ultionem morituro sufficeret. gaudet multi saevit accipiunt, quia gaudere non potest qui sic vulneratur, ut pereat, cum gaudere et saevire longe diversum sit. gaudere ergo proprie intellegamus, quia gaudium eo pertinet, quia moriturus leo et 10 movere toros adhuc poterat et inimica tela confringere. latronem dixit venatorem, qui intellectus ex superioribus venit; dictum est enim „venantum vulnere“ ac per hoc ostendit poeta latronem dici posse non solum eum qui insidiatur saluti hominum verum etiam eum qui adversus 15 feras portaverit ferrum. *haut secus accenso gliscit violentia Turno:* iracundia enim inpunitatis desperatione nutritur et crescit, hoc est cum exitus defensio non habet et victa torpescit. *tum sic adfatur regem atque ita turbidus infit:* 10 ad ostendendum adloquium Turni suffecerat dixisse tum 20 sic adfatur regem hoc est ad regem fatur, additum est atque ita turbidus infit, ut ante sciretur qualis dictio processura esset ardentis et eius cuius mentem contraria universa confuderant. *nulla mora in Turno, nihil est quod dicta retractent ignavi Aeneadae nec quae pepigere recusent: con-* 25 *gredior:* iam, inquit, non adferam quam memorant commodis communibus moram, nihil est quod quisquam de Turno queratur ulterius, nullum retractetur faciendi non faciendive consilium, ignavi Aeneadae taceant et condicionem placitam non recusent. congrediendum est mihi: habent 30 etiam nunc consensum meum, fiat quod votis omnium placuit, non metuo adversa et prospera libenter amplector. *fer sacra, pater, et concipe foedus:* unum tantum quod inchoandis rebus deest fiat, pater, ex partibus tuis, firmentur

---

5 *morituros* V *-ro* nos *-ri* ed. 6 *saevit* V *pro saevit* ed. 17 *exitus* V *exitum* ed. 26 *communibus* om. ed. 29 *placidam* V corr. ed.

sacris intervenientibus foedera, ego cetera cumulabo certando. *aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,* 15 *desertorem Asiae, (sedeant spectentque Latini) et solus ferro crimen commune refellam aut habeat victos, cedat Lavinia coniunx:* quod contrarium votis suis necessitate protulit et 5 constrictus, non voluntate suscepit id se nolle simul oblique confessus est. ait enim uterque casus quem promittit exitus pugnae facit pro partibus meis. aut enim deiciam mea dextra Dardanium Asiae desertorem (tria convicia congessit, a genere, a loco, a facto: a genere, quod esset 10 Dardanius, quasi oriundo ignobilis et inbellis; a loco, quod Asianus, quasi ex corrupta et dissoluta provincia; a facto, quod desertor regionis suae et proditor deserendo), sedeant autem spectentque Latini, et solus ferro crimen commune refellam aut habeat victos. fuit artificiosum et tale quod 15 ostenderet metuentem; adseruit enim crimen esse quam maximum sedere tantos et alterius virtute defendi aut fatum multorum unius fortunae committi: ut utroque metu perterriti non paterentur in unius sorte omnium periclitari fortunam, in cuius victoria habere dedecus possent aut 20 contra subiugari servitio. commune, inquit, crimen refellam, quia omnium dedecus fuit quod Troiani tenere Italiam nitebantur et his essent servituri quibus possent imperare, ut per haec ostenderet aemulos suos suam, non alienam causam deseruisse. hunc, ut diximus, metum idcirco propo- 25 suit, ut firmaret adsertionem suam; ait quippe aut vincam et habebo quo victor increpem meos aut vindicabor de inertibus mortuus, cum qui pugnare noluerunt fuerint indigno subiecti. cedat Lavinia coniunx: novissimum posuit quod fuerat ipsi quoque Latino contrarium, ut de filiae 30

2 *haut haec* V. 6 *semel* V *simul* nos om. ed. 9 *describtorem* V (supra recte). 10 *facto* V *a facto* ed. 11 *oriundo* V *origine* ed. 17 *fatum* V *factum* ed. 23 *et quibus* V *et* del. ed. 24 *per hoc* ed. 26 *firmaret* V *probaret* ed. | *vinco* V corr. ed. 27 *vindicabor* V *ulciscar* ed. 28 *cum qui* V *cum quibus* HO *ut his cum quibus* ed. | *fuerint* V *sint* ed. | *indignos abiecti* V *indigno subi.* ed. *indigne s.* ed. post.

nuptiis non ipse, sed certaminis exitus iudicaret; et in ipsum oblique hoc dictum est, scilicet quasi, si ipse Turnus cecidisset, digno perdito invitus sortiturus esset indignum.

Olli sedato respondit corde Latinus: et hic modum 5 futurae orationis ostendit maturum, temperatum, consilio rectiore conceptum. sedato, inquit, corde, quia de Turno dixit „atque ita turbidus infit". adsignavit igitur orationem turbidi iuvenis, prosequitur sapientis et senis. *o praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci virtute exuperas tanto* 20 10 *me inpensius aequum est consulere atque omnis metuentem expendere casus:* ex Latini persona necessarium cunctis inducit poeta tractatum: conparat enim mala iuventutis et senectutis bona. in iuvene, inquit, quantum eminet corporis virtus tantum in omnis casus inconsulta temeri- 15 tate raptatur, sola meliorum spe iuvenis ducitur, totum fore prosperum putat nec in eventu factorum praevidet quicquam vel metuit adversum. in sene minor corporis virtus, sed maior consulendi substantia, omnia expendit et ante omnis incerta pertractat longique temporis casibus 20 eruditus tuta invenit volvendo consilia; abest a sene teme- ritas, cuius mala aut in aliis vidit aut ipse aliquando persensit; cavendum existimat prudentior senex tempusque vel maxime formidat et locum, et magis ubi mors media est ferrumque tractatur. redeamus igitur ad praepositam 25 speciem et quid artis habeat exponamus. o praestans animi iuvenis: laudat eius iuventutem et animum praefert qui suasurus fuerat ne pugnaret ideo, quia, si inter initia diceret se armis eius diffidere, propterea quod esset inferior, cetera non libenter audiret. senserat tamen eum metuere 30 singulare certamen et hoc dissimulato fingit laudem ac dissuasionem suam adscribit incertis, quo hominis non properet iniuriam et id consulentis animo quam obtrec- tantis facere videretur. quantum ipse feroci virtute ex-

---

4 *soli* pro *olli* V. 9 *ipsi* V. 13 *in iuvene* V *iuveni* ed. 19 *ante omnis* V *a. omnia* ed. 25 *habet* V corr. ed. 28 *prop- terea — inferior* V temere mut. ed. 30 *finxit* ed. 31 *quo* — 32 *properet* V temere mut. ed. 32 *quam* V *potius qu.* ed.

uperas: satiat hoc ipsum quod in Turno laudabat et, cum sufficere deberet praestans animi iuvenis, addidit quantum ipse feroci virtute exuperas, ut apertiore dicto erigeret audientem. tanto me inpensius aequum est consulere atque omnis metuentem expendere casus: praestas, inquit, vir- 5 tutis bonis, sed solet virtus ipsa nonnullis casibus decipi, proinde decet me providere commodis tuis et in eam partem inprovidum ducere quae sit ceteris cautior; non est quippe inane quod metuo. servat enim metus tutius consulentis et quos temeritas decipere potuit interire non patitur. *sunt* 10 *tibi regna patris Dauni, sunt oppida multa capta manu nec non aurumque animusque Latino est; sunt aliae in-* 25 *nuptae Latio et Laurentibus agris nec genus indecores:* quis erit, inquit, novus fructus, etiamsi optime valueris (scio enim spe duci aliqua pugnaturum)? ut conquiras imperium? 15 habes patris quod ad te possit sine cuiusquam invidia et sine periculo tuo iure legibusque transire; sed latitudo te delectat imperii? habes multa oppida quae aliorum labor cepit et plurimorum subiugavit industria. si suffragium meum divitiasque desideras, utrumque tuis partibus spondeo. 20 si uxorem quaeris, non solum filiam meam Italia genuit, denique plures suppetunt intactae nec facultatibus dispares nec dissimiles sanguine. quid igitur per salutis discrimen obtinere contendis quod habes in promptu et potes via tutiore conquirere? ecce quanta subtilitate instruxit furentem 25 et volentem in gladios ruere! quanto circumitu venit ad eam partem qua diceret non potes accipere filiam meam, propter quam pugnare contendis! nec tamen apertius aut abrupte hoc ipsum protulit, sed dicendo habes alias easdemque praeferendo ostendit ipse aliam se gerere volun- 30 tatem. *sine me haec haut mollia fatu sublatis aperire dolis, simul hoc animo hauri:* quando ad causam venit quae

---

5 *virtute bonus* ed. 9 *totius* V *tutius* nos om. ed. 11 *multa capta* V ed. *capta multa* optimi Verg. libri. 16 *cuiusdam* ed. 21 *solum* V ed I *solam* ed F. 26 *circuitu* (et infra *circuitione*) V, sed cf. prooem. p. 4. 29 *abructe* V. | *eas denique* ed. 31 *aud* V.

Turnum excarnificare potuisset, si permittis, inquit, dico
et remota circumitione remotaque ambage res non leviter
transeundas verbis aperio. facile enim sperabat eum a
certamine avocari posse, si evidentius sciret quod coniunc-
5 tionem Laviniae post quemlibet eventum non esset habi-
turus. haec sunt quae dixit haut mollia, quia non erat
molle tractare de votis filiae et illi durum esse poterat
quod contra spem fuerat cogniturus. ad hoc pertinet et
sine me, ut quasi ex illius permissu diceretur quod nolebat
10 audire. simul hoc animo hauri propterea adhibitum est,
quod difficile fuerat admittere in animum eam negari sibi
pro cuius amore volebat et mori. *me natam nulli veterum
sociare procorum fas erat idque omnes divique hominesque
canebant:* agit causam suam apud eum quem a coniunc-
15 tione propria ratione potius reddita quam auctoritate patris
volebat excludere. nuptias, inquit, filiae meae numquam
ut patres ceteri habui in potestate mea; harum enim sibi
iudicium numina vindicarunt non occulte nec dubie. nam
et ipsa ostenderunt quid vellent quidve esset curandum
20 et vatum omnium consensus edocuit. hoc idcirco dicitur,
ut illud omne quod negabat adsereret non suae, sed deorum
esse sententiae ac per hoc sibi adscribendum non esse in
quo paternum cessaret arbitrium. verum autem Latinum
dixisse idque omnes divique hominesque canebant mani-
25 festum est; nam septimus liber ostendit et vatem haec
locutum esse et Faunum. interea, dum adstruit excusationem
suam, etiam ipsi Turno ingerit metum, ne ulterius inlici-
tum quaerat, addens iam datas esse poenas, quod contra
vetitum esset admissus, et, si in errato duraretur, futuras
30 esse peiores. ait enim *victus amore tui, [cognato sanguine
victus]:* feci etiam in hac parte contra vetitum cognati
sanguinis contemplatione permotus, ut te deligerem generum

---

4 *vocari* V *avocari* ed. 11 $\overline{qn}$ V *quando* ed. ex $\overline{qd}$ archetypi corruptum ratus *quod* scripsi. 13 *dividique* pro *divique* V. 21 *sed eorum* V ed. 25 *haec* V *hoc* ed. 30 *cognato* — 31 *victus* deest in V, sed explicatur. 32 *diligerem* ed.

qui marito filiam dare iubebar externo. non vacat quod dixit cognato sanguine victus; qui enim nolebat dare debuit cognatum adserere propter vim responsi, ne se Turnus ex-
30 ternum magis esse contenderet. *coniugis et maestae lacrimis:* et hic addendum est victus, cum his, inquit, accederent 5 miserabiles fletus uxoris, quam pro tuis commodis tristem ulterius videre non potui, feci victus quod mulier voluit, non quod superum praecepit auctoritas. *vincla omnia rupi:* cum a iussione caelestium statutorum consilium animi mei omnia ista traxissent, nexus omnis religionis abrupi. quid 10 enim non adversus homines facerem violenter qui violaveram deos? exponit iam quid sit vincla omnia rupi. primum, inquit, *promissam eripui genero:* quam gravia ista sunt quorum reatibus se memorat etiam humanis legibus inplicatum! decedere enim de fide et negare pro- 15 missum in tali causa gravem senio virum, regem quoque, cuius in omnibus causis plena expectaretur auctoritas, et fallere eum quem delegerant numina, adferre nexibus vim, rumpere quod religionum foederibus fuerat conligatum, eripere eam quae ex causa promissi alieni esset iuris effecta 20 quanti sit sceleris manifestum est. tantum hoc loco Vergilius contractibus tribuit, ut hos etiam sola promissione velit esse firmatos, ut traditio virginis executio sit promissi, ex qua nascitur coniunctionis adfectus. usque adeo hoc verum esse contendit, ut generum diceret cui non 25 dederat filiam suam. *arma inpia sumpsi:* ecce trepidum se dicit extitisse et armasse manus inpias ferro, merito inpias contra filiae virum, quem in societatem familiae promissi honestate suscepisset. omnia haec dicta sunt pro causa et pro persona eius cui haec ingerebantur. nam 30 multa conposuit Latinus dicta vel facta et haec veris ad-

---

1 *iubebat* ed. 2 *nolebat* V (cf. v. 40) *volebat* ed. 3 *propter* — 4 *contenderet* om. ed. | *se* post *externum* iterum scripsit V. 9 *conflictum* V ed. *consilium* nos cf. v. 2. 11 *non* om. ed. 16 *grave* V corr. ed. | *senio* V *non decet* ed. 20 *ex causam* V. 24 *affectus* V *effectus* ed. 31 *facta* V *falsa* ed., sed falsi notio verbo *conposuit* subest.

miscuit, ut etiam ipsa pro certis acciperentur: nam nec sic Turnum amavit ut generum nec in negotio eius suasu victus est coniugis aut fletus admisit uxoris, sed simulavit ista, ut Turno potius consulere in salutis periculo videretur
5 quam eundem ipsum a coniunctione filiae revocare. *ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur bella vides, quantos primus patiare labores:* coniecturale tenuit argumentum et illud prosequitur quod pro vero posset admitti. mala, inquit, quae mihi acciderunt et tibi, Turne, considera;
10 haec enim iudicabis poenam esse admissi sceleris et pro violata deorum maiestate supplicium; nec ulla ipsius rei probatio necessaria est, cum omnia subiecta sint oculis tuis. quae passus sim nosti quaeve ipse adhuc patiaris intellegis. *bis magna victi pugna vix urbe tuemur spes* 35
15 *Italas:* si semel esset male pugnatum, daretur hoc eventui: bis pugnatum est et fortiter quidem atque ita, ut obtineri debuisset, nisi offensa numina prosperitatem omnem in aliam partem facta nostrorum caede vertissent. atque utinam malis ipsis venisset finis aut saltem minus vigerent!
20 at nova et pertinaciter continuata perdurant, sequuntur indefessa miseros et spem nostram deterius premunt. quid iam speratur prosperi, cum extra urbem perierint omnia et vix tueamur quae retinemus inclusa? argumentum istiusmodi qua arte a tempore, a numero et accidentibus duxit!
25 a tempore sic: ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur bella vides, cur, inquit, ex illo tempore mala exorta sunt quo fides est mutata Troianis? a numero: totiens; ab accidentibus: victi. adseruit coniecturae partibus intentionem suam, transit ad ea quibus mala ipsa conprobet
30 tolerari non posse. *recalent nostro Tiberina fluenta sanguine*

---

6 *quanto* V. 13 *sim* V *sum* ed. 16 *ita* om. ed. 17 *victoria* post *debuisset* interpos. ed. 18 *vertissent* V *avertissent* ed. 19 *venisse* V corr. ed. | *autem minus* V *aut saltem m.* nos *m. autem* absurde ed. | *vigent* V ed. 20 *ut* V *at* nos *ac ut* ed. 22 *perierunt* V ed. 23 ante *istiusmodi* semirasum *ipsius* habet V. 24 *et* V *et ab* ed. | *accendentibus* (infra *accedentibus*) V corr. ed. 28 *victi* V *vero* ed.

adhuc campique ingentes ossibus albent: tanta, inquit, strages funerum fuit, ut Tiberini fluminis gelidos cursus et magnos etiam nunc caesorum sanguis tepidos fecerit. Tiberina fluenta invidiose dixit, quae, cum ingentia essent et gelida vehementer, admixtione tamen calentis humani sanguinis 5 superata tepuerint. nostro sanguine non vacue posuit, ne diceret Turnus tepuerunt sanguine Troianorum potius quam nostrorum aut, quod admitti facile potuit, utriusque partis fuisse. campique ingentes ossibus albent, eorum scilicet quorum sanguis apparebat in flumine. omnis miseratio 10 facti non expressa est, nisi quod camporum spatia non angusta, sed lata nec unius campi sed plurimorum sic una facie humana ossa contexerant, ut nihil nisi album oculis intuentis occurreret. *quo referor totiens? quae mentem insania mutat? si Turno extincto socios sum adscire paratus,* 15 *cur non incolumi potius certamina tollo?* magna sese commotione animi reprehendit et vera, qua simul Turnum terret et quasi eius commoda se tractare significat. sed ego, inquit, in quas avocor partis, ut deseram sana consilia? aut qua insania in contrarium ducor aut trahor? 20 si enim extincto Turno paratus sum tenere Troianos, cur non hoc ipsum sublata pugnandi crudelitate perficio, ut illius salus maneat et tua et luctuosi certaminis non emergat adversum? adhuc subtilitatem loquendi retinet nec evidentius vult aperire quid sentiat, et tamen per ipsam 25 verborum caliginem potuit videri quod dictorum subtilitate tegebatur. illud enim, quicquid fuerat, intellegi potius voluit quam evidentius nosci, quod, si nollet Turnus sibi recedendo consulere, daturus esset Latinus ipse malis omnibus finem. quid est hoc quam fateri se Aeneae partis 30 cum traditione filiae secuturum, quae fuit causa pugnandi?
40 *quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet Italia, ad mortem*

---

4 *quae* om. ed. 6 *nostro* — 8 *nostrorum* omissa parte parte mutata deformavit ed. 8 *partes* V corr. ed. 13 *facile* V ed. *facie* nos. 15 *accire* ed. 19 *advocor* ed. 20 *qua* V *quia* ed. 23 *maneat* V *m. et* ed. 30 *quod fateri se* V *quam f. s.* nos *quod fatetur* ed.

si te (Fors dicta refutet) prodiderim, natam et conubia nostra petentem? adhuc propter vim responsi, quod dictum est „externi venient generi", perseverat ut Rutulos adfines suos et consanguineos dicat. quid, inquit, consanguinei mei
5 Rutuli, quid ceterae Italiae partes dicent, si te tali certamini commisero in quo minus spei est et plus timoris? ceteram Italiam de ea parte videtur dixisse quae procul fuit ab ea in qua bellum gerebatur. qui enim praesentes erant noverant causam et nihil secus de Latino poterant
10 loqui, quia omnes uno consensu dixerant solos debere pugnare qui nuptias Laviniae perquirebant. si igitur, ait, te permisero solum cum solo pugnare et ad mortem te, quod Fortuna prohibeat, res ipsa perduxerit, quid dicent qui nesciunt causam, quia prodidi te et adfinem et petitorem
15 filiae meae? hic locus nisi cautius fuerit pronuntiatus, intellectum integrum non dabit. Latinus enim ubi necessitatem passus est nominandi triste illud quod in Turno metuebat, ne omen adferret pugnaturo, interposuit Fors dicta refutet, ut quod dicturus fuerat de morte Turni nec
20 audiret Fortuna nec faceret. ergo, cum pronuntiamus, sic debemus distinguere quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet Italia, ad mortem si te et suspendere, ut separatum sit Fors dicta refutet et sic sequatur prodiderim, sic rursum separandum natam et conubia nostra petentem. ordine-
25 mus iam totum: quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet Italia, si te petentem natam et nostra conubia ad mortem prodiderim? Fors dicta refutet. hoc est Fors dicta refutet quod est in usu vulgi „quod non faciat deus"; nam triste aliquid nominaturi optant primo ne accidat,
30 ne omen adferre videantur. optimo verbo usus est prodiderim; quippe ostendere voluit non uno genere fieri proditionem. quapropter definiit quid sit prodere; non enim revera ille solus est proditor qui auro venditat patriam

---

1 *frons* pro *fors* V. 3 *perseveratur* V *perseverat ut* ed. 8 *in* om. ed. 20 *auderet* edF. 21 *consanguinae* V. 22 *ad mortem* — 26 *Italia* om. ed. 32 *definit* ed.

aut exercitum decipit aut necandum hostibus aliqua fraude transcribit, proditor etiam ille est, inquit, qui furentem patitur ire in mortem neque eum revocat ad salutem. quo magis Latinus reum se apud suos detineri posse adserebat, si adfinem suum eundemque filiae petitorem, inparem satis, 5 propositis sineret condicionibus inplicari. ergo Fors dicta refutet et prodiderim ostendendae benivolentiae causa sunt posita, ut quod Latinus dicebat adversum id non optantis animo, sed monentis protulisse videretur atque eo genere, ut dictum est, demonstraret benivolentiam suam, cum casum 10 mortis luctuosum ac tristem etiam in ipso dicto se doceret horrere: proinde Fors dicta refutet, ut Fortuna non admitteret et recusaret omen dicti, quo Latinus, licet occulte, Turni nominaverat mortem. hoc et Terentius in Andria (3, 3, 36) posuit aliis verbis expressum; ait enim „si 15 eveniat, quam dii prohibeant, discessio“, prius optavit ne accideret et sic protulit quam optabat ne fieret. *respice res bello varias:* respice et ad animum et ad oculos pertinet, sed hic ad animum solum, ut varios casus belli animo consideraret et cederet. *miserere parentis longaevi,* 20
45 *quem nunc maestum patria Ardea longe dividit:* miserere, inquit, patris tui, ne, cum se adverterit orbatum in senectute perindeque sine te tutum esse non posse, ipse quoque de fatis ultimis cogitet. miserere, inquit, ne decipias patrem, ne decipias senem. hoc ipsum miserere quam 25 optimi patris dictum est! noverat quippe ex casibus orbitatis suae quid mali esset perdere filios iuvenes senem, quos iam non posset in aliis reparare. quem nunc maestum patria Ardea longe dividit: mortem, inquit, tuam quam graviter laturus sit ex eo coniecta, quia quod incolumis 30 abes ab eoque longe discretus es aequo animo non potest ferre.

---

5 *peditionem* V *petitorem* corr. ed. 6 *sineret* om. ed. | *implicaret* ed. 14 *terrentius* V. 15 *alios* V corr. ed. 16 *quod di* Terentii libri. 17 *acciderent — fierent* V corr. ed. 27 *quod* in *quid* corr. V. | *male* V corr. ed. | *si iuvenes* V *si* delevi ut per dittogr. insertum *praesertim* i. ed. 30 *qui* V ed. *quia* nos.

Hautquaquam dictis violentia Turni flectitur, exuperat magis aegrescitque medendo: loquebatur Latinus, sed animus Turni non tantum non frangebatur persuasione commoda verum etiam quasi quibusdam stimulis urgebatur in furiam
5 potius medicina loquentis quam revocabatur ab intentione sua. fiebat quippe et ille commotione deterior, ut solet non proficiente medicorum opera ire in deterius quod dolet aut saevit. *ut primum fari potuit, sic instilit ore:* ut fari potuit, hoc est non quando voluit, sed quando potuit, quia
10 expectabat Latinum, ut quae dicebat loquendi fine concluderet. dicendo quando potuit loqui tunc locutus est etiam illud accipi potest, Turnum etiam ante Latini dicta rumpere voluisse, sed haec, cum invitus acciperet, tolerasse silentio propter personae reverentiam. *quam pro me curam*
15 *geris hanc precor, optime, pro me deponas letumque sinas pro laude pacisci:* facis, inquit, quod bonus consultor et egregius parens, ut feras pro me quem diligis curam, melius tamen pro me facies, si eiusmodi sollicitudinem ponas. ecce et ipse subtilis est; nam quia dictis eius qui totum habuit
20 in potestate apertius resistere non poterat, utitur suadentis et deprecantis officio definiens quid sit utile. ait igitur utile esse arbitraris ut vivam meam mortem omni cautela formidans: sine me, optime pater, subire quod metuis; praestat quippe de campo referri mortuum quam ipsam
25 cedendo maculare virtutem. quod ait optime et postea patrem appellavit, loqui voluit ut gener. quod dixit sine me, personam suam ut inferioris inplevit, ut, si quid esset in ea causa faciendum, fieret ex potioris arbitrio. occurrit his generibus illi parti quae gravior fuit quamque ad ob-
30 tinendum Latinus tenuerat et profuturum adseruit quod

---

2 *acgrescitque* V *ardescitque* Don. legisse in cassum susp. Hoppius. 5 *incensus* ante *potius* interpos. ed. | *revocatur* V *-abatur* nos *-atus* ed. 6 *ut ille* V ed. *et i.* nos. 7 *ire* V *iret* ed. | *quod* V ed. *qui*? 13 *noluisse* ed. 15 *regis* pro *geris* V. 18 *deponas* ed. 24 *praestat* in fine versus *bat* in principio sequentis V *praestabat* edF *-bit* ed. post. *-at* nos. 28 *expositoris* V ed. *ex potioris* nos. 29 *quamque* V *quam* ed.

ille putabat adversum. incipit alterius lateris inferre trac
50 tatum: *et nos tela, pater, ferrumque haut debile dextra spargimus, et nostro sequitur de vulnere sanguis:* non solius hostis, inquit, acutum est ferrum nec solus ille novit ferire congressum. tela sunt quae etiam ipsi portamus, tela quae 5 gerimus, quae cum sint satis apta certamini tunc magis hostibus inimica cum forti destinatione quatiuntur; dextra mea tantum in certaminibus viget, ut spargat tela (spargere ostentationis est, quasi semel multa iactare et simul quam plurimos sternere); novimus sic hostem petere, ut ictum 10 nostrum plaga sequatur et sanguis. hoc dicto illud cupit adstruere, quod totiens feriat quotiens miserit ferrum nec aliquando frustretur, sed semper quem prosternat inveniat. nostro ait de vulnere non sui corporis, sed hostilis, hoc est ad vulnera quae fecerit dextera mea. *longe illi dea* 15 *mater erit, quae nube fugacem feminea tegat et vanis sese occulat umbris.* quem, inquit, timebo, qui tunc tutus est cum ingenio matris et muliebri inventione defenditur, obtentu scilicet nubis et subsidio tenebrarum? tantum in manus meas ille perveniat, negabit inbelli virtus mea 20 operam matris et cunctarum fraudium ludibriosa commenta.

At regina nova pugnae conterrita sorte: novam dixit ipsi Amatae, non incognitam omnibus et quasi numquam in aliis certaminibus visam. sortem accipere debemus genus condicionemque pugnandi. cum igitur regina dispositionem 25 futuri certaminis Latini et Turni tractatibus accepisset,
55 omni dispositione permota *flebat et ardentem generum moritura tenebat:* praecedentibus vocem lacrimis retinere generum nitebatur ardentem et incendium iuvenis fletus ubertate restinguere. moritura, inquit, agebat communem 30

---

2 *et cum nos* V *cum* atramento expunctum. 3 *sanguinis* V. 5 *congressu* ed. 7 *patiuntur* V corr. edF. 8 *viget* V *urget* ed. 9 *quasi semel* V cf. 1, 720 *q. simul* ed. | *et simul* V ed. *et semel*? 12 *nec* V *ne* ed. 14 *de* om. ed. 18 *optenta* V *obtenta* ed. -*u* nos. 19 *in nubis* V *in* delevi *in nube* edF. 21 *opera* V ed. -*ram* nos. | *maris* V *matris* ed. | *fraudum* ed. | *commenia* V corr. ed. 28 *moritura* V ed. *monitura* Verg. libri. 30 *restringuere* V *restringere* ed. *restingere* ed. post.

causam et coniunctum cum suo periculum depellere cupiebat; decreverat quippe illum eventum certaminis sequi qui excepisset et Turnum. *Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae tangit honos animum:* habent singula vir-
5 tutem suam. commemoratio enim in primo nominis nonnullum veri amoris monstrat adfectum. per has lacrimas non referentis est vox, sed demonstrantis; maior quippe oculorum quam aurium fides est. ceterum si dolorem mentis adsereret, quoniam in occulto est, dubitare de eo posset,
10 remaneret incertus. lacrimae vero doloris nuntiae, doloris indices, doloris testes et tunc maxime certiores cum vocem ac verba praeveniunt. lacrimae probant quid geratur interius et ostendunt cordis animique tormenta. ego, inquit, te, hoc est ego quae te plurimis praetuli, ego quae te ut
15 filium diligo, ego quae te mariti mei sensibus tradidi, ego quae te prima generum dixi, te optimum, te dignum filiae virum. si animi tui reciprocam mereor vicem, admitte quid dicam. *spes tu nunc una senectae, tu requies miserae:* tu idem una spes miserae senectutis meae, tu
20 singularis requies, nec est alia praeter te. *decus imperiumque Latini te penes, in te omnis domus inclinata recumbit:* ornamentum nostri nominis et generis tu es, in te omne pondus nostrae posteritatis incumbit. hoc ideo quia quod inclinatum est, ni auxilio sustinetur alterius, mox cadet,
25 si subtrahatur quo fertur et regitur. ergo cavebat haec ne cum Turno caderet quod non sine adminiculo eius poterat perdurare. haec dicendo ostendit se illud suasuram ne se singulari pugnae committeret. atque ut hoc melius conprobaret puro adfectu descendere, causae Turni
30 suam quoque coniunxit dicens *unum oro, desiste manum* 60 *committere Teucris:* unum, scilicet quod fuerat solum et

---

5 *commemorationem* V *-tio* ed. *-tio enim* nos. | *in prima* V *in primo* nos *primo* ed. 9 *quoniam* V *cum* ed. | *posset* V ed. *p. et*? 14 *ego quae te ut* — 15 *tradidi* om. ed. 16 *prima generum dixi* V corrupit ed. 24 *in auxilio* V *ni aux*. ed F. | *sustineatur* ed F. 27 *perducere* V *perdurare* ed. 31 *quam* V *quod* ed. (cf. *quod* pro *quam* v. 39).

in quo omnis securitas fuit. ecce cautior Latino mulier, apud quam maior fuerat metus; nam cum id ageretur ne solus Turnus cum solo Aenea pugnaret, haec dicebat cum Teucris omnibus non esse certandum. *qui te cumque manent isto certamine casus et me, Turne, manent:* ne funestum 5 aliquid nominaret aut triste, generaliter dixit quicumque casus, subnexa tamen quid metueret prodiderunt. ait enim *simul haec invisa relinquam lumina nec generum Aenean captiva videbo:* ecce Turni metuit mortem; nam quomodo posset Aenean videre generum, nisi Turnum primo vidisset 10
65 extinctum? *accepit vocem lacrimis Lavinia matris flagrantis perfusa genas:* Lavinia, inquit, vocem matris lacrimantis accepit et virginalis verecundiae signa ipsius vultus sui permutatione monstravit. noverat enim se propter illa omnia geri et sponsione media mortis duos perniciosa ob- 15 stinatione contendere. *cui plurimus ignem subiecit rubor et calefacta per ora cucurrit:* calor enim plurimus concitat ruborem in vultu et frigus facit e diverso pallorem. *Indum sanguineo veluti violaverit ostro si quis ebur aut mixta rubent ubi lilia multa alba rosa, talis virgo dabat* 20 *ore colores:* per admirabilem parabolam Laviniae vultus ostenditur. talis enim fuit quale est ebur quod natura candidum ostro contactum grata varietate distinguitur aut
70 cum alba lilia rosarum rubori miscentur. *illum turbat amor figitque in virgine vultus, ardet in arma magis paucisque* 25 *adfatur Amatam:* cui suadebatur ne se committeret pugnae videndo materiam calamitatis suae magis magisque flammatus est. agitabatur enim amore virginis et aspectu diuturno nec iam verbis a certamine poterat revocari, sed magis inpellebatur in pugnam, utpote qui obstrusis 30 auribus virginis . . . . . in contrariam partem trahebatur.

---

7 *subnexa* V *subnexuit* ed. | *prodiderunt* om. ed. 8 *haec* om. ed. 14 *propter se* ed. 19 *ebura ut mixta* V *ebur mixtave* ed. 22 *qualis* V ed. *quale* correxi an *coloris* excidit? | *naturae* V corr. ed. 23 *contractum* V *contactum* nos *constratum* ed. 27 *inflammatus* ed. 31 post *virginis* lacunam signavi, quia cum sequentibus vix coniungi potest, *amore* excidisse puto.

paucis respondit; qui enim tanti mali necessitate raptabatur in bellum et proposita condicione in campum cogebatur exire non debuit plurimis loqui. *ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto prosequere in duri certamina Martis euntem,* 5 *o mater:* quae salutem meam incolumem cupis et ominibus prosperis hortari debes in bella pergentem (quicquid enim illic geritur triste est et non debet ominibus quoque tristioribus onerari) fundis lacrimas et lugentis specie prosequeris pugnaturum; non conveniunt ista nostrae personae 10 vel tempori, laeta debent occurrere oculis meis, ut laetum possis videre redeuntem. multum premunt humanos actus, si dura sint, omina, multum vero sublevant, si fuerint laeta. *neque enim Turno mora libera mortis:* sic ante eventum pugnae lacrimas fundis, quasi sit libera potestas 15 adversis. non est, mater, liberum vivere, non est liberum mori. *nuntius haec, Idmon, Phrygio mea dicta tyranno* 75 *haut placitura refer:* tantum sibi adrogavit, ut prior mandaret et prior certamen indiceret, atque hoc ipsum cum superbia sua et cum iniuria melioris dicens Aenean Phry- 20 gium, quasi, ut superius dixit, desertorem Asiae, dicens etiam quod non esset Aeneae placiturum ut soli pugnarent. *cum primum crastina caelo puniceis invecta rotis Aurora rubebit, non Teucros agat in Rutulos, Teucrum arma quiescant et Rutuli, nostro dirimamus sanguine bellum. illo* 80 25 *quaeratur coniunx Lavinia campo:* cum dies, inquit, coeperit exoriri et adhuc rubet aurora, veniat solus ad campum, non ducat in Rutulos quemquam, conquiescat omnis exercitus atque omnibus in otio constitutis noster sanguis adferat cunctis certaminibus finem et qui uxorem Laviniam 30 cupit illo eam requiret in campo.

---

1 *paucis* deest in V asteriscum posuit edF[1] *et paucis* ed. post. 4 *neve* V *ne me* ed. 5 *manibus* V ed. *ominibus* emend. ed. post. 7 *genetur* V *geritur* ed. | *omnibus* V *ominibus* edF. 12 *omnia* V *omina* ed. 17 *refert* V. 19 *Aenean* om. ed. 20 *quia si ut* V *quasi ut* nos *quia sic* ed. 26 *rubebit* ed. 28 *initio* V ed. *in otio* nos cf. v. 111. 30 *requirat* ed.

Haec ubi dicta dedit rapidusque in tecta recessit, poscit equos gaudetque tuens ante ora frementis, Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia: ubi haec dixit et ingressus est domum, produci equos iussit, quod autem illos vidit frementis, gratulatus est; arbitrabatur enim ex eorum fremitu omen 5 optimum pugnae, cui fuerant necessarii. hos equos ad ornatum Orithyia dederat Pilumno, avo eiusdem Turni. *qui candore nives anteirent, cursibus auras:* anteirent commune est positum; et colori quippe respondet et cursui: ut sit anteibant illi nives candore, anteibant cursibus ventos. 10
85 *circumstant properi aurigae manibusque lacessunt pectora plausa cavis:* circumdederant eos ministri sui et veluti quibusdam verberibus manuum futurum certamen sentientibus denuntiabant; cava enim manus non dolorem facit, sed excitat certaturum. *et colla comantia pectunt:* norunt 15 etiam equi quid futurum sit, cum eriguntur hortatibus aut conponuntur, ut placeant. *ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco circumdat loricam umeris:* illa equis fiebant, ipse quoque sumebat munimenta corporis sui et primum quidem umeros suos lorica circumdabat, quae auro 20 et orichalco fuit splendida. *simul aptat habendo:* ut bene haberi posset et ferri, aptabat hanc diligenter. *ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae:* ad haec quoque pertinet quod dixit simul aptat habendo; quod enim bene aptatur et apte fertur gestantem relevat, quia levius red- 25
90 ditur. *ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti fecerat et Stygia candentem tinxerat unda:* laudavit equos ex occasione illius quae dederat Pilumno, laudat et gladium, quia illum Vulcanus suis manibus eidem fecerat Pilumno. et Stygia candentem tinxerat unda: consecrationem quandam 30 ensis ostendere voluit factam, quia Stygia unda fuerat tinctus, ut quasi invictus haberetur et quemcumque vulne-

---

3 *de eius* pro *decus* V. 9 *colore* V corr. ed. 13 *verberibus* V *veteribus* ed F. | *manuum* om. ed. 22 *aptat* ed. 23 *clipeum* V *que* atramento suppletum. 25 *putatur* V *portatur* ed. *aptatur* nos. 26 *deos* V. 28 *quae* V *qui* ed. 29 *Pilumno* V ed. *Dauno* ait Verg.

rasset celerius interiret. simul etiam docuit artis necessariam partem; nam modus est certus quo candens ferrum aquae frigidae mergitur, ut ex utroque temperatum nec dissiliat satis durum nec rursum inefficax fiat, si plurimum fuerit
5 molle. *exin,* hoc est exinde, *quae mediis ingenti adnixa columna aedibus adstabat validam vi corripit hastam:* et hastam laudat et magnitudinem suam et Turnum qui hanc poterat virtutis tractare substantia. hasta laudatur, quia tam magna fuit, ut ingentis columnae adminiculis stare
10 posset et regi, quod fit, ne curvatae hastae usum necessarium perdant. hanc, licet esset pro sua magnitudine ponderosa, rapuit Turnus; tanti enim etiam ipse roboris fuit, ut illam non tolleret, sed corriperet. corripere est aliquid sine conatu ac difficultate conprehendere. hanc
15 igitur aliis gravem et satis onerosam Turnus rapuit pro levi. rediturus ad laudem hastae et quod de ea minus dixerat conplet: *Actoris,* inquit, *Aurunci spolium:* occiso Actori Aurunco fuerat detracta, digna scilicet quae reportatam de fortissimo viro victoriam testaretur. *quassatque*
20 *trementem vociferans:* hanc frequentius commovens his ad- 95
locutus est Turnus, voce scilicet clara, quia multis animi necessitatibus fuerat excitatus. trementem proprie dixit; quicquid enim longum est non secundum longitudinem validum tremit cum fuerit motum. *nunc, o numquam*
25 *frustrata vocatus hasta meos:* hasta, inquit, fortis, hasta ominis boni, quam, quotiens invocavi, sensi commodam et cum qua superior remeavi de campo. *nunc tempus adest:* quoniam gravior hostis occurrit et dura pugnandi condicio, nunc adest tempus ut ultra solitum morem favorem tuae
30 virtutis et felicitatis ostendas. *te maximus Actor, te Turni nunc dextra gerit:* nec prioris domini meritum te deprimere convenit nec praesentis. non, inquit, ceciderunt merita tua nec post illius Actoris maximi excessum te portat in-

1 *certis* V ed. *artis* nos. 3 *desiliat* ed. 4 *rursum* om. edF. 5 *in mediis* ed. 9 *ingentis* V *sine i.* edF. 10 *posset* V *non p.* edF. | *curvata* V corr. ed. 12 *enim* om. ed. 18 *auctori* V. 27 *cum quam* V. 28 *quoniam* V *quum* ed.

ferior. subicitur petitionis modus: *da sternere corpus loricamque manu valida lacerare revulsam semiviri Phrygis*
100 *et foedare in pulvere crinis vibratos calido ferro murraque madentis.* colligit petitionis summam in ea adserens difficile non esse quod postulabat. fecit autem hoc, utpote qui 5
fureret; ceterum hasta verba eius nec sentire poterat nec audire, usus est tamen suasoriae partibus dicens quid cuperet provenire: praesta, inquit, sternamus hostem nec metuas eum qui virili corpore est et animis femina; denique gerit crinis muliebri more conpositos, crispatos ferro 10
candenti et madidos murra. turbemus igitur quod ille cum feminis diligit, sternamus campo funus eius et multo pulvere turpemus unguenta et quicquid ad virorum infamiam ars ludibriosa conposuit obscuret terra tenuis et harena confundat. pereat cui displicet esse quod natus 15
est, pereat qui non se virum cupit apparere, sed feminam, pereat criminosum studium quod contra naturam rerum nititur, ut maculato sexu quem indigne sortitus est feminas potius contendat superare quam viros. *his agitur furiis:* quando enim sanis esse sensibus posset cuius ante oculos 20
stabat forma virginis et roseus candor? *totoque loquentis ab ore scintillae absistunt:* absistunt hoc est exire non cessant. *oculis micat acribus ignis:* in his signa ista videri sunt solita qui conceptae iracundiae congruos exitus invenire non possunt. *mugitus veluti cum primum in proelia* 25
105 *taurus terrificos ciet aut irasci in cornua temptat arboris obnixus trunco ventosque lacessit ictibus aut sparsa ad pug-*

---

3 *myrrhaque* ed. 6 *furebat* ed F. 7 *suasoris* ed. 8 *cupiret* V. | *sternamus* V *ut st.* ed. 9 *metua secum* V corr. ed. | *virili* V *vir* ed. | *animo* ed. 10 *conpositus* V corr. ed. | *cristatos* V corr. ed F. 11 *maditus* V corr. ed. | *turpemus* ed., quod infra habet V. 19 *contendas* V corr. ed. | *his igitur* ed. 21 *loquentis* V ed. *ardentis* Verg. libri interpr. nihil docet. 22 *assistunt* ed. 23 post *cessant* haec interpos. Fabricius: „nam assistunt pro absistunt scribitur ut supra aliquoties sustitit pro substitit" (ergo asistunt scribere debuit!) desunt haec in VHOU ed I. 26 *tauros* V. 27 *ventusque* V.

nam proludit harena: similitudo inducitur, ut ostendatur Turni inanis et nulli commodo profutura constantia: quemadmodum, inquit, taurus vanos ciet mugitu terrores et iratus incumbit in cornua luctaturque cum arboris trunco
5 ventosque sibi existimans inimicos auras pedibus verberat et adhuc procul a periculo discretus verum proludit ad bellum. proludere est ludendo imaginem quandam veritatis ostendere.

Nec minus interea maternis saevos in armis Aeneas
10 *acuit Martem et se suscitat ira oblato gaudens conponi foedere bellum:* interea, hoc est cum praedicta Turnus gerit ac loquitur, mandata eius ad Aenean nuntio perferente pervenerunt, quo facto acuere bellum coepit (acuere bellum est ad eius rigorem aliquid addere, ut crudescat potius
15 quam accedente remissione torpescat) satis laetus, quia offerebatur quod omnibus votis optabat. se autem suscitabat ira nullo hortante vel urguente extrinsecus, ipse sibi fuit hortamento; hoc dicitur, ut ostendatur optasse; non enim in factum nisi invitus inpellitur, hic, quia optatum
20 nuntium sumpserat, ipse se excitabat ad bellum. gaudebat nihilo minus per interpositam pactionem foederis futurum omnium certaminum finem. *tum socios maestique metum* 110 *solatur Iuli fata docens:* suspensos socios et fili sui metum solamine relevabat ostendens fatorum suffragio se esse
25 tutissimum perindeque suam futuram esse victoriam. *regique iubet responsa Latino certa referre viros et pacis dicere leges:* futurum inter se Turnumque certamen iubet ad regem Latinum tota maturitate perferri, ut ipse qui summam teneret potestatem pacis leges diceret. ecce quantum Aeneae
30 dedit, ut ipse consolaretur futuros in otio qui fuerat pug-

---

1 *harenam* V. 9 *sevos* V *saevus* ed. 10 *martam* V. | *cum poni* V. 11 *hoc est cum* V ed. *h. e. dum?* 12 *perferentem* V *praeferente* ed. 15 *turpescat* V. 16 *se* V *illum* ed. 20 *sese* ed. 22 post *finem* dimidius versus vacuus in V, nihil desideratur. 26 *discere* Don. legisse susp. Hoppius speciose propter *ut iam — audire,* sed obstant verba *ut ipse — diceret:* Don. locum sic intellexisse videtur: *et iubet eum (Latinum) pacis dicere leges.*

naturus, ipse gauderet universis de eventu belli suspensis adserens nihil fieri sine fatis, fata autem ipsa pro suis partibus facere, tantum vero de victoria securum esse, ut iam pacis leges desiderasset audire.

Postera vix summos spargebat lumine montis orta dies, 5
115 *cum primum alto se gurgite tollunt Solis equi lucemque elatis naribus efflant, campum ad certamen magnae sub moenibus urbis dimensi Rutulique viri Teucrique parabant,* quia sic Turnus constituerat, ut lucescente die proxima pugnaretur, mox ut exoriri coeperat lux, campum parabat exercitus 10 partium dimensione currente, ut latitudinis totius spatia ex aequo singulis provenirent. *in medioque focos et diis communibus aras gramineas:* propter consecrationem foederis aras statuebant ex gramine et parabant focos in medio, hoc est in limite, qui duas partis testabantur. effectas diis, 15 inquit, communibus, quia adhuc incertum fuit quam partem esset secutura victoria. parabatur autem ante urbem spatium certaturis, ut de muris inbellium oculis subiaceret duorum certamen et fortunae iudicium. *alii fontemque ignemque*
120 *ferebant velati lino et verbena tempora vincti:* ferebant alii 20 sacris necessaria ipsi quoque non alieno cultu vestiti vel ornati. *procedit legio Ausonidum pilataque plenis agmina se fundunt portis:* pilata dixit pilis armata, pilum autem genus est teli. plenis vero portis agmina se fundebant eorum scilicet qui securi fuerant facti de alieno certamine, 25 qui dudum fugientes murorum petiverant tuta et evidentem evaserant mortem. nunc, quia omnis aberat metus, nullo cogente certatim sese fundebant in aperta camporum. *hinc Troius omnis Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis, haut*
125 *secus instructi ferro, quam si aspera Martis pugna vocet:* 30

---

2 *sine fato* ed. 3 *tantum* V *tam* ed. | *securum* V ed. *se s.*? 7 *in certamen* ed. 8 *si//* V *sic* nos om. ed. 12 *singuli* ed. 15 *hoc* — 16 *communibus* om. ed. | ante *effectas* nescio an *aras* exciderit. 22 *agminis effundunt* V. 24 *agminas effundebant* V: ergo nescio an Don. *se effundunt* legerit, quod Vergilianorum librorum nullus exhibet, sed infra *sese fundebant* scriptum est.

variis armis, quia diversarum terrarum viri non similia arma portabant. sic autem instructi pergebant, quasi ipsi essent continuo pugnaturi; cauta provisio ut ferro instructi pergerent, ne commutata fide invaderentur ab hostibus.
5 *nec non,* hoc est sed et, *mediis in milibus ipsi ductores auro volitant ostroque decori:* quia generaliter ductores dixit, incipit singulorum nomina percurrere et eorum cultus specialiter dicere: *et genus Assaraci Mnestheus et fortis Asilas et Messapus equum domitor, Neptunia proles,* utriusque
10 exercitus duces significavit. *utque dato signo spatia in sua quisque recessit,* ubi separati sunt et in sua spatia recesserunt, *defigunt telluri hastas et scuta reclinant:* hoc enim 130 facere debuerant qui non ad pugnandum venerant, sed pugnantis spectaturi. *tum studio effusae matres et vulgus*
15 *inermum invalidique senes turris et tecta domorum obsedere, alii portis sublimibus adstant:* ecce ventum est ad eam partem, ut ostendatur qua ex causa campus provisus sit ante civitatem constitutus. aetas, inquit, inbellis et sexus simul effusa sunt, studio scilicet ducta, mulieres, senes et
20 pueri. alii muros, portas alii, alii tenuerant turris ac tecta visuri de summo certantis et eventum circa alterum probaturi fortunae. hoc est quod dictum est studio effusos; volebant enim nosse quae diximus manente favore quo alii favebant Aeneae, alii Turno; in populo quippe non iudi-
25 ciorum genere agitur, sed libidine suae voluntatis.

At Iuno ex summo qui nunc Albanus habetur (tum 135 *neque nomen erat neque honos aut gloria monti) prospiciens tumulo campum aspectabat et ambas Laurentum Troumque*

---

2 *ipsi* om. ed. 4 *con muta* V *commutata* ed. an *commota*? 8 *asarracc* V. 9 *mesapus* V. 11 *in sua* V *et in s.* ed. an *sunt* delendum? 14 *pugnantes expectaturi* V *pugnantis spectaturi* nos. 15 *et* (infra *ac*) V ed. mutare nolui. 19 *semel* V *simul* ed. | *effusa sunt* V *effusus est — ducta* ed.! 24 *Aeneae et alii* ed. | *in populo* V *ut i. p.* ed. | *quippe* V *qu. unusquisque* ed. | *iudiciorum generetur* V *iudicio gereretur* ed. *iudiciorum genere agitur* nos cf. *praeferendi genere* 11, 5. 26 *ex summo* infra *e s.* V. | *tum* omissum a librario atramento insertum est in V. 27 *honus haut* V. 28 *adspectabat* (et infra) V, sed alibi *asp.*

acies urbemque Latini: Iuno e summo tumulo montis, qui tunc nec honorem habuit nec nomen aut aliquam gloriam, nunc vero ex nomine Albae Albanus dicitur, aspectabat partis et ipsam Latini civitatem. aspectabat ad omnia pertinet, ut sit aspectabat campum, aspectabat acies utri- 5 usque partis, aspectabat et Latini urbem. *extemplo Turni sic est adfata sororem, diva deam, stagnis quae fluminibus-* 140 *que sonoris praesidet:* diva deam: varie dicere voluit, ceterum hoc est diva quod est dea. dicendo stagnis et fluminibus sonoris et stagni naturam breviter descripsit et fluminum. 10 stagna quippe non sonant, quia stant, et flumina ideo sonant, quia semper currunt et praecipitata sonitum mittunt. sonoris ergo non stagnis aut fluminibus accipiendum est, sed fluminibus solis. cum igitur dispositiones partium et cuncta quae gerebantur de summo prospiceret Iuno, 15 quia sciebat inparem Turnum, metuens ne ipsius morte ipsa quoque cum suis conatibus caderet adhibuit Iuturnam, quod ipsa quoque esset dea et Turni germana perindeque quae mandata inplere deberet et posset. *hunc illi rex aetheris altus honorem Iuppiter erepta pro virginitate sacra-* 20 *vit:* quia verisimile esse non poterat alterum ex germanis fratribus esse mortalem, alteram vero deam esse potuisse, dicta est causa quae Iuturnam ex mortali fecerat deam, et ipsa turpis. nam adquisitum honoris meritum summi dedecoris fuit, in quo et dantem et accipientem poeta 25 pariter notat dicens hunc honorem, hoc est veris diis convenientem, illi, inpudicae scilicet et tanto dedecori obnoxiae, rex aetheris altus, apud quem honestas omnis et castitas esse debuerat, utpote qui esset caeli rector et siderum, pro mercede inliciti stupri et flagitiosae libidinis praemio 30 sacravit et dedit. haec obtrectatio eo pertinet, ut Turnus ex sorore tali maculam potius haberet quam aliquam dignitatem. *nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,*

---

3 *dicatur* V corr. ed. 6 *et* om. ed. 8 *sororis* pro *sonoris* V. | *ceterum* V *certum* ed. 10 *describsit* V *scripsit* ed. 13 *non stagnis* V ed. *non de st.*? | *aut* V *et* ed. fortasse recte. 16 *mortem* V corr. ed. 20 *altos* V. 26 *hoc est* om. ed.

scis ut te cunctis unam, quaecumque Latinae magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile, praetulerim caelique libens 145 *in parte locarim:* simulata dictio et non ex animo, sed ex temporis necessitate conposita. quando enim fieri potest
5 ut uxor paelicem libenter conpellet aut amet? procedebant tamen ista veluti blando ex animo, non ut aliquis inter duas purus monstraretur adfectus, sed ut excogitata per Iunonis dolum Iuturna perficeret nympha: inde coepit benivolam facere unde potuit esse suspecta, ne contra volun-
10 tatem Iuno habere videretur quod eam stupri merito consecraverat Iuppiter. addidit decus fluviorum in eo exprimens quid sit nympha, quasi per quam meliorem gratiam habeant flumina. animo gratissima nostro: quae superlativo usa est gradu ostendit se amare et alias, sed plus istam, et
15 hoc tamen subtilitate conposuit ut cetera. tunc enim quod amaretur Iuturna poterat credere, si illa diceret moris sui esse ut omnis diligeret paelices, in eo tamen istam potioris esse meriti, quod animo eius vehementissime placuisset. scis ut te cunctis unam, quaecumque Latinae magnanimi
20 Iovis ingratum ascendere cubile, praetulerim caelique libens in parte locarim: iste sensus ordinatur sic: scis ut te unam praetulerim cunctis, quaecumque Latinae magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile, caelique libens in parte locarim. probationis loco posuit scis, ut ex eo confirmari
25 posset quod eam plus amaret quam alias. plus faciens, ut suorum praestitorum ipsam adhibeat testem, scis inquit, quasi diceret cessat probatio adsertionis meae, quando quae dico bene tibi sunt cognita, quemadmodum te dilexerim semper et praetulerim ceteris quas Italia genuit quas-
30 que tecum nosti inlicitos cum Iove habuisse concubitus, in tantum ut tibi in regionibus caeli libens fecerim partem. ecce, ut se melius commendaret Iuturnae, rerum effectus attendens suum esse mentitur quod volente Iove caeli con-

---

5 *compellat* ed. 7 *effectus* ed. 8 *iuturna* V *in Turno* ed. | *nynfa* V. 16 *oris sui* V *moris s.* nos *ex suis* ed. 17 *liceret* V *diligeret* corr. ed. 25 *quod* V *quantum* ed. 32 *affectus* ed.

sortium Iuturna commeruit. addidit etiam se id libenter fecisse; multa enim ab invitis fiunt aliqua necessitate cogente. non vacat quod Iuno suum esse confingit quod Iuturna in caelo esse commeruit quodque paelicem perosam simulat non habere. in eo quippe subtilis comminatio demonstrata 5 est; posset enim offensa tollere quod dissimulando contempserat. duas igitur necessitates habuit Iuturna quibus facere cogebatur quod Iuno cupiebat, unam quia pro fratre, alteram quia nec perosa fuit et magis putabat diligi se ab ea quae poterat odisse vehementer. interea videndum 10 est ne nos adsertionis diversitas turbet: supra enim dixit „hunc illi rex aetheris altus honorem Iuppiter erepta pro virginitate sacravit“, sequenti vero loco ait ex persona Iunonis scis ut te cunctis unam, quaecumque Latinae magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile, praetulerim 15 caelique libens in parte locarim. poeta ex persona sua dixit quod fuerat verum, Iovem pro stupri mercede consecrasse Iuturnam. quando autem ad personam Iunonis ventum est, inductum est mendacium propter effectus quos cupiebat inpleri. non enim illa Iuturnam vere diligebat 20 aut fratrem, sed agebat causam suam, ne in adverso eventu certaminis Turni ipsa cum suis conatibus caderet. peractis principiis ad ipsam negotii insinuationem venit, in qua et quid ageretur et quid conveniret fieri apertius monstrat. *disce,* inquit, *tuum, ne me incuses, Iuturna, dolorem:* quae 25 agebat negotium suum dissimulata utilitate propria fingit totum causa fieri Turni et Iuturnae. praedico, inquit, tibi fratrem tuum ad summum supplicium esse venturum, ne, cum id factum fuerit, dicas te amore meo iuvari nequisse. ecce addidit etiam hic veluti beneficia sua hoc modo: *qua* 30 *visa est Fortuna pati Parcaeque sinebant cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi:* cum Latinas res permitteret stare Fortuna et cum sinerent fata, Turnum simul cum tuis moenibus texi. recte posuit texi; non enim tegitur

---

4 *quodque* V *aut quod* ed. | *simulat* V ed. *se s.?* 20 *illa* om. edF. 27 *tibi* om. ed. 32 *cum* — 34 *texi* om. ed.

nisi quod non potest stare viribus suis. hic quoque adserit poeta fatalem necessitatem cuiusvis ope superari non posse. *nunc iuvenem inparibus video concurrere telis Parcarumque* 150 *dies et vis inimica propinquat:* noluit dicere ex aperto Aenean 5 fuisse fortiorem, dixit inparibus telis, ut heros Troius magis armorum genere quam viribus propriis esset obtenturus. addidit diem fatis ultimis debitum, ut quicquid ad Aeneae gloriam ex morte Turni redundare potuisset auferretur ei et esset magis fatorum quod fortioris dextra fuerat pro- 10 cessurum. *non pugnam aspicere hanc oculis, non foedera possum:* oculi, inquit, mei dura fugiunt et saeva videre non possunt. hoc ideo, ne Iuturna diceret tu auxiliare per te, quia plurimum potes: illa ait nec tale genus foederis oculi mei videre possunt nec tale certamen. non 15 placet concordia partium quam tui fratris firmabit interitus, funditur sanguis insontis et unius procurabitur morte quod vehementer horremus. finxit haec cogitari pro Turno nec sibi aliquid profuturum, si foedera turbarentur, et omne consiliorum commodum in Iuturnae partem plena argumen- 20 tatione transfundit, ut illa pro fraterna utilitate faciens procuraret utilia nescia quod Iunonis studio proventurum esset quicquid in ea causa labor posset adquirere. nos ita haec quae, licet dicta non sint, tamen apparent, debemus considerata inimicae persona colligere, ut idcirco pug- 25 nam ipsam videatur horruisse, ne victorem cerneret quem per infinita tempora atque innumeros casus non valuit superare. et hoc quoque videndum est, illam ipsam sic de Aeneae Turnique partibus loqui, ut praeferat Turnum et Aenean cupiat esse deiectum. nunc, inquit, iuvenem 30 inparibus video concurrere telis Parcarumque dies et vis inimica propinquat. iuvenis est noster et poterat vincere, si aequis armis contenderet aut nulla ingrueret maior vis aut ultima illum fata non premerent: quanta virtus dicen-

---

15 *placet concordia* V *mihi* interpos. ed. 16 *procurabitur* V *-bit* ed. 17 *orrimus* V. 23 *ista* V ed. *ita* ed. post. | *et tamen* V ed. *et* delevi. 26 *atque* V *ac* ed.

tis ut quod Aeneae esse proprium ex aperto patuit id in aliam partem obtrectantis aemulatione duceretur! *tu pro germano si quid praesentius audes, perge, decet:* si pro fratris salute inventiones profuturas expendas, non poteris reprehendi, quapropter perge, hoc est incipe providere 5 quod prosit, ut eius mortem penitus repellas aut differas. hic quoniam potuit dici quid proderit haec exhiberi morituro? ultro addidit *forsan miseros meliora sequentur:* in desperatione, inquit, ultima magis debet quaeri quod prosit nec deserendus est auxiliandi labor; fortassis enim muta- 10 bitur in melius fortuna, dum saevit, et erit felix qui fuerat miser, ut in integrum redditus aliquid boni, quod non sperat, inveniat. huic loco etiam sententia illa consentit (11, 426) „multos alterna revisens lusit et in solido rursus fortuna locavit". *vix ea, cum lacrimas oculis Iuturna* 15
155 *profudit terque quaterque manu pectus percussit honestum:* pulchra ratio dictionis ut ante Iuturnam diceret lacrimas effudisse et contudisse pectus et crinis dissipasse quam Iuno conpleret. sic enim poeta animum dolentis expressit, ut medium sermonem quo tristia de fratre cognoverat lacrimae 20 rumperent. hunc locum cum pronuntiamus, sic debemus distinguere, ut dicamus vix ea, hoc est statim quod ea dicta sunt, et sic sequantur cetera de lacrimis et verberibus pectoris. haec cum videret Iuno, talia subiunxit: *non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Iuno, adcelera et fratrem,* 25 *si quis modus, eripe morti aut tu bella cie conceptumque excute foedus:* cum aliud, inquit, praesens exigat tempus et id agatur, ne veniatur ad lacrimas, praeposterum est, Iuturna, quod plangis. debentur hae non periclitanti, sed

---

1 *est proprium ex aperto potuit* V *potuit* om. ed. *esse pr. ex ap. patuit* nos. 3 *praestantius* V ed.: ex interpretatione *praesentius* emendavi cf. 245; nam quod sequitur 4 *extendas* V ed. absurdum esse et *expendas* scribendum patet, idque ab expendenda pecunia praesenti Don. transtulit. 15 *oculos* V. 19 *post* V ed. absurde: *poeta* emendavi cf. 6, 892. 22 *statim quod* V *quo* edF: fortasse in archetypo *quom* scriptum erat. 24 *viderit* V *vidisset* ed. *videret* nos. 29 *debetur hae* V *debentur hae* (sc. lacrimae) nos *debentur haec* ed.

mortuo. subveniatur igitur tuo fratri, dum vivit, et fiat mature quod pro illius salute faciendum est, ne tractatus nostros mala praecipitata praeveniant. commodum satis ire obviam dubiis et eorum cursus obiectu provisionis ab-
5 rumpere, totum potest consiliorum ratio, si suis temporibus agenda iungantur. proinde, ne te fraterno dolore confusam providendi consilium deserat, quid tibi curandum sit paucis adverte. subtrahendus est quam primum morti et hic omnis opera consumenda, ut inminens certamen effugiat
10 aut, si istud nulla vi explicari potuerit, trudatur inimicum foedus e medio et confusae acies belli furore misceantur. eveniat forsitan aliquid boni, si ab unius malo in omnis fuerit belli refusa congressio. huic ne faciendi diffidentia occurreret, subiecit *auctor ego audendi:* audebis, inquit,
15 omnia haec me auctore et favore meo conplebis. *sic exhortata reliquit incertam et tristi turbatam vulnere mentis:* 160
Iuno quidem exhortata est Iuturnam et abiit, sed illa sic vulneratione mentis hebuerat, ut integri consilii substantiam perdidisset. incertam dixit relictam esse Iuturnam, ut esset
20 quod speraret et quod metueret non deesset, ne de securitate fieret neglegens aut de desperatione remissior.

Interea reges: hic distinguendum est, ne fiat per numeros vitium; de omnibus enim dictum est qui procedebant ad confirmationem foederis, separandum vero ubi singuli de-
25 scribuntur. *ingenti mole Latinus quadriiugo vehitur curru:* non quo quattuor iuga haberet, dixit quadriiugo, sed quod quattuor iunctis animalibus duceretur. *cui tempora circum aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen:* primo loco Latinus processit quadriiugo curru, huius tem-
30 pora fulgentia cingebat corona cum duodecim radiis auratis tanto micans fulgore, ut non ipse, sed Sol videretur exisse. *bigis it Turnus in albis bina manu lato crispans hastilia* 165 *ferro:* qui ad certamen exiebat expeditior processit, duos

---

5 *suis* V *in suis* ed. 10 *explicare* ed. 14 *concurreret* ed. 18 *vulnerationem* edF. | *habuerat* V ed. *hebuerat* nos cf. 906 et 908. 29 *huius* om. ed. 31 *migrans* V *micans* ed. 33 *exiebat* V cf. 10, 399.

habens equos et duo hastilia. *hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo, sidereo flagrans clipeo et caelestibus armis:* ex alia, inquit, parte Aeneas tanta dignitate habitus et incessus quantam habere debuit Romani generis pater et Romani imperii conditor: flagrabat sidereo clipeo et armis 5 caelestibus, quasi manibus caelum portaret et sidera. *et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae:* quantae istorum felicitatis fuit! ibat conditurus Romanum imperium et Romanorum genus, ibat Ascanius quoque qui condita patris fuisset aucturus. *procedunt castris:* haec est causa propter 10 quam diximus suspendendum et separandum „interea reges"; hic enim quod singulorum regum descriptio separavit redditur sibi et facit interea reges procedunt castris. Explanatur qui reges: Latinus, inquit, Turnus, Aeneas, Ascanius, nondum quidem rex Ascanius, sed destinatus ad regnum 15 et patri interim in ipso processu coniunctus. *puraque in veste sacerdos:* pura, colore albo nec purpurae variata picturis. qui sacrorum ritus scrupulosius intuentur puram vestem malunt contagione omni et criminum macula liberam 170 et inmunem. *saetigeri fetum suis intonsamque bidentem at-* 20 *tulit admovitque pecus flagrantibus aris:* fetum porci dixit, non fetum porcae patrem magis volens nominare quam matrem. *illi ad surgentem conversi lumina solem dant fruges manibus salsas et tempora ferro summa notant pecudum paterisque altaria libant:* descripsit omnia quae ad sa- 25 crorum ritum pertinebant, docuit quae gerantur in huius-175 modi sacris, hoc est cum foedera sanciuntur. *tunc pius Aeneas stricto sic ense precatur:* pium hoc loco non misericordem ut alibi et iuxta parentes religiosum, sed, quia sacris intererat, deorum cultorem debemus accipere. *esto* 30 *nunc Sol testis et haec mihi Terra precanti:* esto precanti Sol testis, esto precanti testis Terra, ut esto bis accipiatur, testis bis, precanti bis, mihi bis. duos testes adhibuit

---

2 *siderio* V (et infra). 4 *quantam* V *quam* ed. 7 *quantae istorum felicitatis* V ed. nominativum malim. 8 *Romani imperium* V corr. ed. 13 *fecit* ed. 16 *et* om. edF. 26 *docuitque geratur* V corr. ed. 27 *tunc* V ed. *tum* Verg. libri.

praesentis, Terram, in qua stabat, et orientem Solem. *quam propter,* hoc est propter quam, *tantos potui perferre labores, et pater omnipotens et tu, Saturnia coniunx, iam melior, iam, diva, precor:* in animo habuit praecepta Heleni quibus
5 dixit (3, 437) „Iunonis magnae primum prece numen adora, Iunoni cane vota libens dominamque potentem supplicibus supera votis“. ait ergo iam melior: non est melior nisi qui primo fuerit bonus: quod igitur semper malam Iunonem sensit nec aliquando habuit bonam, quomodo dixit iam melior?
10 satiatum voluit esse quod petebat nec voluit dicere exhibe te nobis ex mala bonam, sed talem qualis potes esse, cum iam bona meliorem te ostendere volueris et probare. iam, diva, precor, talem te exhibeas peto, qualem esse convenit deam, ut sit misericors et nulli contraria. iam quod
15 dixit, hunc videtur habere intellectum: debes iam non esse e diverso quia tenemus Italiam. *tuque, inclute Mavors, cuncta* 180 *tuo qui bella, pater, sub numine torques:* nec illum praetermisit quem propter praesentem necessitatem debuit habere propitium et quod omne bellorum genus haberet in pote-
20 state. *Fontisque Fluviosque voco:* usus est quippe his, cum relicto mari deflexisset ad Tiberim, usus etiam, cum ad Euandrum pergeret. *quaeque aetheris alti religio et quae caeruleo sunt numina ponto:* recte interposuit generalitatem; amplexus est quippe in ea omnis religiones, ne quam ne-
25 scius praeteriret. caeli igitur deos, terrae ac maris una deprecatione conexuit nec omisit aliquem qui omnium fuit antistes et cultor. incipit iam dicere condiciones foederis, quas nulli fas esset violare vel solvere. *cesserit Ausonio si fors victoria Turno, convenit Euandri victos discedere ad*
30 *urbem, cedet Iulus agris nec post arma ulla rebelles Aeneadae* 185 *referent ferrove haec regna lacessent:* posuit primo non partem Turni, sed quod suos servare congrueret. qui enim paria

---

2 *hoc — quam* om. ed. 5 *nomen* V (in tertio *numen*). 8 *quod dicitur* V ed. *qu. igitur* nos ut 10, 120. 10 *exhibite* V. 11 *talem* om. ed. 15 *esse diverso* V *esse adversa* ed. *esse e diverso* nos (cf. 230). 17 *nomine* V. 19 *quod* V *qui* ed. | *habere* V corr. ed. 32 *sed quod suos servare congrueret* V ed. mut. ed. post.

exacturus fuit de parte diversa suam prior debuit suorumque vincire personam. in eo tamen et suis providet et filio suo, ne post adversum forsitan certaminis exitum aliquid ipsi quoque paterentur adversi. si, inquit, Turnum secuta prosperitas fuerit, redeant Arcades ad sua, redeat 5 filius meus istius finibus terrae neque umquam Troiani ullo Italos provocent bello. *sin nostrum adnuerit nobis victoria Martem, ut potius reor et potius dii numine firment,* 190 *non ego nec Teucris Italos parere iubebo nec mihi regna peto: paribus se legibus ambae invictae gentes aeterna in* 10 *foedera mittent, sacra deosque dabo: pater arma Latinus habeto, imperium sollemne socer: mihi moenia Teucri constituent urbique dabit Lavinia nomen:* dedit observandam legem parti diversae et se alia suosque constrinxit. si vero, ait, me victorem certaminis exitus fecerit, quod magis volo 15 et cupio provenire atque a numinibus posco, nolim serviant Troianis Itali nec Italis Troiani, sint pares, sint unanimes, sint una ac perpetua societate concordes. nec mihi regnum vindicabo quod est soceri: hoc solum Italis inponam quo laetentur et crescant, dabo deos, dabo sacra. quid tam 20 honestum? quid tam commodum quam deos noscere et discere venerationem? adhuc de commodo suo et de fructu victoriae nihil dixit totum regi, totum civibus servans. hoc ut credibile fieret, venit ad partis suas. solam, inquit, palmam gloriam quaero. ceterum manentibus cunctis in 25 suo statu mei mihi civitatem condent, non trudam quemquam sedibus suis nec alieni iuris sedes invadam: civitati ipsi nomen Lavinia dabit. nullus me victorem sentiet, cum omnis mihi sit causa cum Turno. quam libenter auditus est, cum non tantum in eos non se asperum futurum pol- 30

---

5 *redeat* V *cedat* ed. 7 *si* pro *sin* V. 8 *numina* ed. 10 *se* V *sed* ed. 11 *mittent* V ed. *mittant* optimi Verg. libri. | *pater* V *socer* ed. et omnes Verg. libri, sed *pater* interpretatione firmatur. 13 *ubique* V. 14 *adversae* ed. 16 *a numinibus* V *numina* ed. 17 *sint* V *sed s.* ed. 20 *agra* pro *sacra* V. 23 *victoria* V corr. ed. 25 *gloriam* V *et gl.* ed. 27 *sedis* V *-des* ed.

liceretur quibus auctoribus conflatum est bellum verum etiam quos hostis habuit retenturum se adsereret cum Troianis aequalis! quantum se et in eo monstravit benivolum, sacra illis ac deos promittendo, munus scilicet
5 optandum cunctis et venerabiliter excipiendum! deferendo autem socero et Latinis quantum sibi favorem omnium iunxit! in eo vero plenam monstravit reverentiam, cum illum et patris nomine appellavit et soceri. habeto, inquit, pater arma, habeto socer imperium; hoc est enim imperare,
10 habere movendorum armorum potestatem, cum necessitas fuerit, et pacem tueri, quam procuraverit labor et fortunae suffragium. sic posuit socer Latinus habeto arma, ut genus sit magis locutionis quam declinationis integritas. mihi vero citra laborem civium, citra cuiusquam inpensas
15 mei constituent urbem et haec Laviniae decorabitur nomine. *sic pater Aeneas, sequitur sic deinde Latinus suspiciens* 195 *caelum tenditque ad sidera dextram:* idcirco in superna aspiciens caelum, quia templum in campo non fuerat. *haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera iuro Latonaeque genus*
20 *duplex Ianumque bifrontem vimque deum infernam et duri sacraria Ditis:* ut ostenderet Latinus se fidem plenam interpositis pactionibus servaturum, et ego, inquit, Aenea, per deos ipsos iuro per quos ipse iurasti et elementorum omnium numina pariter invoco. *tango aras, medios ignis et* 201
25 *numina testor:* nihil enim aliud habuit in praesenti nisi aras et ignis, quae contingi manu potuerunt. numina autem

---

2 *sed* V ed. *se* nos. 3 *quantum se* V *futuros esse* ed. | *benivolum* V *se b.* ed. 4 *adeos* V *ac deos* nos om. ed. 12 *socer* V ed. at paulo superius *pater,* mutare nolui. 13 *genus* V *gentis* ed. corr. ed. post. | *integritas* V *interitus* O ed.: collatis quae praecedunt sensum sic accipio, ut Don. *arma — imperium* genus locutionis dicat pro „armorum imperium" (locutionis genus similiter dixit 11, 489). 14 *gyra laborem* V corr. ed. (alterum *citra* etiam V). | post *inpensas* tres litterae erasae, sequitur *mei mihi* V ed. *mihi* delevi: fortasse *Teucri mei* vel *cives mei* scribendum est. 16 *pater* V ed. *prior* omnes Verg. libri. | *suscipiens* V. 17 *tendensque* ed. | *in superna* V *in* om. ed. 18 *caelum* V *et c.* ed. 20 *biforentem* V. 24 *mediosque* ed. 25 *testor nihil* V *medios dicit* interpos. edF.

invocabat, ut testimonio essent firmantibus foedera. *nulla dies pacem hanc Italis nec foedera rumpet, quo res cumque cadent:* dicendo quo res cumque cadent ostendit se medium inter duos eique se servaturum fidem qui posset alterum superare. *nec me vis ulla volentem avertet:* non 5 me avertet ab istius foederis fide nec vis ulla nec voluntas mea, hoc est non mutabo in contrariam sententiam meam, nec si vis inruat maior quae me hoc ipsum velle conpellat.
205 *non, si tellurem infundat in undas diluvio miscens caelumque in Tartara solvat:* non, inquit, rumpant istam pacem 10 et exponit quid sit vis maior: nec si misceatur terra cum pelago aut caelum ad inferos decidat. *ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat):* aliud inpossibile coeperat dicere et ait ut sceptrum hoc et interposuit poeta dextra sceptrum nam forte gerebat, dehinc quod diviserat reddit 15 *numquam fronde levi fundet virgulta nec umbras, cum semel e silvis imo, de stirpe, recisum matre caret posuitque comas*
210 *et bracchia ferro, olim arbos, nunc artificis manus aere decoro inclusit patribusque dedit gestare Latinis:* magnum inpossibile etiam hic posuit. ut enim ferebat sceptrum, ait 20 quomodo hoc sceptrum, quod mihi regendorum Latinorum causa datum est, ex quo a matre abscisum est, nec virgulta iam potest nec frondes emittere, sic ego non mutabor nec movebor a praesentibus placitis. imo de stirpe recisum si iungamus, faciemus stirpem genere masculino contra ipsius 25 Vergilii sententiam, qui omnibus locis stirpem feminino protulit genere, ut (3,326) „stirpis Achilleae fastus“ et (7,293) „heu stirpem invisam“ et hic quoque non multo supra (166) „hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo“. hunc scrupulum qui declinare voluerit sic pronuntiare debet et sic intellegere, 30 ut quod dictum est imo separetur, ut sit ab imo abscisum,

---

9 *infundat* V *effundat* ed. et Verg. libri. 11 *sit maior* V ed. *s. m. vis* ed. post. *sit vis m.* nos. 13 *aliud* — 15 *reddit* om. ed. 16 *fundat* ed. 17 *e silvis* V *in s.* ed. et Verg. libri. | *de stirpe* separavi sec. interpr. 19 *patribus* sine *que* V. 22 *abscessum est* V *abscissum et* ed. *abscisum* (quod infra etiam V habet) *est* nos. 24 *praesentibus placidis* V *praesenti foedere* ed.

hoc est ab inferiore arboris parte et a stirpe eius. *talibus inter se firmabant foedera dictis prospectu in medio procerum, tum rite sacratas in flammam iugulant pecudes et viscera vivis eripiunt cumulantque oneratis lancibus aras:* cum ver- 215
5 borum supra dicta forma concessisset, fiebat consequenter quod pertinebat ad sacrificiorum ritum: in flammam fundebatur sanguis animalium et, antequam morerentur, extrahebantur eorum viscera et aris inponebantur.

At vero Rutulis inpar ea pugna videri iamdudum et
10 *vario misceri pectora motu:* supererat ut iuraret et Turnus, sed Rutulis condicio ipsa iam coeperat displicere. multo ante enim videbant inpar futurum esse certamen et in eum fuerant perducti tractatum, ut animorum diversis sententiis moverentur. qui esse possent mixti pectorum motus aesti-
15 mationi legentum poeta commisit, ut plus sentiamus quam potuit dictione concludi. *tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis:* quod suspicionibus Rutuli colligebant coeperant de proximo oculis adprobare. *adiuvat ingressu tacito progressus et aram suppliciter venerans demisso lumine* 220
20 *Turnus:* apparebant in Turno signa omnia quae inparis diffidentiam conprobarent, primo ingressus eius, hoc est ambulatio tacita, et progressus, id est ad ulteriora segnior accessus. ecce his signis colligebatur animi eius corporisque defectio. lassus quippe tacitos habuit gressus, dum vix
25 pedem movebat et vix reponebat alterum, ut progrederetur ulterius. fuit alterum diffidentiae signum quod aram venerabatur oculis deiectis ad terram. *tabentesque genae et iuvenili in corpore pallor:* tertium signum tabentium genarum fuit; nam repentina macie fuerat deformatus; quartum palloris,
30 qui in iuvene esse non debuit, si deesset et metus. *quem*

---

1 *stirpeei* V *stirpe eius* nos *stirpe* ed. 2 *prospectum* V *-tu in* nos *conspectu in* ed. 4 *verborum super dicta forma* V *v. supra d. f.* nos temere mut. ed. 7 *et tequam* V corr. ed. 10 *miseri* V. 12 *in eum f. p. tractatum ut animorum* V *tractatus* cetera item ed. *in eum finem f. p. tractatus ut animi eorum* ed. post. (sic propter *tractatus*). 14 *motus* V *metus et* ed. *et* del. ed. post. 15 *legentium* ed. 26 *difficientiae* V corr. ed. 30 *deesset et* V ed. *et* dittogr. puto.

simulac Iuturna soror crebrescere vidit sermonem et vulgi variare labantia corda: ecce oportunitas arripiendi perficiendique consilii; ubi enim vidit Iuturna utilis per populum pro Turno tractatus increscere et nonnullis contraria sentientibus proturbari quae commoda ceteris esse potuissent, *in* 225 *medias acies formam adsimulata Camerti, cui genus a proavis ingens clarumque paternae nomen erat virtutis et ipse acerrimus armis, in medias dat sese acies haut nescia rerum rumoresque serit varios ac talia fatur:* ne sententiarum diversitas et in utramque partem facilis mobilitas vulgi contra Turnum convalesceret, usa est Iuturna consilio satis tempori necessario, vertit se in Camertis formam notae nobilitatis ab avis et proavis ac retro maioribus, ornati paternis quoque meritis ac suis. necessarie posuit; frustra sunt enim ornamenta generis, si propria uniuscuiusque defuerint. cum autem non desunt, tum cumulantur omnia et se invicem mutuo decore perfundunt. hoc fuit in Camerte et ideo eius suscepta persona est, ut suadentis sermo et generis auctoritatem praeferret et suam. si enim ab inbelli procederet istiusmodi persuasio, diceretur ei in hoc periculo quoniam non habes partem, non potes consilium dare. ergo quia et genere nobilis fuit et praestans ipse virtute, adsumpta est persona talis hominis qui facile posset audiri. 230 *non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam obiectare animam? numerone an viribus aequi non sumus? en omnes et Troes et Arcades hi sunt fatalesque manus, infensa Etruria Turno, vix hostem, alterni si congrediamur, habemus:* exhortatio est cum quadam obiurgatione, in qua modum conservat, ne imperiosa satis aut satis iniuriosa turbaret animos vulgi et quod coeperant velle non facerent. licet enim per-

---

2 *labentia* V ed. contra metrum et interpr. (p. 581, 6 sqq.). 4 *pro turno* V *in Turnum* ed. | *increbrescere* ed. 5 *perturbari* ed. 6 *aprovis* V. 11 *convalisceret* V. 14 *necessariae* V *-rio* ed. *-rie* nos an *necessarie haec*? 16 *tunc utuntur* V ed. *tum cumulantur* nos. | *omnia* V *o. gloria* ed. 20 *et* V ed. *ei* nos. 21 *quoniam* V *cum* ed. 23 *persona* V *et p.* ed. | *qui* V *quia* ed. 26 *et* post *Troes* om. V. | *hi* V *hic* ed. 29 *satis* post *aut* om. HO ed.

sona esset adposita quae propter generis amplitudinem et virtutis suae meritum posset audiri, posset tamen contemni, si ad verborum iniuriam tenderet. fuit ergo temperata dictio necessaria, ut factum est; difficile quippe est a bono 5 et securitate vitae transduci quemquam, ut evidentem subeat mortem. at his visum est facile persuaderi posse, quoniam iam, licet dubii, in certamen animum duxerant. huic loco consentit Terentiana sententia (Andr. 1, 5, 31) qua dictum est „dum in dubio est animus, paulo momento huc vel 10 illuc inpellitur“. habuit ergo hanc occasionem Iuturna conversa in Camertis formam, ut primum se insereret mediis; qui enim in medio agmine loquitur facile potest a circumfusis audiri, quoniam medio vicini sunt omnes. incipit igitur sic: non pudet; hoc arguentis est, quod vero addidit o, 15 hortantis, quod tertio dixit Rutuli, animantis effectum et indicium laudantis inplevit. et turpe, inquit, et perniciosum nobis est, o Rutuli, unum pugnare pro multis, aliena autem ope defendi tantos ac talis pudoris non ferenda iactura, stultitia vero singularis in unius anima quam in multorum 20 spem conlocare vincendi. subire autem tale foederis factum, ut cum nota vivendum sit, si valuerimus vincere, aut serviendum sit perpetuo, si fuerimus superati, ego, cives, probare non possum. quo enim ore vel qua mente quave infami patientia sedeam in alieno certamine spec- 25 tans periculum meum? faciant haec qui sibi adesse non possunt. faciant inpares numero aut virtute dissimiles. quid quaerimus aliena ope defendi, cum id quod ex illius speramus auxilio facilius possit propriis laboribus provenire? considerate quanti sitis et quales. Rutulorum nomen et facta 30 quanta ubique praedicatione laudantur! nihil interea e di-

2 *contempni* V *contendi* HO ed. 5 *et evidentem* V *ut e.* ed. 6 *quoniam* V *cum* ed. 7 *duxerant* V *direxerant*? *duxissent* ed. 8 *terrentiana* V. 10 *impelluntur* V. 13 *quoniam — sunt* V *cum — sint* ed. 15 *affectum* ed F. 17 *pro multis* V *in multos* ed. | *alienam* V corr. ed. 18 *tantos* V *tanti* ed. 19 *animo* ed. | *quam* V *potius q.* ed. 20 *collocari* ed. 29 *quae* V *qui* ed. *quanti* nos. | *quales* V *quale* ed F cum falsa distinctione. 30 *laudentur* ed.

verso existit quod aliquem incutiat metum, non numero praecedit hostis aut robore. quicquid opinio formidolosum sparserat praesto est subiectum oculis vestris, totum quod habet pars utraque substantiae prodidit campus, quod contra fidem rerum oneraverat fama terroribus: Troiani adsunt, 5 videntur Arcades, in conspectu sunt quos fatales appellant et hoc est totum quod infensa Turno Etruria potuit. proinde, si regis exemplo singulare placuerit subire certamen, non erit qui nobis omnibus pugnaturus occurrat. nec me arbitremini utilitatem Turni commodumque tractare. felix ille 10 est et habet etiam in ipsis adversis positam laudem, perveniet ad deorum consortium qui diis testibus pugnaturus 235 est: *ille quidem ad superos, quorum se devovet aris, succedet fama vivusque per ora feretur, nos patria amissa dominis parere superbis cogemur, qui nunc lenti consedimus* 15 *arvis:* erit illius per omne aevum magnificum nomen cumque illius corpus vivendi finis extinxerit, fama tamen manebit incolumis, nos vero sequitur proditi regis crimen et gravissima serviendi condicio; cumque ipsa servitus sit intoleranda per sese, considerate qualis ingruat quae proficiscitur 20 a plurimis, inponetur insuetis, inponetur indignis. quis dominos feret quos victoria dederit superbos, iratos, offensos? quod moderamen poterit sperari servitii? qualesve ipsi futuri sunt quos secundarum rerum elatura superbia est et post inimicitiarum virus secuta dominationis auctoritas? non 25 iam exigentur iusta de servis obsequia, sed de addictis hostibus poenae. mori potius, cives, placeat quam servire victori. patria, inquit, amissa, hoc est perdita libertate; liber enim habet patriam, quam non habet servus, usque adeo ut qui plenam sumpserit a domino libertatem civi- 30

3 *parserat* V corr. ed. | *est subiecto* V *est subiectum* nos *est et s.* ed. | *vestris* V *nostris* ed. | *totum* V *tum* edF. 4 *campos* V corr. ed. 7 *Hetruria in Turnum* ed. 15 *cogimur* V. 18 *proditio* ed. 19 *seviendi* V corr. ed. | *sit i. p. sese* V *i. p. se sit* ed. 21 *plurimis et imponitur insuetis imponitur* ed. 23 *ipsis* V corr. ed. 24 *sint* superscripta ᵛ V *sint* ed. 25 *virus* V *vires* ed. 30 *qui* V *ut qui* corr. edF. | *sumerit* V.

tatem Romanam dicatur consecutus. *talibus accensa est iuvenum sententia dictis:* quia iuvenes fuerant hoc est fortes, facile quasi quodam flatu exhortationis accensi sunt. *iam magis atque magis:* magis inquit et hoc idem duplicavit, 5 quia volentis cohortatio inpulerat. *serpitque per agmina murmur:* et paulatim procedebat in singulos inutilis foederis murmur atque in universa agmina vadendo crescebat. *ipsi* 240 *Laurentes mutati ipsique Latini:* Laurentes possumus accipere eos qui in civitate morabantur, Latinos vero qui 10 confluxerant ab aliis locis. ipsi igitur qui dixerant (11, 371) „scilicet ut Turno contingat regia coniunx, nos, animae viles, inhumata infletaque turba, sternemur campis. etiam tu, si qua tibi vis, si patrii quid Martis habes, illum aspice contra qui vocat", ipsi mutati sunt in eam sententiam 15 quam dimiserant et *qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem sperabant nunc arma volunt foedusque precantur infectum et Turni sortem miserantur iniquam:* in tantum mutati sunt, ut qui iam sperabant otium et plenam requiem, qui iam salutis ac rerum fiducia tenebantur arma cuperent, 20 recusarent foedus et miseratione Turni plenissima tenerentur.

His aliud maius Iuturna adiungit et alto dat signum 245 *caelo, quo non praesentius ullum turbavit mentes Italas monstroque fefellit:* his, hoc est illis quae superius locuta est vel quos loquendo commoverat praesentis, adiunxit et 25 monstrum, tam magnum et ita ad causam praesentis temporis conpositum, ut omnium fefellerit sensus. *namque volans rubra fulvus Iovis ales in aethra litoreas agitabat aves turbamque sonantem agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas cycnum excellentem pedibus rapit armiger uncis:* 250

---

1 *dicitur* V ed. *dicatur* ed. post. | *incensa* ed. et optimi Verg. libri. 3 *incensi* ed. 6 *inutile* V ed. -*lis* nos. 8 *possu* (sic) V *possemus* ed. 9 *eos* V *ipsos* ed. 10 *ad illis* V *ab i.* ed. *ab aliis* nos. 15 *praemiserant* ed. | *et* om. ed. | *rebus* pro *rebusque* V. 18 *ut* om. ed. 19 *tenebantur* V -*rentur* ed. 22 *praestantius* V ed., sed interpr. *praesentius* poscit cf. 152. 24 *praesentes adiunxit* V *praestantius adiungit* edF. 28 *con labsus* V. 29 *armiger* V cf. 9, 564 *improbus* ed. et Verg. libri.

inventum artificiose conpositum, primo ut alitem masculum inmitteret; si enim femina esset, non tangeret Aeneae personam; deinde ait Iovis ales, ut turbandum foedus nec perficiendum esse etiam Iuppiter videretur ostendere. agitabat ille litoreas aves, innoxias scilicet nec inportunas 5 cuiquam, rubra per aethera, caelo mundo et sereno; aurora enim tunc vigore integro splendet cum nulla nube fuscatur. dedit ei avium multitudinem, quae significaret exercitum, dehinc ad undas lapsum dixit maioremque cycnum pedibus sustulisse, ut inter minores personas aliqua potior 10 putaretur; hunc, ait, cycnum subito uncis pedibus rapuit: ecce in ipso etiam monstro Aeneae persona potior invenitur; nam nihil est hoc genere alitis fortius, utpote quod erigitur corporis forma et rostro unguibusque armatum est perindeque quicquid tenuerit laniat, dehinc quia pertinens ad 15 Iovem tutum est semper nec alicui periculo subiacet. exercitus ipse iners, inbellis per litoreas aves ostendebatur; nam nihil est illis oportunius ad praedam, cycno quoque ineptius nihil, qui tam facile potuit capi, quando cum ceteris avibus volare non valuit, deinde rapi et teneri 20 unguibus, quod ipsum sine sanguine ac vulneribus non fuit. *arrexere animos Itali:* cum essent ex publico tractatu suspensi, converterunt in aves intentionem suam, ne quid pro suis partibus in illa spectatione colligerent. *cunctaeque volucres convertunt clamore fugam, mirabile visu, aetheraque* 25 *obscurant pinnis hostemque per auras facta nube premunt,* 255 *donec vi victus et ipso pondere defecit praedamque ex unguibus ales proiecit fluvio penitusque in nubila fugit:* haec pars aliquid potuit significare pro Turno: nam volucres cunctae densatae in catervam atque instantius persecutae 30 raptorem adegerunt remittere unguibus praedam, quod ille

---

6 *per aethera* V *in aethra* ed. | *et* om. ed. 10 *subtulisse* V. 13 *eregitur* V. 15 *laniet* V ed. *-at* nos. | *pertinet* ed. 18 *oportunius* V *importunius* ed F. 19 *ineptius* V ed. *inertius*? 20 *rapiet* V *rapi et* nos *potuit* ed. 21 *vulneribusque* ed. 22 *ex publico* V *ex omine p.* ed. 24 *expectatione* V ed.

fecit pondere superatus et inpressione persequentium. perdito autem pondere fugit in nubila, hoc est eo unde venerat remeavit. *tum vero augurium Rutuli clamore salutant expediuntque manus:* tantum illud augurium dubitantis hor-
5 tatum est armavitque in proelium, ut omnes una voce quasi felix signum futuri exitus salutarent, armarent manus et bellum, quod dudum abiecerant, quaererent. *primusque Tolumnius augur: hoc erat, hoc, votis, inquit, quod saepe petivi, accipio agnoscoque deos:* non soli falsi sunt alii, ecce 260
10 ivit in errorem et ipse qui auguriorum scientiam profitebatur. quod petivi, inquit, accipio faventibus diis, quos per votorum obsequia et ritus sacrorum in meas partis adduxi. *me, me:* duplicando me hortandi cumulavit adfectum. me *duce [ferrum corripite, o miseri],* hoc est me
15 primo ferrum corripiente etiam vos manus armate; miseri, hoc est dolendi. incipit iam exponere errores potius augurii quam veritatem, ut hoc genere confirmaret animos vulgi: *quos inprobus advena bello territat invalidas ut aves et litora vestra vi populat, petat ille fugam penitusque profundo vela*
20 *dabit: vos unanimi densete catervas et regem vobis pugna* 265 *defendite raptum:* quemadmodum vidistis inprobitate unius alitis ceteras innoxias agitari atque ut illae adfuerunt potiori omnes et eum eripuerunt universae unanimes, ita et vos congregati fugate hostem et regem vestrum eripite
25 manibus inimici. fugiat ille et altum navigium petat, nobis sufficiat nostrum liberasse captivum.

Dixit et adversos telum contorsit in hostis procurrens: primus enim eicere telum debuit qui dixit (260) „me, me duce ferrum corripite, o miseri". *sonitum dat stridula cornus;*
30 sine stridore enim telum per aera volare non potuit. *et auras certa secat,* hoc est sic volabat, ut percuteret quemquam. *simul hoc, simul ingens clamor et omnes turbati cunei*

---

13 *me* post *dupl.* om. ed. 14 *me me duce* ed. | *ferrum—miseri* deest in V, sed explicatur. 19 *petat* V confirmatur interpretatione *petit* ed. 20 *densate* sed atramento in *densete* corr. V. 23 *unianimes* V. 25 *navigium* V ed. *navigio*? 29 *corripite ferrum* ed. 31 *certas* V.

calefactaque corda tumultu: mox ut ille hoc fecit, secuti ceteri veluti periti hominis factum omnes turbati sunt et
270 caluerunt ardore bellandi. *hasta volans,* illa scilicet quam emiserat auguris manus, *ut forte novem pulcherrima fratrum corpora constiterant contra, quos fida crearat una tot Arcadio* 5
coniunx Tyrrhena Gylippo: ex una atque eadem matre perindeque sibi invicem cari, utpote qui isdem essent parentibus geniti. stabant, inquit, congesti: dicta est causa unde sibi invicem cari, in qua laudatur castitas matris, quae fidem servans marito hos pepererat. *horum unum ad medium,* 10
teritur qua sutilis alvo balteus et laterum iuncturas fibula
275 *mordet, egregium forma iuvenem et fulgentibus armis transadigit costas fulvaque effudit harena:* horum unum, inquit, percussit hasta directa non in unum, sed in novem; veniens enim in plurimos frustrari non potuit. addidit ad occisi 15
meritum quod egregius fuit, hoc est quod procerus et pulcher et speciose armatus. designavit etiam locum quo ictus occubuit, letalem scilicet, ne, si esset vulnerati levior causa, non tanto dolore moveret animos fratrum. illic, inquit, venientem ictum excipit ubi convenienti a baltei 20
capite mordacis fibulae iunctura concordat. ne hoc ipsum remaneret incertum, ait transadigit costas, ut ostenderet latus eius fuisse transfossum. *at fratres, animosa phalanx accensaque luctu:* et animum habebant ad ultionem pronum et germanitas cogebat et luctus ut congrue moverentur, eo 25
vel maxime, quia tam plurimi fuerunt, ut in illorum numero facies exercitus appareret. ecce describuntur ardentes ex luctu et, quod illorum numerus copiosus esset, dicitur quae fecerint diversi: *pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum corripiunt caecique ruunt.* cum soli octo essent, sic 30
descripti sunt quasi latioris numeri; dixit enim pars gladios

---

4 *miserat* ed. 6 *cilyppo* V. 7 *iisdem* ed. 10 *hoc pepererat* V *hos peperit* ed. 12 *forma* om. V. 13 *effudit* V *effundit* optimi Verg. libri *extendit* ed. 15 *addit* ed. 16 *quod* om. ed. 17 *quo* V *in q.* ed. 20 *convenienti a baltei capite* V ed. fortasse *c. b. capiti?* 22 *ait* V *addit* ed.

rapuit, pars missilibus telis manus armavit vadens in bellum sine respectu discriminis sui. *quos agmina contra procurrunt Laurentum, hinc densi rursus inundant Troes Agyllinique et pictis Arcades armis: sic omnis amor unus habet* 280
5 *decernere ferro:* factum est per Iuturnam quod Iuno mandavit; nam et bellum conflatum est et foedus excussum, in tantum ut una omnis pugnandi sententia tenuisset et toto amore quaereretur quod constabat esse contrarium; omnis enim pugna sine sanguine etiam ipsius victoris non potest
10 explicari. decernere autem ferro quid est nisi apertum subire discrimen? *diripuere aras:* caecati furore certandi diripiebant aras non considerantes in ipsa dissipatione deos magis offendi quam gramina quibus fuerant instructae; iam enim ipsarum consecratio cucurrerat iurantibus Aenea
15 et Latino, ministratis autem per sacerdotes rite sollemnibus. *it toto turbida caelo tempestas telorum ac ferreus ingruit imber:* volabant tela stridentia in tempestatis modum et imbrium morem. *craterasque focosque ferunt:* auferebant 285 properi quae dudum necessaria sacris attulerant. *fugit ipse*
20 *Latinus pulsatos referens infecto foedere divos:* Latinus vero religiosus et gravis fugiebat ad tuta referens deos pulsatos, ne deteriora paterentur, nulla interea foederis pactione perfecta. potest intellegi pulsatos cum arae diriperentur, potest videri pulsatos in eo quod prolati ad confirmationem
25 foederis contempti sunt. *infrenant alii currus aut corpora saltu subiciunt in equos et strictis ensibus adsunt:* quia spes foederis multos ab armorum cura dissolverat, alio rerum exitu excitati alii infrenabant currus, alii saltu in equos facto expeditiores aderant eductis gladiis et paratis ad
30 necem. *Messapus regem regisque insigne gerentem Tyrrhenum* 290 *Aulesten † avidus confundere foedus adverso proterret equo:*

---

1 *cadens* V cf. 313 *vadens* ed F. 3 *achyllinique* V. 5 *mandaverat* ed. 9 *etiam* om. ed. 14 *iam* V *non* ed. | *aenaeae* V *Aeneae* ed. *Aenea* nos. 19 *properi* om. ed. 24 *videri* V *intelligi* ed. 25 *contenti* V corr. ed. 31 *avidus confundere* V ed.: hoc cum interpretatione discrepare patet, quae *avidum* poscit, idque a quibusdam lectum esse Servius tradit: ergo hi et Donatus *confundere* pro committere acceperunt: crucem adposui.

Messapus Aulesten, regem Tyrrhenumque, habentem regis insignia equo obvius proterrebat; cupiebat enim firmari foedera, quae fuerunt confusa. *ruit ille recedens et miser oppositis a tergo involvitur aris in caput inque umeros:* cum retrorsum Aulestes cederet Messapo proterrente, non se 5 avertens, ne terga hosti nudaret, peius deceptus est ararum obiectu non viso; illic quippe in caput inque umeros involutus concidit. *at fervidus advolat hasta Messapus;* festinandum enim fuit, ne ille sese colligeret et tanti casus
295 periret occasio. *teloque orantem multa trabali desuper altus* 10 *equo graviter ferit:* multa orantem trabali telo graviter percussit. trabale telum est forte ut sunt trabes; quomodo autem graviter ferierit ipse poeta descripsit: grave, inquit, et forte satis habuit telum, quod facile potuit dimitti cum pondere, quia ex summo descendit, cum ille equo portaretur. 15 *atque ita fatur;* qui enim infestus venerat et habuit fortunae suffragium gratulationis suae vocem misit, quod insultaret exanimi. *hoc habet,* id est bene se habent res. *haec melior magnis data victima divis:* numquid interrupti sunt actus nostri? sacrificandum numinibus fuit meliore 20 victima, vota persolvimus. cum ioco meliorem victimam dixit, quia in aram cecidit et illic occisus est. *concurrunt Itali spoliantque calentia membra:* aviditatem hic Italorum expressit et nobilem avaritiam, ut ante ad detrahenda spolia convolassent quam funus obriguisset occisi. *obvius* 25 *ambustum torrem Corynaeus ab ara corripit et venienti Ebuso*
300 *plagamque ferenti occupat os flammis:* Corynaeus Ebuso iam infligenti necem plagamque ferenti obvius factus, cum se adverteret manus hostis perniciosi incidisse, rapuit ex ara fustem ardentem eumque ori venientis primus obiecit. *illi* 30

---

1 *Tyrrhenum* ed. 6 *peius* om. ed. 8 *at* V *ac* ed. 9 *ne* V *ut* ed. 17 *quod* V ed. *qua*? 18 *id est* V *hoc e.* ed. | *habet res* ed. 24 *ut* V *qui* ed. 25 *obruisset* V *obruissent* ed., sed obruere hostis funus in Italos non cadebat, quare *obriguisset* emendavi, quo *calentia* explicari apparet. 26 *coryneos* V. 28 *infligenti necem* V temere mut. ed. 29 *adverterit* V corr. ed. | *in manus* ed. post. | *pernitiose* V ed. *-si* nos cf. 10, 880. 30 *primus* om. ed.

ingens barba reluxit nidoremque ambusta dedit: duae fuerunt occasiones, una ignis sumpti ex ara, altera quia occurrit facies quae barbae fomite exceptum nutriret incendium. *super ipse secutus caesariem laeva turbati corripit hostis*
5 *inpressoque genu nitens terrae adplicat ipsum, sic rigido latus ense ferit:* posteaquam flamma turbavit hominem eique eripuit aspectum, advolavit ille inplicuitque eius comas laeva et nitens genu superatum ad terram usque perduxit inpressitque lateri eius rigidum gladium hoc est satis acu-
10 tum. *Podalirius Alsum, pastorem primaque acie per tela* 305 *ruentem, ense sequens nudo superinminet, ille securi adversi mediam frontem mentumque reducta dissicit et sparso late rigat arma cruore:* Podalirius dum Alsum pastorem persequitur, propterea quod ausus esset in prima acie versari,
15 ille ex adverso veniens inimici sui mediam frontem securi percussit tanto pondere, ut usque ad mentum eius descenderet. quod ipsum factum est arte ferientis, qui post inflictam caedem reduxit dexteram; veniens enim securis intulit plagam et reducta geminavit quod fecerat. post tantam
20 autem vim consecutus sanguis caesi arma perfudit. *olli dura quies oculos et ferreus urget somnus, in aeternam* 310 *conduntur lumina noctem;* est enim quies alia non dura et non ferreus somnus et nox non aeterna, quibus utuntur ad tempus qui salutem incolumem retinent.

25 *At pius Aeneas dextram tendebat inermem nudato capite atque suos clamore vocabat:* cum illi haec non sine sacrilegii crimine gererent, Troianae vero partes resistendi studio ducerentur, emersit idem ipse Aeneas pius id est deorum cultor nudo capite atque inermi dextra, ut cognosceretur
30 a suis aut ne ipse quoque reatus particeps esset, si fuisset armatus. locutus est autem ad suos clamore magno, ne secuti hostium desperationem ipsi quoque sacrilegii scele-

---

1 *incens* V. 2 *quia* V *quod* ed. 10 *salsum* V. 11 *tuentem* ed. 12 *discidit* ed. 13 *persequitur* V *sequitur* ed. 15 *illi* V corr. ed. 16 *descenderet* V *distenderet* ed. 22 *clauduntur* ed. 24 *qui* inepte transpos. ed. | *salutem* V *vitam* ed. et transpos. 32 *ipse* V corr. ed.

ribus inplicarentur. *quo ruitis?* aliud est ire aut tendere, aliud ruere: ruere est inconsulte aliquid adgredi; cadentis enim more decipitur, non enim quomodo vult vadit qui ruit; ducitur enim casus ipsius violentia, non propria voluntate. *quaeve ista repens discordia surgit?* vel quo vos trahit 5 surgens repentina discordia et incautos decepit in perniciem vestram perniciose serpendo? *o:* multa subiacebant quae post o dici potuerunt, sed tempus non fuit ut in superfluis moraretur. revocari enim a sceleribus debuerant quos sacrilegii considerabat effectos esse participes. ceterum 10 dicere potuit o cives, o socii aut o miseri vel inconsiderati et alia aut bona aut iniuriosa. dixit ergo o tantummodo et, ne vagaretur longius, ad ipsam rem quae necessario 315 fuerat dicenda pervenit: *ictum iam foedus et omnes compositae leges: mihi ius concurrere soli, me sinite atque auferte* 15 *metus, ego foedera faxo firma manu, Turnum debent haec iam mihi sacra:* perfectum, inquit, iusiurandum est et inpletum, leges dictae pacis et belli, quibus solus ipse obnoxius teneor, me solum foedera nexuerunt, me pugnare permittite nec ullus vos exagitet metus, virtute mea firma- 20 buntur gesta quae sacrilegorum temeritas ruit, laesa sacra necesse est Turni poenas in suppliciis expiare. quanta in duobus diversitas! in Turno metus, in Aenea constantia; in Turno diffidentia metus, in Aenea eminens virtus et procul exclusa formido; postremo quae Turnus horrescit 25 ac timet Aeneas exoptat et securus amplectitur. *has inter voces, media inter talia verba ecce viro stridens alis adlapsa* 320 *sagitta est, incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta, quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne, attulerit: pressa est insignis gloria facti nec sese Aeneae iactavit vulnere* 30

---

3 *cadit* V ed. *vadit* nos cf. 279. 4 *dicitur* V ed. *ducitur* nos. | *ipsius* om. ed. 6 *decipit* ed. 7 *o multa* V *o* om. ed. 8 *post o* V *o* om. ed. 14 *o cohibete iras* lemmati praefixit ed. deest in V neque explicatur. 21 *gesta* V ed. *iusta*? | *temeritas ruit* V *temeritate sunt* ed. 22 *poenas in* om. ed. | *expiari* V ed. *-re* nos. 24 *diffidentia metus* V *metus* om. ed. genetivum esse puto.

quisquam: prope aderat ut inpleretur Iunonis dictum; supra enim ait (153) „forsan miseros meliora sequentur". ecce interierat Aeneas, non cuiuspiam virtute, sed casu; nam dum a certamine revocat suos, dum nudo capite atque 5 inermi dextra loquitur, incertum cuius captatus insidiis, sagitta percussus est, huius autem latere auctor maluit quam sese de tanti herois adverso iactare.

Turnus ut Aenean cedentem ex agmine vidit turbatosque duces: 325 vidit non semel accipiendum est, ut sit vidit 10 Aenean cedentem, vidit turbatos duces. conpendiosa narratio, in qua etiam non dicta possent intellegi; non enim descripsit Aenean cedentem ex agmine aut duces turbatos, sed quasi iam dixisset, sic Turnum adseruit haec vidisse. *subita spe fervidus ardet, poscit equos atque arma simul:* 15 huius mali occasione Turnus arrepta ardere coepit, ut vulnerato insisteret qui congredi ante non audebat. poscere igitur equos coepit atque arma et exultantium more, quasi superior esset effectus, gratulabatur de hostis adverso: *[saltuque superbus] emicat in currum et manibus molitur* 20 *habenas.* emicat in currum, hoc est dum se iactat, transcendit in currum luxurians et habenas equorum temperabat manibus suis suscepto rectoris officio. *multa virum volitans dat fortia corpora leto, semineces volvit multos aut agmina curru proterit aut raptas fugientibus ingerit hastas:* 330 25 aestimans Turnus letali vulnere Aenean esse percussum ingenti laetitia ferebatur, usque adeo ut in aliorum necem iam iret quasi de confecto potiore securus: multos interea fortis viros straverat, multos dimittebat semineces, proterebat alios curru, equorum scilicet pedibus et rotarum in- 30 pulsu, nonnullis, cum fugerent, hastas ingerebat: an suas raptas hastas ingesserit hostibus, an hostibus raptas id est

2 *forsana* V. 3 *interierat* V *intererat* edI *ictus erat* edF. 11 *possunt* ed. 14 *subitas perfervidus* V. 15 *mala* V corr. ed. | *ardere* V edI *audere* edF. 19 *saltuque superbus* deest in V, sed verbis *et exultantium* etc. explicatur: superiori lemmati inepte add. ed. 24 *rap* pro *raptas* V. 25 *existimans* ed. 31 *in hostibus* V *an h.* corr. ed.

sublatas incertum est, melius est tamen ut suas rapuisse et hostibus ingessisse videatur. *qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri sanguineus Mavors clipeo increpat atque furentis bella movens inmittit equos: illi aequore aperto*
335 *ante notos zephyrumque volant, gemit ultima pulsu Thraca* 5
pedum circumque atrae Formidinis ora Iraeque Insidiaeque, dei comitatus, aguntur: quemadmodum, inquit, solet Mars sanguineus, non ipse sanguineus, sed per quem sanguis effunditur; omnis enim pugna sine sanguine esse non potest. apud Hebri, inquit, flumina: ipse fluvius Hebrus dicitur et 10
dixit Hebri flumina, ut illum appareat per multa ora effundi. clipeo increpat; strepit enim scutum cum forte pugnatur, quia concussum sonat. vel quemadmodum equos furentis Mars dimittit per campum, illi vero accepta potestate cursu praeveniunt ventos, terra autem pulsata crebris 15
ungularum ictibus gemit et ultima pulsu pedum Thraca contremiscit et illic sine metu atque ira nihil est ac sine insidiis nihil. *talis equos alacer media inter proelia Turnus fumantis sudore quatit:* sic et Turnus agebat equos suos fumantis ex sudore, ut ardere putarentur interius. *misera-* 20
bile caesis hostibus insultans: tantas faciens caedes cum insultatione plena, ut actus eius sine miseratione videri
340 non possent. *spargit rapida ungula rores sanguineos:* nimietatem fusi sanguinis expressit, ut qui currentes quasi quosdam rores sanguineos spargerent ungulis suis. *mixtaque* 25
cruor calcatur harena: diversitatem quandam fecit in descriptione copiosi sanguinis, ut pars eius equorum pedibus ad vicem roris spargeretur, premeretur ungulis altera. *iamque neci Sthenelumque dedit Thamyrumque Pholumque.* a generali descriptione caesorum ad specialem transitum fecit 30
adsignans uno in loco tris datos neci, Sthenelum, Thamyrum, Pholum. quod autem semel posuit dedit, nos

10 *ipsi* V corr. ed. | *Heber* ed. 16 *pulsu* om. V add. edF. | *trhaca* V *Thracia* ed. 21 *faciens* V *-ciebat* ed. 22 *sine* V *sic s.* ed. 29 *hamyrimque* V. | *populumque* V. 31 *amyrum* V. 32 *populum* V *Pholumque* ed. | *tem* V *autem nos tantum* ed.

tribus aptemus. transit ad aliorum necem: *hunc congressus et hunc.* non hunc et hunc congressus occidit, sed congressus dedit neci hunc et hunc. dicit iam quomodo: *illum eminus:* alterum comminus, hoc est unum gladio, alterum
5 hasta deiecit, *ambo Imbrasidas, Glaucum atque Laden:* Imbrasi filios Glaucum et Laden. ordinatur sensus sic, ut plenus intellectus appareat: ambo Imbrasidas, Glaucum atque Laden, hunc congressus et hunc, illum eminus, alterum comminus, neci dedit. quod enim supra dixit
10 „iamque neci Sthenelumque dedit Thamyrumque Pholumque", etiam ad Imbrasi filios pertinet Glaucum et Laden, quorum primo dixit necem esse perfectam et dehinc eorum patrem nominavit. *quos Imbrasus ipse nutrierat Lycia paribusque ornaverat armis:* dixit nomina ipsorum, desig-
15 navit et numerum, patris et regionis ipsorum nomen ostendit et quemadmodum sint nutriti atque armis paribus muniti viderentur. exponit iam quid sit paribusque ornaverat armis: *vel conferre manum vel equo praevertere ventos:* ipsa 345 erant paria arma, ut ambo nossent congredi pedestri cer-
20 tamine, ambo ex equo pugnare. *parte alia media Eumedes in proelia fertur, antiqui proles bello praeclara Dolonis, nomine avum referens, animo manibusque parentem, qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret, ausus Pelidae* 350 *pretium sibi poscere currus:* dicitur origo istius et propter
25 plenam personae cognitionem parentis quoque eius repetitur fabula, ipsius enim gesta narrantur; filius, inquit, fuit Dolonis Eumedes, Eumedis nepos, summi viri et in bello probatissimi, non minore virtutis robore patri progenitus.

---

2 *hunc* lemmatis finis in V *illum eminus* add. ed. 5 *deiecit* V *d. eminus* ed F: Don. *hunc — eminus* ad *ambo Imbrasidas* trahit semel legens *eminus* cum quibusdam Verg. libris, inde illud supra *transit ad aliorum neces.* 6 *ordinatur* — 8 *hunc* om. ed. 8 *congressus est* V ed. *c. et* nos. | *hunc* om. ed. 10 *stelenumque — hamyrumque polumque* V. 13 *ipsa* ed. 14 *oneraverat* et infra ed. 16 *sunt* ed. | *moniti videretur* V corr. ed. 20 *inedia* pro *media* V. 25 *parentum* V ed. *parentis* nos propter *ipsius enim.* | *repellitur* ed F. 27 *eumedes nepus* V *Eumedes nepos* ed. 28 *patri* V ed. *patre*?

nomen igitur habuit avi, nobilis viri, factis autem fortibus Dolonem reddiderat patrem. hic Dolon tanta constantia fuit, ut belli Troiani tempore in castra Graiorum, si sibi pro laboris commodo decerneretur Achillis currus, ...
. . . . *illum Tydides alio pro talibus ausis affecit pretio, neque equis adspirat Achillis:* hoc promissum nec adgressus est nec inplevit; rapuit enim huius vitam Diomedes et consilia eius virtutis auctoritate praevertit eumque docuit spolia non quaerere fortioris. *hunc procul,* id est Eumeden iuniorem, *ut campo Turnus prospexit aperto, ante levi iaculo longum per inane secutus:* hunc Turnus cum procul vidisset (fuit enim longius videndi proclivis occasio, quoniam hanc dabat aequalitas diffusa camporum), aviditate feriendi provocatus iaculo potius celeri quam manibus tenuit; potuit enim maturius fieri ut per inane volitans hasta ipsius adventum Turni praeveniret
355 et vinceret. *sistit equos biiugis et curru desilit atque semianimi lapsoque supervenit:* ecce quantum profuit missi celeritas iaculi, si, ad eum Turnus cum supervenit, iam lapsus, iam semianimis fuit. *et pede collo inpresso dextrae mucronem extorquet et alto fulgentem tingit iugulo:* quae cum ita essent, pressit pede collum eius ad terram et suo illum gladio iugulavit. iratum voluit Turnum ostendere, ut morienti etiam gladium alto satiaret in iugulo; ceterum, si hoc non fecisset, moreretur ex primo vulnere. usque adeo commotum expressit, ut sequerentur et verba quae congrua erant facto: *en agros et quam bello, Troiane, petisti*

---

1 *nomen* — 2 *patrem* om. ed. | *lactis* V *factis* nos. 3 *graiorum* V *speculator iret* add. ed. | *si* V om. edI *et* edF. 4 post *currus* aliquid excidisse patet, fortasse *speculatorem se iturum promitteret* cf. *hoc promissum* v. 351. 6 *neque* V ed. *nec* plerique Verg. libri. 7 *huius* V *eius* ed. 9 *cumque* V *eumque* corr. ed. 10 *hoc est* ed. | *eo meden* V. 13 *quum hanc daret* ed. 19 *sic* V *si* ed. | *cur* V *cum* ed. 20 *colloque* V. 21 *tinxit* ed. | *iaculo* V. 23 *ita tum* V *iratum* ed. 24 *alta satiaret in iugulum* V magis corrupit ed. 25 *si* V *et si* ed. | *fecisset* V *non f.* edF. | *moriretur* V. 27 *congruerant* V *congruerent* edF. | *atque haec insuper addit* lemmati praefixit ed.

Hesperiam metire iacens: haec praemia qui me ferro ausi 360
temptare ferunt, sic moenia condunt. vera insultantis vox:
habes, inquit, Troiane, quod votis tuis provenire cupiebas,
iaces in agris Hesperiae et spatio corporis tui quam lati
5 sint potes metiri, si velis, hunc habent exitum qui me
provocant bello et tale sibi domicilium condunt. *huic comitem Asbuten coniecta cuspide mittit:* Asbuten Eumedi comitem
mittit coniecta cuspide id est missa. *Chloreaque Sybarimque Daretaque Thersilochumque et sternacis equi lapsum*
10 *cervice Thymoeten:* comitem huic mittit ad singulos pertinet
quorum conplexus est nomina, omnis, inquit, hasta deiecit; Thymoetes autem sternacis equi cervice deceptus est:
quid sit sternacis equi ex facto colligere possumus; equus
enim genibus fixis per cervicem lapsum equitem fudit. *ac* 365
15 *velut Edonii boreae cum spiritus alto insonat Aegaeo sequiturque ad litora fluctus qua venti incubuere, fugam dant
nubila caelo: sic Turno quacumque viam secat agmina cedunt
conversaeque ruunt acies, fert impetus ipsum et cristam adverso curru quatit aura volantem:* parabola inducta est 370
20 ostendens Turni discursus et gesta. ut solet, inquit, boreae
venti flatu fortissimo pelagus commoveri ac dare sonum
et fluctus in litora volvere et in eam partem urgere impetus suos qua incubuerit ventus: sic cedebant Turno agmina quacumque tendebat. *non tulit instantem Phegeus*
25 *animisque frementem:* non tulit, hoc est non est passus
Phegeus hominem sic ferri atque ita saevire inpune in
omnis. *obiecit sese ad currum et spumantia frenis ora
citatorum dextra detorsit equorum:* mira hominis virtus et
singularis audacia ut iret ad currum nec metueret superi-
30 orem hostem, impetum quoque equorum currentium frangeret et torqueret in aliam partem. *dum trahitur pendetque
iugis:* ex eo quod unus currus unum habeat iugum sic
exponunt plerique, quasi pluralem numerum pro singulari

---

5 *sunt* ed. 7 *asbyten* V infra *asbuten.* 13 *eius* V ed. *equus* nos. 15 *Edoni* ed. 19 *cursu* V. | *ara* V. 20 *solent* ed. 21 *commovere* ed. 24 *quaecumque tendebant* V corr. ed. | *fegaeus* et infra V. 33 *plurali numerum per* V corr. ed.

poeta posuerit; nos contra sentimus: qui enim ora citatorum dextra detorsit equorum procul dubio frenos tenuerat, non iugum, et non iugo pendebat, sed iugis hoc est frenis iunctorum equorum, ut hoc ei ad virtutem accedat, quod biiugis pleno ictu currentis nitebatur vincere. recte etiam 5 trahitur dixit, ut partem potiorem daret virtuti equorum citatorum, partem vero fortitudini retinentis; qui enim pendens trahebatur evicerat aliquid, sed duorum equorum vim ad plenum superare non valuit. non minor etiam equorum laus, qui inpediti frenis et hominis pondere dura- 10 bant tamen et trahebant perseverantem. dum trahitur
375 pendetque iugis, *hunc lata retectum lancea consequitur rumpitque infixa bilicem loricam et summum degustat vulnere corpus:* cum traheretur, inquit, pendens, lancea ingenti de summo percussus est et, quia difficultas feriendi inter equo- 15 rum capita fuerat et ictui loricae robur fortioris obstabat, letale vulnus infigi non potuit, degustavit tamen eius sanguinem ferrum. *ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem ibat et auxilium stricto mucrone petebat:* ille excepto licet levi vulnere in ipsum hostem coeperat tendere obiciens 20 scutum et fidens auxilio gladii, quem strictum tenebat hoc est paratum ad feriendum. *cum rota praecipitem et pro-*
380 *cursu concitus axis inpulit effunditque solo:* hunc qui scutum obiciebat rota et axis, cum procurrerent, dederunt praecipitem, quod facile fieri potuit ubi fuit periculum duplex; 25 aliud quippe axis et rotarum incurrit, dum hastam vitare contendit; plus enim discriminis sperabatur e summo et ipse fuerat feriendus qui valebat occidere. dum igitur superiora respicit, sicut dictum est, inpulsu axis et rotae prostratus est. procursu quod ait, una pars est orationis, 30 quasi porro tenens cursum. hunc procursum ut melius exprimeret, addidit concitus axis, ut apertius ostenderet

---

2 *tenuerit* V *tenuit* ed. 11 *dum* — 12 *iugis* (non ut lemma scriptum) repetit V om. HO ed. 12 *rectum* pro *retectum* V. 16 *fuerat* V *fuit* ed. 18 *sanguine* V. 22 *cum* V *quem* ed. 23 *effuditque* ed. 25 *potuit* V *non p.* ed. | *fuit* V *fati* ed. 30 *orationis* V *sententiae* ed.

quid esset procursus. *Turnusque secutus imam inter galeam summi thoracis et oras abstulit ense caput truncumque reliquit harenae:* mox, inquit, ut ille provolutus iacuit, illico secutus est Turnus et inter loricae finis et galeae caput 5 eius gladio abscidit relinquens harenae truncum corporis.

Atque ea dum campis victor dat funera Turnus, interea Aenean Mnestheus et fidus Achates Ascaniusque puer castris 385 *statuere cruentum, alternos longa nitentem cuspide gressus:* dum haec ageret Turnus et tot funera victor daret in 10 campo, Aeneas vel Troiani cum eo quid agerent dicitur. Mnestheus atque Achates, inquit, et Ascanius, licet adhuc puer, sciens tamen quid patri vel maxime vulnerato deberetur, statuerunt eum cruentum ex vulnere, auxilio hastae moventem gressus. ubi percussum describit non ostendit 15 poeta vulneris locum, sed cum hic dicit alternos longa nitentem cuspide gressus, intellegere possumus sagittam pedi eius inhaesisse. *saevit:* non saeviebat ex vulnere, sed quod tardaretur a bello, denique sequitur *et infracta luctatur harundine telum eripere:* ecce inpatiens animus viri 20 fortis non expectavit ut ordine medicinae sagitta extraheretur e vulnere; moras enim non ferebat, quae fuerant properanti contrariae. manu, inquit, propria harundinem cupiebat effringere ferrumque ipsum eripere. eripere est non retrahere paulatim, sed semel rapere, quod fieri sine 25 magno corporis malo non potuit, ut qui properabat ad campum maiores curae causas adnecteret. *auxilioque viam quae proxima poscit: ense secent lato vulnus:* quia sagittam non poterat rapere, quoniam hamis interius tenebatur, dicebat proximam esse auxilio viam, id est facilius esse 30 et celerius provenire posse remedium, ut lato ense secent vulnus. *telique latebram rescindant penitus seseque in bella* 390 *remittant,* quoniam illo tempore odiosas habuit moras. totum

---

7 *puer* V ed. *comes* O. 13 *eum* V edI *eum castris* edF. 15 *hic* om. edF. 18 *ex bello* ed. 21 *ex vulnere* ed. 22 *contraria* V ed. 23 *infringere* ed. 26 *maiores* V *et maioris* edF. | *causa* ed. *causam necteret* ed. post. 28 *cum — teneretur* ed. 31 *latebras* ed. | *rescendant* V.

quod volebat effici moras adferre, non conpendium potuit; nam sagittam rapere et lato ense penitus secare latebram teli augmentum vulneris fuit, ex augmento ipso maior dolor et longi temporis cura. totum igitur properanti, ut dictum est, contrarium fuit, sed totum redigitur ad animum viri 5 fortis ardentis in bellum, qui dolores omnis fidebat posse se tolerare et vincere sustinendo, si sagitta caruisset. *iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapyx:* ante alios dilectus, plus dilectus quam alii; non enim solum Apollo diligebat. *Iasides:* Iasi filius. *acri quondam cui captus* 10 *amore ipse suas artis, sua munera laetus Apollo augurium* 395 *citharamque dabat celerisque sagittas. ille, ut depositi proferret fata parentis, scire potestates herbarum usumque medendi maluit et mutas agitare inglorius artis:* hunc Iapygem quod amplius quam ceteros Apollo diligeret, voluit 15 diversis artibus erudire; potuit enim, utpote qui innumeras noverat. suas, inquit, artis, sua munera: quicquid artium noverat optavit illi conferre, ut scientia simul dei gauderet et munere haberetque divinum beneficium, si doctrinam numinis plenissimam retineret. laetus Apollo: multis locis 20 hoc et in nono libro positum est, magnam esse gratiam dantis, si laetus aliquid praestet; illic enim dixit (9, 88) „has ego Dardanio iuveni, cum classis egeret, laeta dedi". nonnumquam enim damus aliquid inviti perindeque non laeti, cum ad dandum necessitate aliqua, non amore con- 25 pellimur. Apollo autem laetus hoc fecerat, quia multum dilexerat Iapygem, ut Aenean mater deum. incipit enumerare quibus artibus Apollo abundaret, augurium et citharam et celeris sagittas, scientiam quoque colligendorum futurorum et musicam artemque chordarum et 30 quemadmodum sagittae dirigantur, ut destinata percutiant: sed ille hoc magis sequi maluit, ut depositi hoc est iam morituri vel mortui patris sui posset fata in longum ducere

---

1 *adferri* V ed I. 8 *delectus* infra *dilectus* V. | *alios dilectus* V *alios* ed. 14 *iapicem* V sequentia temere mut. ed. 16 *innumeros* ed. 25 *addendum* V *ad dandum* ed. 31 *percutiant* V *feriant* ed.

et in aliud tempus differre. laudat Iapygem, quod revocandi patris causa hanc artem quam propter alios maluit sequi, scire quam vim singulae herbae habeant et quemadmodum homines curentur. quoniam repetita longam nar-
5 rationem faciunt, mira usus est arte referendi, ut magnum vitium declinaret. induxit enim Apollinem magistrum fuisse Iapygis, verum, cum artium genera percurreret quae dilectissimo disciplo tradebantur, non omnis enumeravit esse propositas, ne, cum venisset ad eas quas Iapyx ceteris
10 praetulit, necesse esset iterum eas dicere. alias igitur traditas dixit, alias vero praelatas ceteris, ut ostenderet etiam ipsas Apollinem docuisse; Iapyx enim has non habuisset praecipuas, nisi quia et ipsas Phoebo docente cognoverat. secutus est ergo non illa quae placere auribus possent et
15 chordarum sonis mulcere animos vulgi vel quae bellorum periculis miscerentur aut futura praedicerent, sed quod prodesse posset morituris aut mortuis et subvenire laborantibus. maluit, inquit, has artis sine periculo sequi nullam adpetens ex inutilibus gloriam. mutas artis dixit quas ille
20 habuit praelatas propter illas in quibus vox spectatur aut sonus. valere autem proferendi fati artem non hoc tantum loco Vergilius adseruit, sed alibi multo melius; nam hic dixit posse fieri, in septimo autem libro factum esse et profuisse perscribit dicens (765) „namque ferunt fama
25 Hippolytum, postquam arte novercae occiderat patriasque explerat sanguine poenas turbatis distractus equis, ad sidera rursus aetheria et superas caeli venisse sub auras Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae". *stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam Aeneas, magno iuvenum et mae-*
30 *rentis Iuli concursu, lacrimis inmobilis:* rediit ad narrationem, 400

---

3 *habebant* HO ed. 6 *declinaret* V *vitaret* ed. 8 *discipulo* V *filio* ed. (Garcilassi causa? cf. praef. p. XXXIX). 9 *nec* V *ne* ed. 12 *has* V *eas* ed. 13 *praecipuas* V *praeclaras* ed. 16 *miscerentur* V ed. *discerentur*? 19 *ac petens* V *petens* ed. *adpetens* nos. | *multas* V ed. *mutas* ed. post. 20 *praelatas* V *praeclaras* ed F. | *propter* V ed. *praeter* ed. post. *spectatur* V *expectatur* ed. 27 *aetherea* ed. 30 *lacrimisque* ed.

quam interposita divisit Iapygis fabula. stabat, inquit, acerba fremens; dolebat enim belli potius quam vulneris causam; et plurimis circumfusis ac filio lacrimantibus, ipse inmobilis hoc est a vulnere atque omnium fletu constantiae firmitate dissimulans. et hoc, quod stabat, magnae 5 fuit virtutis animi; nam in causa posito pede aut sedere debuit aut iacere. quod stare debile esse posset, addidit hastae ingentis adiumentum, quae laborantem iuvare debuisset et tanti herois pondus congrue sustinere. *ille,* id est Iapyx, *retorto Paeonium in morem senior succinctus amictu* 10 *multa manu medica Phoebique potentibus herbis nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra sollicitat prensatque* 405 *tenaci forcipe ferrum. nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo subvenit:* cum Aeneas staret et fremeret, flerent praesentes et filius lacrimas funderet, Iapyx operam navare 15 coeperat, ut medicas adhibens manus curaret heroem et restitueret bello. accinxit se Iapyx, inquit, more Paeonio hoc est medicorum, alia faciens manu, alia herbarum cupiens levare remedio, quarum vim Phoebo docente cognoverat. sed cum haec properans ageret, non sequebatur effectus; 20 frustra enim trepidabat, frustra temptabat sagittam et pressam forcipe frustra nitebatur extrahere, longe prorsus fuit fortuna, quae iuvaret instantem, longe Apollinis doctrina. *et saevus campis magis ac magis horror crebrescit propiusque malum est:* ex una parte non proficiebat cura, 25 ex alia malum belli crescebat et apertum discrimen esse coeperat proximum. *iam pulvere caelum stare vident:* talis apparebat pulvis, ut caelum portare videretur. *subeunt equites et spicula castris densa cadunt mediis, it tristis ad aethera* 410 *clamor bellantum iuvenum et duro sub Marte cadentum:* 30

---

1 *dimisit* ed. 4 *atque omnium fletu* V *ac fletu animum* edF (dissimulans a cf. 1, 202). 6 *aut sedere* V *aut* om. ed. 7 *iacere quam utore debile* V *i. potius quam stare unde debilis* ed. *quod stare* nos cum alia distinctione. 8 *debuisset* V *potuisset* ed. 11 *poibique* V. 12 *pensatque* V. 15 *lacrimis* V. 16 *coepit* ed. 17 *inquit* om. ed. | *mora* V *more* ed. 18 *alia* V *et al.* ed. 28 *subiunt* V.

equites iam aderant tantum proximi, ut spicula quae mittebant in media castra descenderent. ibat autem tristis clamor ad caelum, eorum scilicet qui cernebant evidens malum, et eorum audiebant gemitus qui cadebant. omnis aderat
5 desperatio et apparebat quid tempus adferret, ni fuisset Aeneae subventum. quanta ei laus his generibus dicitur! solus abest ex causa vulneris: et alios extrema presserunt, alios iam ipse urget interitus.

Hic Venus indigno nati concussa dolore ipsa manu
10 *genetrix Dictaea carpit ab Ida puberibus caulem foliis et flore comantem purpureo:* admiranda dicentis inventio, ut tali tempore et in tali causa, in tanta desperatione, omnibus quoque et ipso Ascanio lacrimantibus, trepidante medico et ipsius medicinae deficiente substantia adfuisset
15 mater quae solacium filio et remedium ferret; quam ipsam posteriorem fecit, ut emineret fili meritum et matris adfectus. ait igitur hic Venus indigno nati concussa dolore, non quo sit aliquis dolor dignus filiorum, sed quia pro animo parentum indignum est quicquid filii fuerint passi:
20 non tulit haec causam fili sic inefficaciter trahi; admodum quippe videbatur incongruum et illum sic teneri vulneris causa et inpune periculum crescere. itaque a Dictaea Ida sustulit suis manibus caulem. Dictaea cognomen est Idae, ut alio loco (3, 171) „Dictaea negat tibi Iuppiter arva".
25 quod ait manu carpit, et matris animum expressit, ut ipsam diceret opera sua procurasse quod sanare filium potuisset et non ferro, propter remedium, sed manu adsereret esse sublatum. dubium enim non est certo modo

---

1 *aderant* V *erant* ed. 4 *audiebant* V *-bantur* edF. 9 *dicta manum* (i. e. *dictamnum*) *genetrix cretea* V, sed ex iis quae sequuntur apparet Donatum hanc lectionem non modo non recepisse sed nominatim improbasse ipsumque scripsisse *ipsa manu genetrix Dictaea:* hoc ergo substituendum erat cum ed., nisi quod haec *Cretaea* inepte servavit. 16 *effectus* V *affectus* ed. 18 *non quo fit* V *n. quod sit* ed. 22 *itaque a diecta* V. 23 *dicta cognomen* V edI *dictum c.* edF. 24 *loco dici ea* V *l. dicit Dictaea* ed. 28 *esse* om. ed. | *sublatam* V ed.

et suo more ac tempore esse detrahenda terris quae aliquibus sunt procuranda remediis, ut ipse alio loco (4, 513) Vergilius dixit „falcibus et messe ad lunam quaeruntur aenis pubentes herbae". ecce et illic falcibus dixit aenis et ad lunam et messis tempore, in praesenti vero ait manu. 5
caulem posuit, thyrsum ipsum scilicet quo erigebatur, ut emitteret florem, deinde ipsum florem adseruit esse purpureum et comantem; non enim unus aut singularis est ut rosae aut lilii, sed quasi in comas purpureo flore dif-
415 funditur. *non illa feris incognita capris gramina, cum tergo* 10
volucres haesere sagittae: tanta, inquit, naturalis vis est in feris capris, hoc est capreolis, ut, cum tergis forte sagittas exceperint, confugiant illico ad hanc herbam, comedant eam et sagittis simul et vulneribus careant. quanta signa istius data sunt speciei, cuius nomen omissum est! quippe 15
et regio expressa est in qua nascitur et nomen editum montis et ipsius nominis signum, deinde, cum ad descriptionem praedicti graminis accederet, caulem, inquit, facit et comantem florem colore purpureo, manu debet tolli, cum ad usus remediorum procuratur, huius virtutem caprae 20
ferae prodiderunt; nam ipsa curantur, quoniam noverunt eam, et naturali industria ipsae sibi prosunt, cum sagittis adpetuntur. gramen appellavit novo usurpationis genere caulem dicens folia, ceterum vero nomine dictamnum in regione sua dicitur appellari, unde nonnulli sic exponunt 25
hunc locum, ut adserant Vergilium dixisse dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida, quod usque adeo non est, ut, si sequentia coniungas, fiat vitium. dictamni enim caulem dicere debuit, non dictamnum caulem. melior est

---

3 *messae* V, sed Don. *messe* legisse interpr. docet, in IV locus periit. 6 *posuit* V *carpit* propter pravam distinctionem ed. | *thirsum* V ed. 9 *ut rosae aut li sed* V *ut sunt r. a. lilia sed* ed. 13 *excoeperint* V. 14 *ex vulneribus* V corr. ed. 19 *florem* V *fl. et* ed. | *mandebit tollit eum* V *manu debet tolli cum* nos partim om. partim mut. ed. 20 *procuratur* V *procuratum esse ostendit* ed. 24 *aliam* V *alia* edI *alias* edF *caulem* nos. | *dictamni* ed. 25 *reponunt* ed. 28 *dictamni enim* V ed. post. corrupit ed.

ergo superior: manu carpit caulem a Dictaea Ida, cuius herbae nomen quia non dixit, signa eius infinita protulit, ut posset sciri quae esset. *hoc Venus obscuro faciem circumdata nimbo detulit, hoc fusum labris splendentibus*
5 *amnem inficit occulte medicans spargitque salubris ambrosiae sucos et odoriferam panaceam:* Venus obscurata nimbi caligine atque ita, ut videri a nullo potuisset, hoc detulit et eodem ipso aquam infecit, quam Iapyx studiose splendentibus labris infuderat, ut foveret vulnus, et addidit et alias
10 species, ut omnium suco et in undas transfusa virtute medicabilis liquor ex simplice fieret. *fovit ea vulnus lympha* 420 *longaevus Iapyx ignorans:* ignorans gesta Veneris Iapyx ea lympha vulnus fovit. *subitoque omnis de corpore fugit quippe dolor, omnis stetit imo in vulnere sanguis:* pulchre
15 dixit fugit dolor, fugit enim qui senserit fortiorem et omni celeritate discedit, dolore vero fugiente sanguis fluens ex imo vulnere stetit exclusumque est perinde quod fuerat inimicum et successit quod retinendo vigori corporis fuerat necessarium. *iamque secuta manu, nullo cogente sagitta ex-*
20 *cidit:* si nullo cogente, quomodo secuta manu? hoc ne claudicet, sic intellegendum est, ut sagitta non manu tenentis secuta videatur, sed foventis. *atque novae rediere in pristina vires:* fugiente dolore facta est novitas virium et rediit totum quicquid inflictum vulnus excluserat. novas
25 viris multi non talis quales abscesserant, sed multo meliores exponunt. sed quid sequentibus faciemus quibus ait rediere in pristina vires? novas ergo post fugatum dolorem reparatas intellegamus; multum enim fuit ut ex debilitato talis esset redditus qualis fuerat antequam vulnus esset inflictum.

---

1 *superior* V ed. *lectio* excidisse videtur. | *adiecta ida* V corr. ed. 3 *scire* V ed. 8 *ipso* V *ipsa* ed F. 9 *et alias* V *et* om. ed. 11 *simplice* V *simplicitate* ed. 13 *gessit* i. e. *cessit* V, sed *fugit* interpretatione poscitur, quod ed. et optimi Verg. libri habent. 19 *manu* (et infra) V *manum* ed.: quodsi *manu* Don. legit cum M[I] et P Vergilii, quaestio quam proposuit facilius intellegitur. 20 *nec* V *ne* ed. 25 *multum meliores* V. 26 *sequentibus faciemus* V temere mut. ed. 27 *separatas* V ed. 28 *fuit ut* V *f. quod* ed.

425 *arma citi properate viro! quid statis? Iapyx conclamat primusque animos accendit in hostem:* hoc viso cum Iapygem admiratio tenuisset, clamare coepit: date arma viro forti, date quantocius! qua voce et sanitatem provenisse nuntiavit et fugatam dudum hominis remeasse virtutem, quae vox 5 Aenean ipsum optatum excitavit in bellum. non sibi tamen plurimum dedit, ut hoc ipsum diceret factum opera sua; addidit quippe alia quibus nec sibi adrogaret aliquid et Aenean ipsum meliore spe propriae felicitatis accenderet: *non haec humanis opibus, non arte magistra proveniunt* 10 *neque te, Aenea, mea dextera servat. maior agit deus atque opera ad maiora remittit:* non pudenda confessio, quoniam Iapyx profitebatur non illam hominis, sed divinam fuisse medicinam; in eo nec sibi aliquid dempsit et Aeneae merita 430 quaestu melioris praedicationis cumulavit. *ille avidus pugnae* 15 *suras incluserat auro:* ille, hoc est qui iam dudum etiam cum ipso vulnere ardebat in bellum, consecuta sanitate corporis sui magis magisque properans suras auro incluserat. *hinc atque hinc:* ita ut nihil earum appareret. *oditque moras:* hic mos est properantis tardum putare, etiamsi quod facien- 20 dum est celeriter fiat. *hastamque coruscat:* hastam sic tenebat, ut caelum coruscare putaretur. *postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est:* postquam bene sibi aptavit clipeum a latere et loricam a tergo. habilis et est bis accipiendum, ut sit postquam habilis clipeus est et postquam 25 habilis lorica est. *Ascanium fusis circum conplectitur armis summaque per galeam delibans oscula fatur:* non dixit eum sibi galeam induisse et hic dicit per galeam osculabatur filium suum. ergo aut more suo hoc praetermisit aut ex osculis per galeam datis intellegamus eum etiam ipsam 30 sumpsisse aut vulneratum sic remansisse cum galea, Ascanium vero non fusis armis conplexum, sed circumfusis, ut

---

2 *iam pygen* V *iam Iapigen* ed. (supra *iapygem* V). 4 *date quantocius* V temere mut. ed. 15 *questu* V *studio* ed. 22 *latere* V. 24 *a* bis om. ed. | *et est* V *et* om. *est* post *accipiendum* transpos. ed. 26 *circumplectitur* V. 27 *eam* V ed. *eum* ed. post. 29 *aut ex* V ed. *ut ex* scribi malim.

scuto amplexus sit quem consolari osculis et verbis cupiebat instruere † o amplexus armati, ne omen esset deponere scutum et manibus nudis filium amplecti. ipso scuto eum ad se colligit quo et se defensurus fuerat et securo filio 5 quaesiturus imperium. interea, quia viderat eum flentem, et leniit osculis animum pueri et, ne ultra esset de paterna salute suspectus, dictis quoque conposuit. *disce,* inquit, 435 *puer, virtutem ex me verumque laborem, fortunam ex aliis:* disce non tantum ad virtutem pertinet verum etiam ad 10 laborem quoque et fortunam, ut sit disce virtutem, disce laborem verum, disce fortunam, sed divisit haec alia adscribens personae suae, alia aliis. ex me, inquit, fili, velim discas quam sit commodum studium sectari virtutes, quanta animi patientia labores duri tolerandi sint et tolerando 15 superandi, quantum autem ad eventus fortunae pertinet, sub cuius homines periclitantur incerto, opto ex aliis discas. *nunc te mea dextera bello defensum dabit et magna inter praemia ducet:* facit eum de praesentibus securum defensionem plenissimam spondens et ex victoria commodum. 20 *tu facito, mox cum matura adoleverit aetas, sis memor;* citius enim superiorum pueri inmemores fiunt, quae res necessario suggerebat ut gesta praesentis temporis ad perpetuitatem memoriae commendarentur: facito teneas, inquit, cum fueris maior, ac memoriter volvas quae videris puer. 25 *et te animo repetentem exempla tuorum et pater Aeneas et* 440 *avunculus excitet Hector:* et cum tuos animo coeperis enumerare maiores, patrem atque avunculum imitari contendas, hoc est tuorum potius exciteris exemplis.

---

2 *o amplexus armati* V cruce signavi *aut amplexus armati* absurde ed. fortasse *ideo amplexus armatus.* 3 *ipso* V *ipsi* ed. *ipse* ed. post. | *cum* V ed. *eum* ed. post. 11 *verum* om. ed. 15 *ad ventus* V *ad eventum* ed. *ad eventus* nos. | *attinet* ed. 16 *cuius* V *c. vi* ed. | *incerto* V ut 1, 515 *incerti* ed. 20 *prima* pro *matura* V. 21 *superiorum* V *praeteritorum* ed. 23 *fac ita teneas* V *facito t.* nos *fac Aeneas* ed. 24 *ac* om. ed. 25 *te* om. V. 27 *imitare* V. 28 *hoc est tuorum* V *h. e. virtute tuorum* ed. | *ex ceteris* V *exciteris* nos temere mut. ed.

Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens: ingens, animo scilicet et corpore. *telum inmane manu quatiens:* minantis hoc fuerat signum et plena fiducia pergentis ad pugnam, ferre autem telum inaestimabilis magnitudinis et id una manu tractare quantum fuit insigne virtutis! *simul agmine* 5 *denso Antheusque Mnestheusque ruunt omnisque relictis turba fluit castris:* procedente Aenea in campum omnibus bellandi studium crevit tantumque illius fiducia fuit, ut nullus dubitaret exire: processerunt denique duces nec quis remansit 445 in castris. *tum caeco pulvere campus miscetur:* necesse enim 10 fuerat globum pulveris crescere quem maioris numeri commovebat exercitus. *pulsuque pedum tremit excita tellus:* tantus impetus pergentium fuit, ut eorum pedibus terra pulsata contremisceret. *vidit ab adverso venientis aggere Turnus:* bene primo dixit Turnum vidisse venientis, vel quia in 15 aggere contra positus fuit vel quia in causa sua debuit esse circumspectus. *videre Ausonii gelidusque per ima cucurrit ossa tremor:* qui paulo ante pro victoribus ferebantur Aenea ex causa vulneris inpedito, ut viderunt agmen ad se versum ferri, intellexerunt in illa multitudine etiam 20 Aenean ipsum fuisse praesentem, quo facto non iam pavor aut metus, sed tremor omnis invaserat. *prima ante alios Iuturna Latinos audiit agnovitque sonum et tremefacta refugit:* Iuturna, quam specialis pro salute fratris sollicitudo tangebat, prima vidit, prima audivit, prima cognovit, prima 25 contremuit et refugit: quod idcirco fecit, ne videret exitum 450 Turni vel eius copias sterni. *ille volat:* tanta Aeneas celeritate ferebatur, ut non ambulare, sed volare videretur. *campoque atrum rapit agmen aperto:* campoque aperto atrum rapit: atrum ideo, quia sordibus pulveris fuerat oneratum; 30

---

1 *intulit* V. 2 *tela manu* V ed., sed *inmane* explicatur. 3 *et* om. ed. 5 *insignis* ed. 6 *antheusque* V *que* om. ed. 8 *tantaque* ed. 9 *ne quis* V *nec qu.* nos *nec aliquis* ed. 16 *fuit* V *fuerat* ed. | *quia* om. ed. 19 *in se* ed. 22 *aut* V *et* ed. | *omnis* V *o. eos* ed | *ante alios* V ed. *ante omnis* Verg. libri. 26 *fugit* ed. 27 *illi* V. 28 *feruebatur* V. 29 *atrum* V *a. agmen* ed.

campum apertum dixit, quia caesis hostibus vel metus causa
sparsis vacuus videbatur et patens; rapiebat ideo, quia
volantem supra descripsit, ut mactantibus hostis non oc-
curreret resistentium mora. *qualis ubi ad terras abrupto*
5 *sidere nimbus it mare per medium:* quanta vis est nimbi
quae conflatur ex magna pluviarum copia, cui licet ire
per medium mare. *miseris heu praescia longe horrescunt*
corda agricolis: non enim prius fluctus pelagi scindit, nisi
ante pervaserit campos, denique sequitur *dabit ille ruinas*
10 *arboribus stragemque satis:* satis dixit diversis seminibus
terrae mandatis. *ruet omnia late,* hoc est late prosternet.
ante volant sonitumque ferunt ad litora venti: torrens enim 455
post strages et arboribus et satis inlatas cum propinquare
in mare coeperit, praecedit eum sonitus aquarum et, ante-
15 quam ipse perveniat, signa eius volantes adferunt venti.
talis in adversos ductor Rhoeteius hostis agmen agit: quem-
admodum agmen aquarum torrentibus praecipitatur et
urget in mare non sine eorum pernicie per quae forte trans-
ierit, sic cum agmine suo Aeneas in Rutulos ferebatur
20 infestus. *densis cuneis se quisque coactis adglomerant:* multum
enim valet plurimorum in unum artata congestio, proinde
unusquisque se stipabat in cuneum, ne oportunus fieret
morti. *ferit ense gravem Thymbraeus Osirim, Arcetium*
Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates Ufentemque Gyas: 460
25 obtruncat ad omnis percussores pertinet, Mnestheum, Acha-
ten, Gyan. *cadit ipse Tolumnius augur, primus in adversos*
telum qui torserat hostis: quod ait ipse, poterat dubitari
quid significaret, ideo hoc ipsum prior exposuit poeta,
cecidit, inquit, ipse augur Tolumnius qui mittendo iaculum
30 primus turbavit foederis pacta. *tollitur in caelum clamor:*

---

1 *metus causa* V *metu* ed. 4 *resistentium* V ed I *prae-sentium* ed F. 8 *nōis anteper eraserit* V *nisi ante eraserit* ed. 11 *ruit* V ed., sed in interpr. *prosternet* V, quare *ruet* scripsi *prosternit* ed. 18 *sunt* V *sine* corr. ed. 19 *ferebantur* V. 20 *densis* V *densi* ed. et Verg. libri. 23 *Archetium* ed. 26 *inadversus* V. 28 *prius* ed. 29 *inquit* om. ed. | *iacu-lum* V *telum* ed.

quis enim non excitaretur in vocem, augurem ipsum nec vitare potuisse poenam nec praevidere supplicia? *versique vicissim pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros:* non congesti adfuerant, sed sparsi fugiebant, quae res indicabat oppressos magna virtute. tendebant autem ad agros in- 5 dicantes ex iis se non esse redituros. *ipse nec adversos* 465 *dignatur sternere morti nec pede congressos aequo nec tela ferentis insequitur:* ipse Aeneas indignum aestimabat mactare obvios aut aequo pede congressos occidere, sed nec illos insequebatur qui veniebant telis armati. dicit iam 10 qua causa id faciebat: *solum densa in caligine Turnum vestigat lustrans, solum in certamina poscit.* noverat enim et prudenter considerabat solum esse vincendum qui solus esset causa pugnandi, servandam esse plebem victoriae suae nec ulterius caedendam. 15

Hoc concussa metu mentem Iuturna virago aurigam 470 *Turni media inter lora Metiscum excutit et longe lapsum temone reliquit, ipsa subit manibusque undantis flectit habenas:* ubi sensit Iuturna hoc agere Aenean, ut solius Turni interitum quaereret, rediit ad aliam partem mandatorum 20 Iunonis: quoniam fratrem in confusione foederis liberare non potuit, coepit hunc infesto hosti velle subtrahere, ne inventus occumberet. sic enim illa dixerat (156): „non lacrimis hoc tempus, adcelera et fratrem, si quis modus, eripe morti aut tu bella cie conceptumque excute foedus". 25 ergo, ut dictum est, quoniam frustra fuit foedera dissipasse, coepit niti subtrahere periclitantem, quod fieri sine fraude non potuit; idcirco removit aurigam fratris et in remoti locum ipsa successit. *cuncta gerens vocemque et corpus et arma Metisci:* facile enim in quam vellet formam trans- 30

---

2 *potuisset* V corr. ed. 4 *adfuerant* V ed. dubito num recte, *abierunt* expectes. 6 *exisse non esse credituros* V ed. emendavi secundum v. 597. | *nec adversos* V cf. *obvios* in interpr. 7 *sterne* V. 8 *existimabat* ed. 11 *quid causa* V corr. ed. | *fiebat* ed. 16 *virgo* V. 21 *quum* — 22 *potuisset* ed. | *confusionem* V. 22 post *subtrahere* ad inferiora aberrans *periclitantem* scripserat V, sed expunxit. 24 *tempus* V *t. eget* ed.

ire potuit, quia fuerat dea. *nigra velut magnas domini cum divitis aedis pervolat et pinnis alta atria lustrat hirundo [pabula parva legens nidisque loquacibus escam] et nunc* 475 *porticibus vacuis, nunc umida circum stagna sonat:* nigram 5 hirundinem pro dolentis persona, etiam lugentis posuit; hirundinis quoque non inaniter conparationem induxit, quae sit domestica ut Iuturna de eadem domo et familia qua Turnus. pabula parva legens nidisque loquacibus escam: fetibus suis alimonia quaeritans, ut salutem incolumem 10 teneant. *iamque hic germanum iamque hic ostendit ovantem nec conferre manum patitur, volat avia longe:* volebat Iuturna 480 sic Turnum ostendi, ut gaudere potius quam rebus suis diffidere videretur, nec tamen hunc committebat congressibus et longe ad ea separabat quae non scaterent bello. *haut* 15 *minus Aeneas tortos legit obvius orbis vestigatque virum et disiecta per agmina magna voce vocat:* quantum Iuturna separabat a congressibus fratrem tantum Aeneas conpendiosis orbibus praebebat se obvium et praeveniebat errantem, nec iam occulte; nam hunc per tot sparsos exercitus voce 20 magna provocabat. *quotiens oculos coniecit in hostem alipedumque fugam cursu temptavit equorum aversos currus* 485 *totiens Iuturna retorsit:* quotiens viso hoste Aeneas ire obviam voluit totiens Iuturna currus in alias partis inflexit. *heu quid agat? [vario nequicquam fluctuat aestu]:* cogitabat 25 quid ageret dolens et sine aliquo effectu remedii diversis aestibus agitabatur. *diversaeque vocant animum in contraria*

---

1 *qua puerat adea* V *quia fuerat dea* nos om. ed. 3 *pabula — escam* deest in V, sed explicatur: *escam* scripsi, quia sic in interpr. V. | post hoc *fetibus — retineant* interpos. ed. lemma continuum usque ad *sonat* pertinet in V. 4 *nigra mihi hirundinem* V corr. ed. 5 *personam* V. | post *etiam* partem eorum quae post *induxit* habet V perperam inseruit ed. 6 *quae sit* — 10 *teneant* post *induxit* habet V lemma *similis — curru* substituit ed., quod deest in V neque explicatur. 11 *volabat i. s. t. ostendit* V *volebat I. s. T. ostendere* ed. 14 *ad ea — bello* corrupit ed. 16 *magna* om. V. 21 *currus totiens* V *totiens currus* ed. et Verg. libri. 24 *vario — aestu* deest in V, sed explicatur.

curae: quicquid volvendo tractabat totum contrariis tractatibus efficiebatur infirme. *huic Messapus, uti laeva duo*
490 *forte gerebat lenta levis cursu praefixa hastilia ferro, horum unum certo contorquens dirigit ictu:* Messapus Aeneae forte loco proximus fuit: huic ex duobus ferratis hastilibus unum 5
certo ictu contorsit. certus ictus est qui sic destinatur, ut feriat. *substitit Aeneas et se collegit in arma poplite subsidens:* hoc artis fuerat, ut funderetur ictus quem hostis direxerat certum. subsedit, inquit, poplite et se scuto contexit, ille enim altius miserat, ut caput feriret aut pectus, 10
et, quoniam pro voluntate hostis altitudo corporis fuerat necessaria, humilem se ille e contrario procuravit. *apicem tamen incita summum hasta tulit:* ecce vis mittentis et ex alia parte declinantis ingenium; si enim stans remansisset, invenisset hasta quem sterneret, quod ipsum ex eo appa- 15
ruit, quia in ipsa depressione corporis galeae summam perdidit partem. *tum vero adsurgunt irae:* tum vero id est tum magis irarum crevit augmentum. *insidiisque subactus,* furebat enim, quod contrariis luderetur insidiis,
495 *diversos ubi sentit equos currumque referri,* ubi vidit alior- 20
sum duci equos et currum, *multa Iovem et laesi testatus foederis aras iam tandem invadit medios [et Marte secundo terribilis]:* propter fidem iurisiurandi quod cum Latino perfecerat solum quaerebat Turnum, quem sine crimine sacrilegii posset occidere: sed cum videret sibi eius copiam 25
denegari, testatus Iovem et ceteros deos per quos iuraverat se in bellum necessitate potius quam voluntate conpelli, invasit tandem medios. tandem ideo, quia diu expectavit ne finis belli per Turni solius necem potuisset exire. medios, inquit, secundo Marte invadit terribilis: magna viri fortis 30
constantia! non dubitavit medios invadere ubi a circumfusis posset interfici; ecce et feliciter pugnat vallatus ini-

---

2 *infirme* V *-um* ed. 3 *horum unum* om. V. 8 *fuerat ut funderetur* V *erat ut incassum f.* ed. (*funderet* ed. post.). 9 *dixerat* ed. 12 *e* om. ed. 22 *iam — medios* om. ed. | *et* — 23 *terribilis* deest in V, sed explicatur, hoc infra post *medios* (28) add. ed. 28 *invadit* ed.

mica multitudine et inter tot ac talis terrori omnibus fuit. quanta laus est non timere omnis et ab omnibus metui! *saevam nullo discrimine caedem suscitat irarumque omnis effundit habenas:* supra dixit quod solum Turnum ad necem
5 quaereret, caederet nullum: nunc, ait, quoniam illud non provenit, aliquando tamen commotus passim atque confuse sternebat quoscumque repperisset nullum eligens ad mortem nullumque praesternens, tantum consenserat iracundiae suae, ut nullis iam retineri nexibus posset.

10 *Quis mihi nunc tot acerba deus, tot carmine caedes* 500 *diversas obitumque ducum, quos aequore toto inque vicem nunc Turnus agit nunc Troius heros, expediet?* deus, inquit, nunc est necessarius, sed quis sit iste invenire non possum, quo iuvante valeam conplecti quantos duces Turnus,
15 quantos Aeneas occidit. *tanton placuit concurrere motu, Iuppiter, aeterna gentis in pace futuras!* necessaria exclamatio poetae admirantis deorum iniquitatem qui patiebantur in alternam perniciem gentis tendere in aeternam venturas perpetuamque concordiam. *Aeneas Rutulum Suc-* 505
20 *ronem (ea prima ruentis pugna loco statuit Teucros) haut multa morantem excipit in latus et qua fata celerrima crudum transadigit costas et cratis pectoris ensem:* interpositum est ea prima ruentis pugna loco statuit Teucros: cum properarent, inquit, in hostium caedem Troiani, ibi constiterunt
25 ubi Aeneas Rutulum Sucronem occidit; nam non multa mora interposita excepit eum in latus et qua parte corporis peti expeditius potuit ipsa eum percussit; nam per latus et costas traiecto ense eum prostravit. interpositum diximus ea prima ruentis pugna loco statuit Teucros, quo
30 facto divisum constat unum sensum, nos isto subtracto in-

---

2 *timeri* V *timere* ed. | *omnis* om. ed. 5 *quereret cederet* V *ac* interpos. ed. 7 *nullum* V *antea n.* edF. 8 *praesternens* V *prosternens* ed. 10 *tot carmine* V *quis c.* ed. et Verg. libri interpretatio dubium relinquit. 12 *expediet* V *expediat* ed. et Verg. libri. 21 *excepit* infra 612, 2 *excipit* V *exigit* ed. 24 *constituerunt* V corr. ed. 26 *et qua parte* V *ex qua vero p.* ed. 27 *expetitius posuit* V corr. ed.

tegremus quod interposita diviserunt: Aeneas Rutulum Sucronem haut multa morantem excipit in latus et qua fata celerrima crudum transadigit costas et cratis pectoris ensem. hic iungendum est ea prima ruentis pugna loco statuit Teucros et erit conpositio directa verborum. *Turnus equo* 5
510 *deiectum Amycum fratremque Dioren congressus pedes hunc venientem cuspide longa, hunc mucrone ferit curruque abscisa duorum suspendit capita et rorantia sanguine portat:* multa hic semel dicta sunt, sed non semel accipienda; quippe Turnus equo deiecit Amycum, equo deiecit et fratrem 10 eius Dioren; nam cum addit fratremque Dioren et non significat utrum pedes an eques fuerit, etiam Dioren ostendit vectum fuisse. ergo equo et deiectum bis accipere debemus, deiectum equo Amycum, deiectum Dioren equo. ferit etiam bis intellegendum, ut sit illum ferit longa cuspide, 15 illum ferit mucrone. ostentationis autem fuit et incutiendi terroris quod caesorum capita adhuc emittentia sanguinem secum Turnus vehebat in curru. *ille Talon Tanainque neci fortemque Cethegum, tris uno congressu, et maestum mittit*
515 *Oniten nomine Chionium matrisque genus Peridiae:* ille in- 20 quit et incertum putatur reliquisse utrum de Aenea dictum videatur an de Turno, sed non est vitium poetae; nam ex Cethegi nomine, quem constabat fuisse Troianum quemque aliis nexuit, ostendit non Aenean se dixisse, sed ipsum Turnum. tris igitur uno congressu, in quibus Cethegus 25 fuit, adsistente virtute deiecit, Oniten vero, hoc est Onitis et Peridiae filium, qui Chionio nomine diceretur, separatim stravit. maestum dixit, quia incurrerat hostis manus, quas non potuit evasisse. quod ait mittit, non ad Oniten solum, sed ad omnis pertinet. *hic fratres Lycia missos,* Lycii et 30 Menoetes ex partibus Aeneae fuerant, *et Apollinis agris:*

---

3 *transadicit* (supra recte) V. 4 *hinc* ed. 7 *suscipide* pro *cuspide* V. 10 *equo deiecit et* V *quo d. et* ed. 13 *et deiectum* V *et deiecto* ed. 14 *erit etiam bis* V *ferit bis quoque* ed. 16 *fuit* V ed. *f. et* nos. 20 *nomine chionium* et infra *chionio* V *echionio* utrobique ed. 30 *et Menoetes* om. ed. 31 *appolyni sacris* V.

ex Lycia et Apollinis agris isti fuerant fratres. Lyciam caram fuisse Apollini et propriam etiam in quarto libro (143) memoravit dicens „qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta deserit ac Delum maternam invisit Apollo".
5 *et iuvenem exosum nequicquam bella Menoeten:* Menoetes quoque perosa habens bella, cum inertem aetatem iuvenis duceret, pro bellatore prostratus est. dicit causam propter quam frustra ducebatur ad bellum; ipsa enim fecerat ut pugnare nesciret: *Arcada, piscosae cui circum flumina*
10 *Lernae ars fuerat pauperque domus nec nota potentum munera* 520 *conductaque pater tellure serebat.* Arcas iste, inquit, fuit piscandi semper deditus studio, qui solum lacum Lernae et domum suam pauperem id est angustae substantiae noverat, nesciens prorsus quid divites agerent nec alicuius
15 obsequiis deditus, nec solum ipse pauper verum etiam pater eius; nam in terra conducta morabatur dans operam seminibus iaciendis. ecce verècunda paupertas in necessitate posita non quaesiit patrocinium divitis, non maioris substantiae desideravit auxilium, piscatio alebat filium, con-
20 ductorem patrem ager pascebat alienus et ipse non grandis, sed pro facultatibus pauperis intellegendus. quis enim pauperi magnum crederet praedium? laudandum in duobus institutum, quos non polluit necessitas aut aliquo vel levi scelere maculavit! *ac velut inmissi diversis partibus ignes*
25 *arentem in silvam et virgulta sonantia lauro, aut ubi decursu rapido de montibus altis dant sonitum spumosi amnes et in aequora currunt, quisque suum populatus iter: non* 525 *segnius ambo, Aeneas Turnusque, ruunt in proelia, nunc nunc fluctuat ira intus, rumpuntur nescia vinci pectora, nunc*
30 *totis in vulnera viribus itur:* duas flammas diversosque torrentis duobus viris fortibus conparavit; nam quo modo flammae consumunt quicquid occurrerit et torrentes quic-

---

1 *apollini sacristi* V *isti* om. ed. 4 *invasit* V in IV *invisit.* 5 *Menoetem* ed. 19 *conductorem* V *-tus* ed. 20 *alienus* om. ed. 21 *pauper in* V corr. ed. 23 *velle vis celere* V cf. 3, 181 *paupertas scelere* ed. 28 *in proelia* V *per pr.* optimi Verg. libri. | *nunc* semel scr. V.

quid inpulerint trahunt, sic isti saeviebant in adversos elati ira et cupiditate vincendi, non metuentes vulnerum casus aut mortis. *Murrhanum hic atavos et avorum antiqua* 530 *sonantem nomina per regesque actum genus omne Latinos praecipitem scopulo atque ingenti turbine saxi excutit effundit-* 5 *que solo:* Murrhanum hic: hic pronomen est, non adverbium loci, proinde hic, hoc est Aeneas, Murrhanum saxo ingenti deiecit. magnitudinem saxi ex eo ostendit, cum dicit ingenti turbine, simul probavit et mittentis virtutem. huic adserit poeta vanitatem animi sui obfuisse, qui, dum se 10 putaret propter nobilitatem generis, quod per reges Latinos ad ipsum quoque pervenerat, a quoquam contingi non posse, sic Aeneae manu prostratus interiit. *hunc lora et iuga subter provolvere rotae, crebro super ungula pulsu incita nec domini memorum proculcat equorum:* cadens, inquit, Murrhanus 15 non extra currum, sed sub ipsum temonem rotarum volubilitate perductus est, quo facto equorum suorum contundebatur pedibus et rotis currentibus terebatur. equi, ait, non erant memores domini: iocari voluit poeta, non verum 535 dicere; nam sensus iste ab equis et rotis alienus est. *ille* 20 *ruenti Hylo animisque inmane furenti occurrit:* ruenti dixit non cadenti, sed inconsiderata festinatione properanti, denique huic et ingentem furorem dedit, ut prorsus nesciret quando vel quemadmodum posset occidi. *telumque aurata ad tempora torquet:* venienti, inquit, occurrit, ut ostenderet 25 constantiam et fiduciam viri fortis, et in tempora aurata hastam fixit. *olli per galeam fisso stetit hasta cerebro:* ecce ipse evidentius ostendit; nam galea victa usque ad cerebrum eius hasta intorta pervenerat. fisso, ait, cerebro stetit hasta: hic omnis vis expressa est; non enim finditur quicquam nisi 30 interveniente maiore violentia nec stat nisi quod alte infixum. factum hoc ad Turnum intellegitur pertinere. *dextera nec tua te, Graium fortissime Creteu, eripuit Turno:* ecce

---

6 *Murrhanum hic* om. ed. 14 *super crebro* V. 21 *furente* V. 27 *hasta fixit* V *hastam f.* ed. | *fixo* V, sed *fisso* explicatur *fuso* ed. 29 *intorta* V *in terga* edI *integra* edF. 30 *finditur* V *funditur* ed. 31 *infixum est* ed. 33 *creto* V.

et hic Creteum dicit interemptum. quomodo igitur fieri potuit ut homo unus diversis temporibus bis occideretur? ne quasi inmemoris poetae vitium existat, melius est sic intellegere, ut alter ille fuerit de quo dixit (9, 775) „Cretea
5 Musarum comitem, cui carmina semper et citharae cordi numerosque intendere nervis". denique, si idem etiam hoc loco fuisset, artis eius et peritiam musicae scientiae iterum praetulisset. *nec dii texere Cupencum Aenea veniente sui:* 540
Aenea veniente non potuerunt Cupencum dii sui tueri.
10 *dedit obvia ferro pectora nec misero clipei mora profuit aeris:* tantum oportunus fuit ad excipiendam mortem, ut illum nec dii sui nec munimenta corporis potuerint defensare. quis enim deus inerti posset auxilium ferre, quando adversum pectus ultro obtulit ferro tantumque se opor-
15 tunum praebuit, ut nec obiectu clipei aliquas morti suae moras adferret? *te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi oppetere et late terram consternere tergo:* dixit et Aeolum occisum, sed huius poeta exitium non sine adfectu miserationis inseruit, denique *occidis* ait; hoc verbum occidis
20 maiorum personis aptatur, sed, quoniam hunc de nobilium numero vult esse Vergilius, occidisse eum dixit, non occisum esse. *Argivae quem non potuere phalanges sternere nec Priami* 545
regnorum eversor Achilles: texisti, ait, corpore tuo terras Italiae, qui congredientibus exercitibus Graecis et ipso
25 Achille, eversore totius regni, non occubuisti. per apostropham formosam conparationem induxit exprimens in ea dolentis adfectum, quasi si diceret potuisti cadere in genitalibus terris et a melioribus percuti, nunc in peregrinis iaces et te prostravit inferior. *hic tibi mortis erant metae,*
30 *domus alta sub Ida:* non tibi defuit virtus tua, sed fatorum ratione perfectum est ut natus in aliis terris vivendi finis ac terminos in alienis regionibus invenires. *Lyrnesi domus*

---

7 *musice* V *musicae et* ed. 8 *Cupentum* ed. 9 *Aenea veniente* in interpr. om. ed. 11 *aeris* V *aerei* ed. 12 *potuerunt* V *potuerint* nos *potuissent* ed. 13 *inerti* V *morti* ed. cf. 9, 586. 17 *occidis* lemmati add. ed. 18 *exitum* ed. 21 *cisum* V *caesum* ed. 27 *si* om. ed. 32 *Lyrnessi* ed.

alta, solo Laurente sepulchrum: nascentem te excepit Lyrnesi domus, mortui funus Itala terra conplexa est. *totae adeo conversae acies:* more suo misit generalitatem, ne solos Aenean et Turnum fugantis induceret: ait enim quod faciebant duo faciebant etiam ceteri nec aliquis fuit a belli 5 certamine vacuus. *omnesque Latini, omnes Dardanidae,*
550 *Mnestheus acerque Serestus et Messapus equum domitor et fortis Asilas Tuscorumque phalanx Euandrique Arcades alae:* cum posset sufficere totae adeo conversae acies, ambitione dicendi ductus ivit per species homines aliquos et gentis 10 enumerans. *pro se quisque viri summa nituntur opum vi:* in bello enim non curat unusquisque nisi quemadmodum primum vitam suam salutemque tueatur, tunc etiam sociorum. *nec mora nec requies, vasto certamine tendunt:* nec mora certamini dabatur nec requies labori, continuum fuit 15 quicquid illic gerebatur; hoc enim exigebat magni operis ratio cupiditasque vincendi.

Hic mentem Aeneae genetrix pulcherrima misit: non corpore formosa mulier, sed mater pulcherrimi adfectus et pro salute fili pulcherrima. misit mentem nato hoc est 20 consilium. sic et in primo libro ait (676) „nostram nunc
555 accipe mentem" hoc est consilium. *iret ut ad muros urbique adverteret agmen ocius:* non tantum iret cum agmine sed et ocius id faceret. exponit quare ocius: *et subita turbaret clade Latinos.* gravius est enim malum et citius obtinet 25 quod inopinantis oppresserit. securi enim fuerant intra civitatem constituti aliis in campo certantibus. *ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum huc atque huc acies circumtulit, aspicit urbem inmunem tanti belli atque inpune quietam:* dum illuc atque illuc oculos tendit quaeritans per 30 diversas acies Turnum, respexit urbem sic inmunem cladibus belli, ut omnis illic quies esset et securitas plena,
560 quasi nihil triste inter ceteros gereretur. *continuo pugnae*

4 *quo* V *quod* ed. 5 *etiam* V *et* ed. 8 *archades* V *Arcadis* ed. 9 *possit* ed. 23 *cum agmine* V *ad agmen* ed. 26 *oppinantis* V *inopinantis* ed. 28 *huc acies atque huc acies* V.

accendit maioris imago: quasi iam fieret quod mente conceperat, sic accensus est. *Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum ductores:* non Serestum ductores, sed Mnestheum, Serestum et Sergestum, omnis ductores. idcirco,
5 inquit, hos vocavit, quoniam ductores exercitus fuerant et oportuit eos regis consilium nosse. *tumulumque capit,* unde possit a circumfusis audiri. *quo cetera Teucrum concurrit legio;* constituto enim rege in edito loco et vocatis ductoribus intellexerunt omnes aliquem pro communi com-
10 modo futurum esse tractatum. *nec scuta aut spicula densi deponunt:* atque ita ut armati fuerant manserunt; oportuit quippe plenam esse cautelam ubi tantus fervor certaminum vertebatur. *celso medius stans aggere fatur:* facile audiri potuit qui in summo constitutus fuit et stabat medius.
15 stans intellectum latissimum tenet; in necessitate enim tanta sedere non debuit, dein quia decuit honorificum esse principem, ut stantibus universis etiam ipse staret, vel quia aliter videri et audiri non poterat, nisi vidisset omnis et videretur ab omnibus. sic ergo suum coepit referre
20 consilium: *ne qua meis esto dictis mora, Iuppiter hac stat,* 565 *neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.* nulla, inquit, mora interponatur post ea quae dixero nec repentinum quemquam consilium turbet; stat enim nobiscum Iuppiter, cuius favore confido. incipit iam dicere inventa
25 sua et ad celeritatem prius instructis proprium referre tractatum. *urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini, ni frenum accipere et victi parere fatentur, eruam et aequa solo fumantia culmina ponam:* diu, inquit, erravimus nec malorum omnium quae esset principalis causa potuimus
30 noscere: fiat ergo celerius quod tardius visum est. excindenda est hodie civitas, cuius adhuc incolumitate victoria nostra differtur, delendum Latini imperium, nisi adquieverint condicionibus nostris, nisi se iussis parituros Itali

---

1 *accedit* V ed., sed vide interpretationem. 7 *possit* V ed. *posset?* 22 *postea quae* V *his quae postea* ed. 32 *nisi adquieverint* V *neque acquiescent* ed.

propria professione signaverint. in campum redigenda universae urbis amplitudo et inimicae facies ardere debet aut cadere, si superiores non agnoverint Teucros aut de sua
570 condicione fateri noluerint. *scilicet expectem, libeat dum proelia Turno nostra pati rursusque velit concurrere victus?* 5
an ego non provideam commodis nostris, donec Turnus pugnare velit aut nolit? si cogor superati hominis arbitrium sequi, cur non ipsi sentiant vim potentiamque victoris? *hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi:* feriendum est malorum nostrorum caput, reliqua post eius supplicium 10
parem sortientur interitum; radenda est nefarii belli summa, ut conquiescat penitus quod ex ipsa per scelus emergit et pullulat. *ferte faces propere foedusque reposcite flammis:* qua brevitate coepit ipsa conclusit: urbem, inquit, hodie, causam belli: quid vellet delere et quando et quam ob 15
causam id facere disponeret breviter dixit, hic autem docet quomodo hoc ipsum posset inpleri, cum dicit ferte faces propere, ut incendendam scirent, foedusque reposcite flammis, ut procurarent pacem incendia, quam dolus et humanum perturbarat inventum. *dixerat, atque animis pariter cer-* 20
tantibus, magnam enim habet vim quod pari consensu et
575 unanimiter geritur, *omnes dant cuneum.* suffecerat hoc dictum, addidit atque animis pariter certantibus. atque, ut quod dixerat satiaret, conexuit *densaque ad muros mole feruntur:* ecce quantum valuit iubentis auctoritas! et fiebant 25
iussa consensu omnium et celeriter gerebantur. feruntur, inquit, ut ultra modum properantes, quos exagitabat tanti regis praeceptum et utilitas sua. *scalae inproviso subitusque apparuit ignis:* quaesitas scalas et advectas ignemque adlatum non dixit studio breviandae narrationis; quid enim 30
poneret quod ex consequentibus procuratum posset ostendi? ergo agendis rebus magna est celeritas adhibita: nam

---

5 *victis* V. 13 *et foedusque* V. 15 *quid vellet* V *se velle* ed. 20 *procurarat* V *turbarat* edF *perturbarat* nos. 22 *regitur* V *geritur* edF. 23 *atque — certantibus* om. *densaque — feruntur* pro lemmate substituit ed., quod infra pro lemmate scr. V.

quam cito aut unde inventae sunt scalae quae muris admoverentur! aut quam repente ignis apparuit! haec extra muros gerebantur, incipit perturbationem civitatis exponere: *discurrunt alii ad portas,* ne evectae facilis ingressus hosti-
5 bus darent. *primosque trucidant,* hoc est illos qui primi ingrediebantur. *ferrum alii torquent et obumbrant aethera telis:* diviserant officia subveniendi, namque aliis curantibus portas alii missilia tela torquebant tanta copia, ut obumbratum caelum videri non posset. *ipse inter primos dextram*
10 *tendebat inermem Aeneas magnaque incusat voce Latinum* 580 *testaturque deos iterum se ad proelia cogi, bis iam Italos hostis, haec altera foedera rumpi:* cum tela tam innumera e muris iacerentur, cum fusi ante portas aliqui occubuissent, Aeneas adhuc se benivolum Latino monstrabat, tendebat
15 inermem dexteram, quod fuit signum nolentis pugnare, loquebatur etiam magna voce Latini incusationem prosequens. generale hoc est; non enim specialiter dixit quae contineret prolixitas vocis et clamorum magnitudo: suspicari tamen aliqua possumus pro persona loquentis. si enim
20 Latinus constans fuisset in ordinandis filiae nuptiis, si tot adversis esset emendatus, non veniretur ad talia. magna, inquit, voce, aliter quippe loqui non debuit qui cogente ira et strepente perturbatorum tumultu cupiebat audiri. testabatur autem deos, qui soli humanarum cogitationum
25 gnari sunt, invitum sese inter initia in certamen exisse, invitum iterum cogi. iusta haec obiurgatio fuit; primo enim ipsi coeperant bellum, ipsi etiam rursum facientes contra humanas et divinas leges, rumpentes iterum foedera. *exoritur trepidos inter discordia civis:* discordiam dixit ani-
30 morum dissimilis motus et non sibi consentientis. incipit

1 *vente* V *inventae* ed. 3 *exponere* V *ostendere* ed. 4 *evectae* V *apertae* ed. *effractae*? 9 *videre* V corr. ed. 10 *tendebat inermem* (cf. 311) V confirmatur interpretatione *sub moenia tendit* ed. et Verg. libri. 11 *iter se* V *insevitum* edF[1] *se invitum* ed. post. 12 *tam* om. ed. | *innumere* V *innumera* ed. *i. e* nos. 13 *iacerent* ed. 16 *etiam* V *enim* ed. | *incusatione* V corr. ed. 19 *possumus* V *diximus* ed. 21 *veneretur* V *veniret* ed. 27 *rursus* ed.

dicere quid singuli sentirent: *urbem alii reserare iubent*
585 *et pandere portas Dardanidis ipsumque trahunt in moenia regem:* qui videbant periculum praesens in discrimen manifestum dicebant aperire civitatem melius esse quam occupari armis aut flammis et ob hanc causam urgebant regem 5
in moenia hoc est ad muros; *arma ferunt alii et pergunt defendere muros:* quibus tradendae urbis sententia displicebat manus properantes ad arma converterant, ut contra hostilem vim muris adsisterent. *inclusas ut cum latebroso in pumice pastor vestigavit apes fumoque inplevit amaro:* 10
590 *illae intus trepidae rerum per cerea castra discurrunt magnisque acuunt stridoribus iras, volvitur ater odor tectis, tum murmure caeco intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras:* more suo propter addendum splendorem carmini subiecit similitudinem conparans civitatem pumiceis latebris, quae 15
adiri facillime possunt et cito dissolvi, apes Latinis, acutum quidem et asperum animalis genus, sed quod fumo exiguo potest superari, castra Latinorum apum cereis castris, quae sine adminiculo virtutis exiguo possint momento turbari et invadentis levi manu comminui, apum murmur cum 20
Latinorum trepidatione, Aeneae vestigatorem apum curantem ne fugiant, fumum incendio quo Aeneas urbi minabatur excidium.

Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis, quae totam luctu concussit funditus urbem: talis est hic locus qualis 25
est ille (11, 225) „hos inter motus, medio in flagrante tumultu ecce super magna maesti Diomedis ab urbe legati responsa ferunt“. nam tunc vere fortuna probatur inimica cum malorum asperitas nec lenitur prosperis et cumulatur adversis. incipit iam referre causam luctus ingentis qui 30
595 totam faciem civitatis acerbitate confudit: *regina ut tectis*

---

3 *praesens in* V ed I *pr. et* ed F. 9 *cum* om. V. 16 *adiri* V *comburi* ed. | *latinis actuum* V *Latinorum actibus* ed. *Latinis acutum* nos. 17 *quidem et* V om. ed. 20 *aptum* pro *apum* et infra V. 25 *hic* V *iste* ed. 26 *medio in* ut in XI V *in* om. ed. | *flagrantem* V. 28 *nam tunc* V *tunc enim* ed. 29 *prosperis* om. ed.

venientem prospicit hostem, incessi muros, ignis ad tecta volare, nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni. quantum huic dedit verecundiae et cautelae! regina, inquit, cum e tectis suis bellorum opperiretur eventus: ecce
5 curiosam fecerat metus et inde spectabat quid gereretur in campo ubi ipsa spectari non posset, non ivit ad alienam domum, sed sua tecta conscendit. amor eam talem fecerat generi et contra Aenean semel suscepta sententia. cum igitur cerneret venire ad urbem hostilem manum, quae
10 malorum procul dubio initium ferret, accedere etiam quod pulsabantur muri, quod volabat ignis in tecta, quod nullus defensor aderat, quid dabit coniectura metuenti casum Turni nisi quod potuit moritura sentire? quicquid enim metuimus fieri in incertis hoc etiam falso sentimus. idcirco
15 ait *infelix pugnae iuvenem in certamine credit extinctum:* infelicem mire posuit quae tam cito quae nondum acciderant extrema Turni sensisset quaeque esset moritura vivo adhuc eo quem diligebat ut mater. *et subito mentem turbata dolore se causam clamat crimenque caputque malorum:* subitus 600
20 dolor cum sit solitus etiam quietam turbare, tum magis confundit sensus quos suspensos invenerit. inde plus infelix inani coniectura conpulsa est et in repentino malo, accedente eo quod femina sexus sui levitate turbata circumspectum consilium habere non potuit. clamabat se esse
25 malorum omnium caput quae nihil fecerat, utpote quae marito incolumi de filiae nuptiis iudicare non potuit, sed tantum pro Turni partibus nisa contra mariti sententiam. interea mox sese ad animi sui destinata convertit et secuta est quod habuit praeparatum. prodiderat enim dispositionem
30 suam, cum inparem iudicans quem cupiebat generum

---

5 *expectabat* V ed. 6 *expectare* V ed. 11 *pulsabatur mori* V *putabatur mori* ed. 12 *dabit* V ed. *habet* ed. post. *dabat*? | *metuendi* ed. 20 *quietam* V edI *mentem* aut audiendum est ex lemmate aut excidit *quietum* edF. 21 post *infelix* mihi quidem *quod* excidisse videtur cf. 3, 50, ceterum totius loci sententia contortissima est. 23 *accedit* ed. 26 *filiis nuptiis* V corr. ed. 27 *turno partibus* V corr. ed. 28 *secutum* ed. 30 *eum* V ed. *cum* nos.

revocaret a pugna; sic enim superius (61) positum est: „qui te cumque manent isto certamine casus et me, Turne, manent, simul haec invisa relinquam lumina nec generum Aenean captiva videbo“. aliqua tamen loqui conpulsa est et sic vitam suam concludere vi: se causam clamat crimen- 5
que caputque malorum. ipse est reatus verus et nulla defensionis ope suffultus quem reus ipse confitetur et firmat. quod Amata faciebat, quoniam cogebat dementia, urgebat et furor. nam nullus est qui crimina sua sponte fateatur, nisi quem agit inpotentia mentis aut quem tenet mortis 10
adfectus. ipsa igitur prosecuta est accusationem suam, ipsa iudicis officium tenuit, in executione sententiae suae ipsa carnificis partis inplevit. *multaque per maestum demens effata furorem,* multa praeterea effundens quae convenirent dementis furentisque personae, *purpureos moritura manu* 15
discindit amictus et nodum informis leti trabe nectit ab alta: praeter multa mala quae per dementiam et furorem locuta est discidit quoque purpuream vestem perindeque pretiosam. quid enim de speciei merito cogitaret quae ipsam salutem suam mortis destinatione contempserat? et nodum informis 20
leti trabe nectit ab alta: informis, hoc est non convenientis sexui vel honori. nodus intellegendus est quo nexuit fauces suas et funus suum pendulum fecit. *quam cladem miserae*
605 *postquam accepere Latinae, filia prima manu flavos Lavinia crinis et roseas laniata genas:* consentaneum fuerat 25
domesticam cladem primo mulieres noscere, quoniam viri in aliis fuerant occupati; verum quia secundo loco filiam putatur nominasse, non secundo dictam, sed cum ceteris Latinis matribus audisse eam intellegendum est, quo conperto prima discidit comam: prima, ait, vestis indumenta 30

---

1 *sevocare* V *revocaret* nos *evocare* HO ed. 5 *nise* V *vi se* nos *in se* H *se* ed. | *causa* V corr. ed. | *clamat* V *clamans* ed. | *crimenque* V *et crimen* ed. 15 *dementi furentique* ed. 28 *putatur* V ed. „verba corrupta“ adnotat Hoppius p. 20 n. 44: ego quid hic corrupti sit non video: fuere qui Vergilium reprehenderent, quod Laviniam secundo loco nominasset, hos refutat Don.

diruit, prima laniavit faciem suam. ipsa enim debuit primitus dolere et luctibus gravius commoveri ad quam materni funeris acerbitas specialiter pertinebat. *tum cetera circum turba furit:* cetera turba earum accipienda est quae
5 miseratione potius reginae suae quam adfinitatis ratione movebantur. *resonant latae plangoribus aedes:* moralis dictio, paulatim quippe in omnium notitiam mala perveniunt. nam et de Pallantis morte (11, 139) sic dixit: „et iam fama mali, tanti praenuntia luctus, Euandrum Euandrique domos
10 et moenia replet". ecce et hic ait primam filiam cum aliquibus Latinis mulieribus scisse, postea tensos clamores et ululatus extitisse plangentium, ut resonans latitudo domus acerbitatem facti in occulto esse non sineret. denique sequitur *hinc totam infelix vulgatur fama per urbem:*
15 vulgatur, hoc est per omne vulgus totius urbis spargitur. *demittunt mentes:* omnes scilicet qui audiere ceciderunt animis. *it scissa veste Latinus coniugis attonitus fatis urbisque ruina:* Latinus, qui personam mariti gerebat et regis, 610 et suis malis confusus et publicis stupuerat in unum tempus
20 convenisse intolerabilia mala, uxoris scilicet mortem et extremum periculum patriae. ibat autem scissa veste per publicum rex. *canitiem inmundo perfusam pulvere turpans:* et contra aetatis meritum et dignitatem loci sui canitiem suam turpans inmundo pulvere; non enim eligere poterat
25 dolens quid inponeret capiti suo.

Interea extremo bellator in aequore Turnus palantis sequitur paucos: detrahentis animo hoc dictum est; dum 615 enim haec in civitate vel adversus civitatem gererentur, Turnus omnium ignarus, utpote in extrema camporum parte
30 constitutus, raros insequebatur; nec ex eo admoneri potuit

---

3 *tunc* ed. 6 *magnae clangoribus* V hoc Donatum non legisse interpr. docet dubium relinquens utrum *latae* an *late*, sed *latitudo* ad *latae* inclinare videtur, quod recepit ed.; *plangoribus* eo quod est *plangentium* confirmatur *clangoribus* ed. 7 *notitia* V ed. corr. ed. post. 8 *fama mali* ut in XI V *fama volans* ed. 10 *complet* ed. 11 *tensos* V edI *densos* edF. 15 *vulgare* V *vulgatur* ed. recepi propter *spargitur*. 30 *nec* — 624, 1 *abesse* om. ed.

non frustra alios abesse. *iam segnior atque iam minus atque minus successu laetus equorum:* prope mortem enim constitutus et ingenium et consilium perdidit, denique, inquit, et ipse et equi eius multo minus poterant quam solebant. *attulit hunc illi caecis terroribus aura commixtum clamorem* 5 *arrectasque inpulit auris confusae sonus urbis et inlaetabile murmur:* licet ex longinquo, tamen, quia magna fuit causa plangentium reginam et patriam, pervenit ad auris eius, non quid factum sit, sed aliquid mali commissum; nam ex confuso clamore coniciebat intervenisse adversa quae 10 totam urbem gemitu atque ululatu et clamore confunderent. quantum Turni socordia reprehenditur, cum inducitur . . . . .

Deest interpretatio usque ad v. 664.

. . . . . periculum sustinentibus. tu versas currum: versare est currum non celeriter ducere et rotam lentius volvere: 15 et delicato, inquit, rotarum motu currum segnius trahis. addidit deserto in gramine: delectat te, inquit, mollities graminis, ubi sine inpulsu ac strepitu tecum rotae versantur. dicendo tu magnum nobis in uno pronomine reliquit intellectum; tenet quippe obiurgationem plenam hoc 20 modo: tu cuius causa est, tu pro cuius commodo omnis Italia contendit et dimicat, tu qui primus in acie, primus pro patriae statu adsistere debuisti, tu qui tantum eras periculis propior quantum † superata fuerint cetera putas te aliquid agere, quia deliciosus erras in deserto gramine, 25 hoc est ubi deest hostis qui otiosum turbet aut torpenti 665 certamen intendat. *obstipuit varia confusus imagine rerum Turnus et obtutu tacito stetit, aestuat ingens imo in corde pudor mixtoque insania luctu et furiis agitatus amor et conscia virtus:* et proposuit et executus est omnis motus Turni; 30

---

12 *inducitur* finis folii 232 Bb in V incipit fol. 223 Aa (cf. praef. de quaternionum ordine) a *periculum sustinentibus* pro quo lemma *tu — versas* substituit ed. (O quinque chartas in suo exemplari deficere adnotat: non potest ergo Vaticanus fuisse cf. praef. p. XXII). 15 *et rotam* V *sed r.* ed F. 17 *inquit* om. ed. 24 *quantum superata fuerint cetera* V ed.: sensu haec carent, fortasse *qu. super te fuerunt orta*?

nam quod ait generaliter confusum varia imagine malorum stupuisse, hoc specialiter subiecit: prima fuit pudoris causa; qua enim fronte veniret ad suos desertor commodi sui et inflictis tot malis? secunda fuit insania, quae oriebatur
5 ex eo quia convalescentibus adversis non valebat occurrere; tunc enim acrius saevitur, cum spes cessat ultionis: similiter et alio loco (4, 300) dixit „saevit inops animi“. accedebat huic et luctus ex eius morte descendens in qua fuit omnis fiducia uxoris accipiendae. sequebatur amoris
10 causa eius virginis quam desperabat sibi posse coniungi. cumulabat omnium malorum congeriem virtutis conscientia, quae tot adversis simul oppressa respirare non poterat. *ut primum discussae umbrae:* pulchre dixit umbras animi; ubi enim perturbatus fuerit, vel maxime plurimis malis,
15 tamquam in tenebris positus non videt quid agat nec invenit viam qua se possit exolvere. *et lux reddita menti:* copiosa dictio; ubi enim remotae fuerint tenebrae, lux continuo subrogata succedit, ut fit cum nox consummatur et consequitur dies. *ardentis oculorum orbis ad moenia torsit* 670
20 *turbidus eque rotis magnam respexit ad urbem:* resumpta luce post tenebras, ubi animum collegit, torsit ad eam partem oculos in qua civitas fuit atque ita ut in curru fuerat moenia ipsa respexit. *ecce autem flammis inter tabulata volutus ad caelum undabat vertex turrimque tenebat:*
25 multis locis ostendimus adversa nuntiari ubi ecce autem praecesserit, denique et hic incendium visum est turris, quae sic ardebat tabulatorum firmitate correpta, ut ex eius summa parte in caelum flamma consurgeret. *turrim, conpactis trabibus quam eduxerat ipse subdideratque rotas* 675
30 *pontisque instraverat altos:* multiformiter Turnus etiam ex conflagratione turris dolore percussus est, primo quia perierat illud quod diligentia sua et proprio labore perfecerat;

---

2 *stipuisse* V. 5 *ex eo qui* V ed. *e. e. quia* ed. post. 8 *eius* V ed I *Amatae* ed F. 14 *fuerat* ed. 18 *consumitur* ed. 21 *colligit* V corr. ed. 23 *tabula* V. 25 *ubi* V *urbi* ed. | *ecce* — 26 *praecesserit* om. ed. 30 *intraverat* V *instruxerat* ed.

est enim peculiaris adfectus iuxta ea quae unusquisque facienda curaverit vel inpenso sudore perfecerit. in quo iste effusum laborem suum et diligentiam gemebat, laborem in extruendo, diligentiam vero in structione pontium et rotarum, ut facilis in eam esset ascensus et quo necessitas 5 posceret posset adduci. *iam iam fata, soror, superant, absiste morari: quo deus et quo dura vocat fortuna sequamur:* consentiendum est his, soror, quae renitendo superare non possumus. vincunt fata et quo voluerint etiam invitos trahunt, fortuna et deo urgemur adversis, fiat quod volunt, 10 quia nolle non possumus. *stat conferre manum Aeneae:* quia hic dici potuit periclitaberis, si hoc fuerit factum, ipse velut respondentis partibus functus occurrit: *stat,* inquit, *quicquid acerbi est morte pati.* stat, hoc est consumptis tractatibus universis faciendi fixa sententia est et, si cer- 15 tare contrarium est, praestat cum gloria mori quam cum ludibrio superesse. *neque me indecorem, germana, videbis* 680 *amplius:* ut haec posset dolenti sorori extorquere, dixit quid commodi ex ipsis adversis esset habitura. si, inquit, gloriosum fratrem soror habere nequis, habebis ex malis 20 meis nonnullum beneficium, quod non videbis indecorem, meliusque proveniat, si semel doleas mortuum quam perpetuo gemas vitae ludibriosae subiectum. *hunc, oro, sine me furere ante furorem:* certe insanire ante veram insaniam cogor, permitte, germana, faciam satis animo meo. 25 *[dixit et e curru saltum dedit ocius arvis]:* mox ut haec dixit, e curru in arva saltu se coniecit. non dixit descendit; habet enim descensus moram, habet autem saltus celeritatem. *perque hostis, per tela ruit maestamque sororem deserit ac rapido cursu media agmina rumpit:* ordinatur 30

---

1 *effectus* ed. 3 *gemebatur* V corr. ed. 5 *facilius* ed. 9 *fata et* V *et fata* ed. | *invitus* V *invitum* ed. *invitos* nos. 14 *acerbiem* V. 17 *ludibrioso peresse* V. 20 *nequisque* V *nequis* ed. 22 *melius ē que* V *melius est quod* ed. *meliusque* nos. 26 *dixit — arvis* deest in V superiori lemmati affixit ed. hic potius inserendum. 27 *saltu* om. ed. | *sese* ed. 30 *ordinatur* — 627, 2 *rumpit* om. ed.

sensus sic: reliquit et currum et sororem perque hostis, per tela ruit ac rapido cursu media agmina rumpit. quid enim metueret qui decreverat mori? *ac veluti montis saxum de vertice praeceps cum ruit, avulsum vento seu turbidus* 685
5 *imber proluit aut annis solvit sublapsa vetustas, fertur in abruptum magno mons inprobus actu exultatque solo silvas, armenta virosque involvens secum:* cum dicit parabolam qua Turni cursum in patriam monstret, ostendit quibus casibus saxa de montium verticibus proruant avulsaque volvantur:
10 haec, inquit, a soliditate discernit aut flatus ventorum aut pluvia aut vetustas, dissoluta autem sic volvuntur in praeceps, ut eorum impetus non minuatur saltibus, sed magis incrementa percipiat et quicquid invenerint volvant. *disiecta per agmina Turnus sic urbis ruit ad muros:*
15 Deest interpretatio usque ad v. 755.
denique sic fallitur aviditate retinendi, ut dentes dentibus feriat, cum media praeda defuerit. *tum vero exoritur clamor ripaeque lacusque responsant circa et caelum tonat omne fragore:* falso, inquit, morsu canis spectantium clamor tolli-
20 tur et reciproco locorum resonantium responso tamquam tonitrua mittuntur. *ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnis nomine quemque vocans notumque efflagitat ensem. Aeneas mortem contra praesensque minatur exitium, si quis-* 760 *quam adeat, terretque trementis excisurum urbem minitans*
25 *et saucius instat:* inermi Turno cum Aeneas insisteret, increpabat idem Turnus omnis suos et appellabat nominibus propriis illius ensis auxilium quaerens quem dimiserat trepidans, sed dare nullus audebat; Aeneas enim contra mortem spondebat hominibus et praesens civitati minabatur exitium
30 et iam trementis terrebat; facilius est enim terrere metu-

---

5 *sublaxa* ed. 11 *autem* V *ut est* ed. | *volvitur* V corr. ed. 14 *muros* finis folii 223 Bb incipit fol. 224 Aa a *denique.* 19 *morsu canis* om. ed. 22 *eflagitat* V. 25 *inermi* falso ad lemma retraxit V item ed. 28 *enim* V *autem* ed. | *mortem contra mortem* V prius mortem del. ed. 29 *spondebat hominibus* V *minabatur omnibus* ed. 30 *et iam* V *ac etiam* ed. | *terreri* et 628, 1 *moveri* ed.

entem quam securum movere formidine. minabatur autem singulis, si aliquis Turnum gladio conaretur instruere. quod ait increpat suos Turnus, non obiurgantis fuit; neque enim laesurus fuerat eos quorum in tantis angustiis desiderabat auxilium, sed vocabat clara voce hoc solum reprehendens, 5 quod regi suo non subvenirent. usque adeo clara haec voce dicebat, ut hunc sequens Aeneas audiret. *quinque orbis explent cursu totidemque retexunt:* retexere est iter ut qua itum est ipsa parte redeatur. *huc illuc;* fuit enim camporum spatium quo fugiens huc atque illuc contenderet. 10 tale est quale supra (753) „mille fugit refugitque vias". poetarum est enim quemcumque numerum ponere, ut descriptio conpleatur. ceterum quis illorum potuit numerare discursus, cum fugam Turnus peteret et Aeneas conprehendere niteretur instabilem? *neque enim levia aut ludicra* 15 765 *petuntur praemia, sed Turni de vita et sanguine certant:* in Turni discrimine atque evidenti exitio reprehendi non poterat procuratio morae per fugam; tantum enim in medio timoris tantumque periculi fuit, quod optabat evadere qui vivere cupiebat. agebatur enim non ludicrum aliquid vel 20 ioculare, sed quod Turni vitam servaret aut premeret. *forte sacer Fauno foliis oleaster amaris hic steterat:* in illo, inquit, loco in quo haec gerebantur oleaster steterat aliquando ac per hoc tunc non stabat cum pugnabatur. haec arbor sola quidem fuit in campo, sed non sine dei nomine; 25 nam consecrata Fauno colebatur, deo scilicet qui esset indigena. *nautis olim venerabile lignum:* olim, id est cum staret et quamdiu stetit. *servati ex undis ubi figere dona solebant Laurenti divo et votas suspendere vestes:* tantum illi arbori deferebatur ob honorem civis et dei, ut reduces 30 nautae illic servatae salutis vota persolverent et indices 770 devotionis suae suspenderent vestes. *sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum sustulerant, puro ut possent concurrere*

---

6 *usque* V *et u.* ed. | *hac* V *haec* ed. 11 *fugire fugit refugitque* V. 14 *ut Aeneas* ed. 22 *Fauni* ed. 25 *numine* ed. fortasse recte. 26 *deo — indigena* om. ed. 30 *civis et dei* V edI *eius dei* edF.

campo: Teucri, inquit, nihil dantes religionis illi ligno abscidendo curaverunt ne esset pugnaturis inpedimento. sacrum, inquit, stirpem genere proferens masculino nec hoc loco tantum, sed plurimis. protulit et feminino, sed, ut apparet,
5 hominum stirpem feminino genere, lignorum vero masculino; ait enim (3, 326) „stirpis Achilleae fastus" et (12, 166) „Romanae stirpis origo" et (7, 579) „stirpem admisceri Phrygiam", hic masculino unde arbor abscisa est. *hic hasta Aeneae stabat:* antea nec missam dixit nec ligno infixam.
10 *huc impetus illam detulerat, fixam lenta radice tenebat:* tenebatur, inquit, hasta Aeneae praecisae illius arboris morsu quo illam vis detulerat et volatus incertum. dixit autem causam propter quam sic tenebatur, ut educi non posset; de summo enim cum magno veniens pondere ligno adhuc
15 viridi et molli vehementer inserta est et excepta penetravit lentam radicem, dixit mollem, quia recens eius abscisio fuit. *incubuit voluitque manu convellere ferrum Dardanides:* 775 dimisso paulisper cursu quo Turnum insequebatur voluit Aeneas hastam eximere. dicitur quare: *teloque sequi quem*
20 *prendere cursu non poterat:* ut volucris ictus celeritate sequeretur quem ex causa vulneris inpeditus cursu pedum tenere non poterat. *tum vero amens formidine Turnus:* tum vero, tum magis exterritus Turnus atque amens factus; intellexerat enim quid sibi pararetur. *Faune, precor, miserere,*
25 *inquit, tuque optima ferrum, Terra, tene, colui vestros si semper honores, quos contra Aeneadae bello fecere profanos:* iusta vox pro persona loquentis; ait enim Faune et praesens Terra, miseremini cultoris vestri contra eos qui vos quoque crediderunt bello esse adpetendos et cultus vestros
30 ausi sunt profanare. per occasionem certaminis nostri non recipiat Aeneas ferrum nec sinatur excludere quod in exitium vestri cultoris intorqueat. *dixit opemque dei non cassa in* 780

---

1 *abscindendo* ed. 8 *abscissa* ed. 9 *nec missam* contra v. 711 V *nec* om. ed. 10 *lenta* V ut M Verg. *et lenta* ed. 12 *incertum* V *incertus* ed. 16 *abscissio* ed. 21 *vulneris* om. edF. | *pedĕm* V *pedes* ed. 28 *miserere minicultoris vestri* V *miserere,* omisso *cultoris vestri* ed. 32 *extorqueat* ed.

vota vocavit: quod locutus est, inquit, deprecans non frustratum est; nam mox ei adfuit dei praesentis auxilium. dicit quomodo: *namque diu luctans lentoque in stirpe moratus viribus haut ullis valuit discludere morsus roboris Aeneas. dum nititur acer et instat, rursus in aurigae faciem mutata* 5 *Metisci procurrit fratrique ensem dea Daunia reddit:* praestitisse aliquid Faunum Turno pro desiderio deprecationis posuit, ceterum . . .

Deest interpretatio usque ad v. 846.

. . . uno atque eodem partu: quam detestabilis nascendi 10 condicio quae triplex malum semel effudit et omnis diris anguibus vinxit, omnibus alas attribuit, ut in exitium hominum et substantiam nocendi haberent et celeres pergerent! *hae Iovis ad solium:* non tres, sed duae; Megaera 850 enim inmissa non fuit. *saevique in limine regis apparent* 15 *acuuntque metum mortalibus aegris, si quando letum horrificum morbosque deum rex molitur meritas aut bello territat urbis:* saevum regem dixit, non semper saevum, sed tunc cum ex aliqua causa commovetur. istae ergo ad solium observant regis et limina, ut homines terreant, iniectum 20 metum faciant terrendo peiorem eo tempore quo Iuppiter hominibus aut morbos parat aut mortem aut urbis exagitat bello. meritas inquit, ut ostenderet Iovem non saevum esse, sed iustum; illis enim haec inmittit qui delinquendo meruerint. *harum unam celerem demittit ab aethere summo* 25 *[Iuppiter]:* ecce non est superfluum quod in descriptione istarum alarum commemoratio facta est: nam quomodo posset demitti ex alto aethere aut pervenire celeriter, nisi

2 *depresentis* V *dei praesentis* nos *deprecantis* edI *deprecanti* edF. 8 *ceterum* finis folii 224 Bb sequitur fol. 233 incipiens (Aa) ab *uno atque eodem partu* V lemma praefixit edF (de ordine quaternionum vide praefationem). 12 *vinxit* V *iunxit* ed. 14 *haec* pro *hae* V. | *mecera* V. 15 *inmensa* V *immensa* ed. *in mensa* ed. post., quasi de Iovis mensa agatur! *inmissa* nos: Tartaream Megaeram Don. in Tartarum relegatam putat. 20 *reges* V ed. *regis* nos. 21 *peiore* ed. post. | *eo* om. ed. post. 25 *demittit* V *demisit* Verg. libri. 26 *Iuppiter* lemmati addidi infra pro lemmate scripsit V. 28 *dimitti* V.

pinnarum subsidium habuisset? ex duabus igitur unam celerem demisit a summo aethere Iuppiter; tanta enim utriusque natura tamque detestabilis fuit, ut inplendis tristibus etiam una sufficeret. celerem dixit, non quo alias
5 isset segnis et tarda, sed ut quod erat factura celerius faceret et inpleret. *inque omen Iuturnae occurrere iussit:* omen, fraternae scilicet mortis. *illa volat celerique ad terram* 855 *turbine fertur:* volat et celeri fertur turbine, utpote quae ducebatur inmani natura et iussionis inpulsu. interponitur
10 parabola, qua orationis continuatio rumperetur, ut interiectio media taedium legentis excludat: *non secus ac nervo per nubem inpulsa sagitta, armatam saevi Parthus quam felle veneni, Parthus sive Cydon, telum inmedicabile, torsit, stridens et celeris incognita transilit umbras:* quemadmodum
15 solet sagitta transcurrere missa Parthi vel Cydonis manu, armata veneno ac ferro, cuius ictus est inmedicabilis, et nulli visa celerius pervenit: *talis se sata nocte tulit,* hoc est 860 generata per tenebras, *terrasque petivit. postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni, alitis in parvae subitam coniecta*
20 *figuram, quae quondam in bustis aut culminibus desertis nocte sedens serum canit inportuna per umbras:* ubi venit ad locum in quo gerebatur inter Aenean Turnumque certamen et uterque exercitus aderat, repente in alitis parvae formam sese convertit, cui mos est aut in bustis sedere
25 per noctem aut in desertis culminibus feraliter canere. huius ominis solent esse bubo vel noctua, quae non nisi funereum luctuosumque significant. *hanc versa in faciem Turni se* 865 *pestis ob ora fertque refertque sonans clipeumque everberat alis:* in huius alitis figuram pestis illa conversa non cessa-
30 bat ante faciem Turni transire et eius clipeum alis stre-

---

2 *dimisit* V. 4 *non quo alia ei sed segnis et tarda sunt quā erat* V *non quod* ed. *aliae essent segnes* ed I *alae essent segnes* ed F *et tarda* om. ed. *sed ut quod* ed. 10 *parabola* (plerumque *-bula*) V. | *rationis* V ed I corr. ed F. 16 *armata* V *tincta* ed. | *ferro* V *f. munita* ed. 17 *vis ac* V *visa ac* ed. *visa* nos. | *nocte* non *N-* propter interpr. 19 *coniecta* V *collecta* ed. 22 *et Turnum* ed. 24 *forma* V corr. ed. 26 *omnis* V *ominis* ed. | *solet* ed. 27 *sepesti sopora* V. 30 *strepentibus* V *vi* ed.

pentibus quatere. *illi membra novus solvit formidine torpor:* Turnus cum hoc videret, intellecto quod omnia significarentur extrema, novo torpore dissolutus est. novum dixit aut qualem nemo aliquando sensisset aut insolitum sibi et repentinum. *arrectaeque horrore comae et vox faucibus* 5 *haesit:* leve fuit, si diceretur quod vulgo dici consuevit steterunt illi capilli, quod frequenter contingit, cum aliquo movemur horrore, sed ait steterunt comae; capillorum quippe significatio brevitatem attonsam significat, comae vero prolixitatem monstrant, quae propter longam mollitiem stare 10 non possunt; et tamen, cum ingens metus describitur, etiam ipsae stare dicuntur, licet stare non possint, ut contra naturam maior vis terroris hoc facere videatur. *at procul ut Dirae stridorem agnovit et alas:* hanc, inquit, cum longe vidisset Iuturna stridere strepentem et volatu Diram esse 15 cognovit (facile enim intellegere potuit unam esse ex illis quae solium regis et limen observant, quia in adfectu Iovis 870 constituta has cognitas habuit), *infelix crinis scindit Iuturna solutos unguibus ora soror foedans et pectora pugnis.* tantum earum Iuturna omen noverat, ut hac visa iam pro mortuo 20 plangeret fratrem suos dissipans crinis et ora unguibus lanians et pectora pugnis obtundens. *quid nunc te tua, Turne, potest germana iuvare? aut quid iam durae superat mihi? qua tibi lucem arte morer? [talin possum me opponere monstro?]* ex praeteritis, inquit, frater, laborem meum probare 25 potuisti, feci omnia pro salute tua, sed nunc quid excogitem quam potior inimicus expugnat? quid agatur etiam ipse cognoscis. cessat omnis subveniendi subtilitas, quando urgent extrema periturum. inexpugnabile monstrum est istud nec ullo potest superari remedio. nihil omisi quod 30 faceret pro commodo tuo, iam cedendum est istis quae evinci consulendo non possunt, cedendum, inquam, talibus

---

4 *insolutum* V. | *sibi* om. ed. 6 *vulgo* V *quod v.* edF. 15 *stripentes* V corr. ed. 16 *cognovit* V ed. *-visset?* 17 *obser* V *observant* nos *frequentans* ed. | *quia* om. ed. 23 *durae* V *miserae* ed. 24 *talin* — 25 *monstro* deest in V, sed explicatur. 30 *superare* V *-ri* ed. 31 *ex istis* V corr. ed.

malis contra quae maximus labor est et nullus effectus. subnectit apostropham in qua plenius animi sui dolores exponit: *iam iam linquo acies, ne me terrete timentem, ob-* 875 *scenae volucres, alarum verbera nosco letalemque sonum:*
5 quoniam sola nuntiatis adversa et novi quid vester adventus ostendat, obscenae volucres, relinquo acies quibus opitulari non possum: intellego quid infaustis alarum motibus meis nuntietis incommodis. *nec fallunt iussa superba magnanimi Iovis: haec pro virginitate reporto?* non me,
10 inquit, fallit quicquid Iuppiter iubet, totum ante praevideo: hoc est praemium quod mihi pro erepto virginitatis honore contulit, ut ante lugeam fratrem quam illius vitam ultima fata concludant. *quo vitam dedit aeternam? cur mortis ad-empta est condicio? possem tantos finire dolores nunc certe* 880
15 *et misero fratri comes ire per umbras:* in contrarium vertit quod mihi pro munere beneficioque concessum est, quando nec fratri subvenire ut inmortalis possum nec interire cum fratre quae sum nata mortalis. finirentur quippe dolores mei et quicquid animum cruciat condicio mortis auferret,
20 certe irem ad infernum pariter et sociata fratri sedes Erebi libenter adpeterem. alia apostropha ad ipsum fratrem cum necessaria propositione: *inmortalis ego!* inmortalis, inquit, dicor, inde infelix unde me beatam existimant alii, non honor est iste, sed poena. *aut quicquam mihi dulce meorum*
25 *te sine, frater, erit?* quasi demum mihi aliquid dulce superfuturum sit, cum inter bona mea non fuerit incolumitas tua. *o quae satis ima dehiscat terra mihi manisque deam demittat ad imos?* atque utinam contra istiusmodi bene-

---

3 *obscaenae* V (alibi *obscenae*). 5 *quoniam* V *quomodo* ed. | *et novi quid* V *novi et quid* ed. 9 *reperto* V ergo *reporto* ut O scripsi *reponit* H ed. et Verg. libri interpr. dubium relinquit. 10 *praevidebo* O ed. 11 *per indignationem inquit* post *praemium* inseruit ed. non habet V nec HO. 19 *et* V *ut* ed. 20 *infernam* V *-num* nos *-na* ed. | *pariter et* V *pari* ed. | *sedes* V *et s.* ed. | *erebi* V *inferas* ed. 24 *honores* V *honor est* corr. ed. | *haut* V ed., sed *quasi demum* in interpr. ad *aut* inclinare videtur. 26 *sit* om. ed. | *incolomitas* V *commoditas* ed. 28 *dimittat* V ed.

ficium Iovis optatum posset provenire remedium, reciperer dea patefactis hiatibus terrae et, quoniam mori non licet, 885 novitate casus excepta inferni sedibus iungerer. *tantum effata caput glauco contexit amictu multa gemens et se fluvio dea condidit alto:* cum haec dixisset, habitu qui lugentibus 5 conpetit concessit in fluvium, ne videndo mortem fratris plus gemeret et doleret.

Aeneas instat contra telumque coruscat ingens, arboreum et saevo sic pectore fatur: interpositis verbis Iunonis et Iovis et his quae usque ad hunc locum ex persona Iuturnae 10 et poetae consecuta sunt intercisa narratio est, sed idem poeta sui memor redit ad ea quae paulisper omiserat atque ita, ut, si interposita ipsa subtrahantur, una fiat dictionis integritas. dixerat quippe ante Iovis verba, qui prior locutus est, (788) „olli sublimes, armis animisque refecti, 15 hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta, adsistunt contra certamina Martis anheli": nunc subiungendum est Aeneas instat contra telumque coruscat ingens, arboreum, ut una fiat narrantis intentio. cum dicit telum ingens et arboreum, non hastam, sed eius gestatorem laudat qui sub teli nomine 20 portabat arboris magnitudinem, cumque hanc coruscantem Aeneae virtus facile commoveret et Turnus formidaret accedere, insistebat Aeneas hac timidum provocans voce. *quae nunc deinde mora est? aut quid iam, Turne, retractas?* 890 *[non cursu, saevis certandum est comminus armis]:* quam 25 diu, inquit, quod inminet moris longioribus differs? aut quo in diversa trahis consilia tua? quove volvendo convertis? non est officium viri fortis cursibus fidere et, cum ad certamen istiusmodi acceditur, pugna non pedibus est gerenda, sed gladiis: fiat iam comminus quod metus ratione 30

---

1 *reciperer dea* V *recipere* HO ed. *deam* ed. 2 *pater factis* V corr. H ed. 3 *inferni* V *-nis* ed. 6 *concessit in fl.* V *se texit ac ad fl. concessit* ed. 13 *ipsa* om. ed. | *fiat* V *sit* ed. 15 *sublime* V (locus supra deest). 19 *narrationis* ed. 21 *cumque* V *quum* ed. | *coruscantem* V ed. *-antis*? an *-ans*? 23 *timidum* V *tumidum* ed. 24 *haut* V. 25 *non — armis* deest in V, sed explicatur. 26 *moris* V *mortis* ed. | *inventis* post *differs* inseruit ed. 27 *diversa* V *adversa* ed.

formidas et, si id de corporis animique infirmitate non audes, redi ad consilia tua, si vales: *verte omnis tete in facies et contrahe quicquid sive animis sive arte vales, opta ardua pinnis astra sequi clausumque cava te condere terra.*
5 bene illi ad evadendum aeris spatium dedit et ima terrarum, ne, quod facere non valebat, petere campos vellet aut montis; supra enim dixit hinc Troianos fuisse quo esse exitus potuit, hinc alta moenia, hinc vastam paludem. *ille caput quassans,* hoc est luctus animi crebra capitis commo-
10 tione significans, *non me tua fervida terrent dicta, ferox,* 895 *dii me terrent et Iuppiter hostis:* confessus est de timore, sed hunc subtiliter excusavit adserens non ipsum Aenean esse inimicum, sed deos et Iovem. hoc est dicere si occubuero, non tu me superabis, sed dii cum ipso Iove,
15 qui armis et partibus meis inimici sunt et infesti. *nec plura effatus;* debilitatus enim mente loqui non potuit. *saxum circumspicit ingens, [saxum antiquum, ingens], campo quod forte iacebat, limes agro positus, litem ut discerneret arvis:* vitiosum putatur quod est honesta locutione mirabile.
20 non enim saxum positus dixit, ut faceret per genera soloecismum, sed saxum iacebat tam grandi magnitudine, ut infinitis saeculis inmotum permansisset; ad hoc enim inter dominia fuit, ut lites possidentibus tolleret et esset limes. ordinandus est sensus, ut calumniam removeamus: limes
25 agro positus fuerat, saxum ingens, ad hoc, ut litem discerneret arvis. hunc locum pronuntiantes, cum diximus campo quod forte iacebat, et moram interponere debemus et separare limes agro positus, ne male iungendo nos faciamus vitium quod poeta non fecit. *vix illum lecti bis*
30 *sex cervice subirent, qualia nunc hominum producit corpora* 900 *tellus:* vix, inquit, illum, non dixit illud; limiti enim, non saxo respondit, perdiderat quippe saxi nomen et limes, non saxum dicebatur. quod autem ait vix et addidit lecti,

---

7 *que* V *unde* ed. *quo* nos. 8 *illinc vastam* ed. 17 *saxum antiquum ingens* deest in V, sed explicatur. 18 *po* pro *positus* V. 20 *positus* V *positum* ed. | *solicismum* V. 24 *est sensus* V *est enim sensus sic* ed. 26 *dicimus* ed. 32 *ut* — 33 *diceretur* ed.

adiecit et duodecim cervice subirent, totum ad difficultatem tollendi pertinet, sed tamen cum laude Turni. dicturus est enim hoc saxum una manu et portare Turnum et iacere potuisse, quod ut credibile fieret, distantiam veterum virorum et praesentis temporis fecit. potuit, inquit, Turnus 5 hoc ferre et iacere, quia tunc alia forma atque aliis viribus homines nascebantur, ceterum quod ille unus atque una manu rapuit, hoc est sine conatu tulit et iecit, nostri temporis homines duodecim lecti vix cervicibus ferrent. *ille manu raptum trepida torquebat in hostem altior insurgens* 10 *et cursu concitus heros. sed neque currentem se nec cognoscit euntem tollentemque manu saxumve inmane moventem:* Turnus quidem omnia ex more fortiter faciebat; nam et saxum ingens rapuit manu et currens atque altior misit, sed nec tollentem se sensit nec euntem erigentem manum cum 15 saxo. ecce saxum dictum est, quando motum est loco, et naturam suam et genus recipit, quando desiit esse limes et inter duos dominos arbiter, ceterum, ut dictum est, cum 905 illic esset, non saxi appellationem sed limitis habuit. *genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis:* tantum dissolutus 20 metu fuerat, ut firmitatem sui genua eius perdidissent et coisset sanguis frigore. *tum lapis ille viri vacuum per inane volutus nec spatium evasit totum neque pertulit ictum:* quemadmodum in Turno omnia hebuissent etiam ictus ipse monstrabat; nam missus lapis ivit per vacuum nec totum 25 transire spatium potuit nec hostem percutere. *ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit nocte quies, nequicquam*

---

2 *tollendi* V *tollendam* ed. | *dicturus est enim hoc* V temere mutavit ed. 3 *et portare possum et iacere potuisse* V *posse* pro *possum* ed. *Turnum* nos. 5 *posuit* V corr. ed. 6 *atque* V *et* ed. 12 *tollentemque manus* V *que* interpretatione confirmatur, ubi *euntem erigentem* coniungitur, non separatur; pro *manus* cum ed. *manu* scripsi, quia interpretatio et supra et infra unam manum intellegit, an *manum*? 14 *altior* V *altius* ed. 15 *euntem erigentem* V *nec* interpos. ed F. 20 *desolutus* V corr. ed. 21 *sui* V *suam* ed. 22 *lapis ille viri* V *ipse* ed. et Vergiliani libri. 24 *habuissent* V *se habuissent* ed. *hebuissent* nos (ut infra).

avidos extendere cursus velle videmur et in mediis conatibus 910
aegri succidimus, non lingua valet, non corpore notae suffici-unt vires nec vox aut verba sequuntur: sic Turno, qua-cumque viam virtute petivit, successum dea dira negat: datur
5 parabola, ex qua unusquisque ex se intellegat quemad-modum in Turno omnia inminente ultimo fato hebuissent; nam omnibus hominibus per somnum talia consuerunt ac-cidere, ut dormientes videantur velle quae inplere non possunt: nonnumquam nituntur aliquid viribus et eorum
10 conatus ante effectum rerum debilitati succumbunt, si voluerint loqui, nec lingua inplet officium suum nec inten-tionem volentis explicant verba, totum vacuum est quic-quid videbitur geri, totum infirmum, utpote quod habere videtur a dormiente substantiam. sic ergo tamquam sopo-
15 rati actibus negabat dea dira successum. *tum pectore sensus vertuntur varii:* incipit exponere quae sit ipsa varietas: 915 *Rutulos aspectat et urbem:* in desperatione salutis respicie-bat civitatem, vel quod illic Lavinia fuit, vel ne inde veniret auxilium, pudore autem confusus deprecari non
20 audebat Rutulorum opem quam inpetrare non poterat. oculis tamen intellegebatur poscere miserationem, quam sermone nequibat. *cunctaturque metu teloque instare tre-miscit:* dubitabat telo insistere aliquid meriti futuris precibus servans. *nec quo se eripiat nec qua vi tendat in hostem:*
25 prorsus quid faceret nesciebat; totum enim inpossibile fuit: fugiendi quippe occasio deerat, audendi in hostem fiducia negabatur. *nec currus usquam videt aurigamque sororem:* auxiliorum quoque spes nulla supererat, vel quia currus defuit, etiam abscesserat soror. *cunctanti telum Aeneas*
30 *fatale coruscat sortitus fortunam oculis:* dum ille diversis 920

---

3 *quacumque* V *quamc.* ed. 6 *ultimo fata hebuissent* V *fato* nos inepte mut. ed. 9 *nituntur* V ed. *adnituntur* ex-pectes, sed cf. 1, 662. 12 *quid videbitur* V *quicquid v.* nos *quod desideratur* ed. 14 *a dormiente* V *dormientis* ed. 15 *negat* ed. 21 *intellegebat torpescere* V ed. *intellegebatur poscere* nos. | *qua* V *quia* ed. *quam* nos. 22 *telumque* V ed., sed Don. *teloque* legisse interpr. docet: bona lectio et argute explicata, quamquam in Verg. libris vix vestigium eius extat.

cogitationibus captus intentum animum tenet, dubitanti quid faceret telum, cui fata sanguinem decreverant Turni, Aeneas tamquam fulmen altius extulit eventum facti oculorum aestimationi ac fortunae committens et spatio quod ad feriendum posse sufficere decreverat animo. *et corpore* 5 *toto eminus intorquet:* quanto longius aberat tanto plenis viribus hastam intorsit, ut pervenire posset et inplere victoriam. *murali concita numquam tormento sic saxa fremunt nec fulmine tanti dissultant crepitus:* tanta hastae istius fuit vis et euntis strepitus quantus esse non potest cum 10 arietis tormento muri solvuntur aut fulmen intervenit. *volat atri turbinis instar exitium dirum hasta ferens:* volat, inquit, non iam hasta, sed violentissimus turbo exitium dirum 925 ferens hoc est letabile. *orasque recludit loricae et clipei extremos septemplicis orbis, per medium stridens transit femur:* 15 magnum ictum et magna missum virtute describit, qui potuit post tot orbis clipei vel loricam perrumpere et transire per hominis femur, hoc est non debilitari tot inpedimentis et sic pervenire, ut non solum inhaeserit vulneri verum etiam exitum facilem reperiret. *incidit ictus ingens ad terram* 20 *duplicato poplite Turnus:* percussus cum stare non posset, ut fuit ingenti corporis forma, contracto poplite ad terram intolerabilis doloris clade perductus est. incidit dixit, in ipsam tantum partem concidit qua fuerat debilis redditus: nam diceret stratus est, si toto corpore iacuisset. *consurgunt* 25 *gemitu Rutuli totusque remugit mons circum et vocem late nemora alta remittunt:* tali casu permoti Rutuli cum fortunam hominis gemerent, emitterent et clamores, remittebant montes mugitum, nemora quoque reddebant quas acceperant voces. si Rutuli gemitus dabant, intellegi par 30

---

3 *fati* V *c* superscr. man. II *fatis* ed. 4 *aestimatione* V *extimatione* (sic!) ed. *aestimationi* nos. 5 *ferendum* V corr. ed. 6 *plenis* V *maioribus* ed. 8 *cogita* pro *concita* V. 9 *istius* V *illius* ed. 10 *eunti* V corr. ed. | *crepitus* ed. 14 *laetabile* V *letale* ed. 17 *potuit tot* V ed. *p. post t.* nos propter *vel.* | *urbis* in *orbis* corr. V man. II. 20 *hicidit* V. | *ictu* ed. 27 *talica supermoti* V *tali fortuna moti* ed. | *fortunam* V *exitium* ed. 29 *mugitum* V *-tus* ed. *-tu* ed. post. | *memora* V om. ed. 30 *acciperant* V.

est in illis vocibus alacritatem fuisse Teucrorum. *ille humilis* 930
supplexque, humilis corpore et fastu reiecto quo antea ferebatur, *oculos dextramque precantem protendens: equidem merui nec deprecor, inquit, utere sorte tua:* magnum poetae
5 inventum ut hastam non in eam partem corporis quae letalis esset diceret pervenisse, sed in eam quae superaret hostem et tamen vivum servaret ad preces; quippe ipso fuit supplicio peius propria voce confiteri se victum et hostem suum pronuntiare victorem omnibusque se dignum poenis
10 qui esset fortiori congressus. ego, inquit, quod patior merui nec veniam peto: sic enim peccavi, ut hanc mereri non possim. utere sorte tua: Lavinia est ista sors et interitus Turni. *miseri te si qua parentis tangere cura potest, oro:* non te propter me rogo qui non mereor veniam, sed propter
15 infelicem patrem meum. *fuit et tibi talis Anchises genitor, [Dauni miserere senectae]:* faciendo conparationem miseri patris et senis quantam speravit moturum se esse misericordiam, ut ille flexus commemoratione paternae memoriae promptior veniam daret! miserere, inquit, senectae patris
20 mei, scilicet ne orbitatem fili luctus paternus augeret, si corpus negaret occisi. potest et sic, ut salutem patris senis et orbati commendasse videatur, ne quasi pater hostis necaretur. *et me seu corpus spoliatum lumine mavis redde* 935
meis: redde meis: ecce ubi ostendit se velle servari; post
25 petitionem quippe nomine patris interpositam venit ad se et ait et me seu corpus spoliatum lumine mavis: cum dicit seu, hoc videtur dicere voluisse quod pudore interveniente non dixit apertius. si volueris me occidere, redde corpus meum et meis sepeliendum concede ait; alteram partem
30 servandi supplicis ipse intellegeret et inpleret. *vicisti et victum tendere palmas Ausonii videre, tua est Lavinia coniunx:* utrosque, ait, viderunt Ausonii et exitum certaminis probaverunt: me scilicet victum tendentem palmas et te

---

12 *possum* V corr. ed. | *utere* — 13 *Turni* om. ed. | *esse* V *est* nos. 16 *Dauni* — *senectae* deest in V, sed explicatur. 17 *quantum* ed. 20 *orbitate* V ed. *-tem* nos. | *augeret* V *-eretur* ed. 30 *servandi* V *-dam* ed. | *ipse* V *ut* ed.

fortuna tua procurante victorem. Lavinia tua est coniunx, propter quam pugnavimus diu. *ulterius ne tende odiis:* non debes ulterius duci odio, quando in iura tua transiit quae fuit certaminis causa. *stetit acer in armis Aeneas volvens oculos:* quod dixit stetit nec statim victoris aviditate per- 5 cussit, ostendit verbis deprecantis esse commotum. quod autem volvebat oculos, tractantis fuerat signum; indices enim sunt oculi, qui tacito pectore sententia dubitante volvuntur. non enim ignoscere temere oportuit aut ferire: stetit, oculos volvit. *dextramque repressit:* qui haec fecit 10 proximus fuit ut ignosceret potius quam necaret. dextram igitur repressit expectans quid animus tractando decerneret. 940 *et iam iamque magis cunctantem flectere sermo coeperat,* incertum sententiae iam coeperat in veniam flecti, *infelix umero cum apparuit alto balteus et notis fulserunt cingula* 15 *bullis Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus straverat atque umeris inimicum insigne gerebat.* posset, inquit, Aeneas roganti parcere, sed, quia Turnum adversa fortuna iam trahebat in mortem, apparuit ex eius umeris balteus quem occiso detraxerat Pallanti. nec difficile fuit Aenean memi- 20 945 nisse, quia cuiusmodi esset memoriter retinebat. *ille oculis postquam saevi monimenta doloris exuviasque hausit,* ille, hoc est qui flecti iam coeperat, posteaquam ex his quae viderat novatione doloris exarsit, *furiis accensus et ira terribilis,* non tam in iracundiam, sed in furiam versus est. 25

---

1 *properante* V ed. *procurante* nos. 3 *quando* V *quia iam* ed. | *in iura* V *iniuria* ed. 10 *volvit* V *volvens* ed. 11 *negaret* V *necaret* ed F. 13 *incertum* V (subiectum est *incertum sententiae*) *incertus* ed. 19 *ex eius* V *exutus* ed. 24 *exarsit* V *-serat* ed. 25 *sed* V *quam* ed. | post *versus est* defectus codicis incipit, de quo v. praef. p. XXIII: hic decem fere litterarum spatium hiat, sed, quia in HO ed. continuo *tune* sequitur, ipse Vaticani scriptor ut alibi ante lemma vacuum reliquisse videtur. in sequentibus brevitatis causa quae in Vaticano perierunt, ne singuli loci in apparatu repetendi essent, uncis inclusi. genuina esse et stilus vere Donatianus (tibi commodis places, meritis, ministris manibus, inventione currente, plurimorum adminiculo) et numerus litterarum ac sensus cum litteris salvis egregie congruens demonstrant. accedit quod editio cum Harlemensi et Oxoniensi in summa consentit.

tune hinc, spoliis [indute meorum, eripia]re mihi? Pallas te [hoc vulnere, Pallas] inmolat et poen[as inimico ex sanguine sumit]: tu, inquit, qui meor[um spoliis indutus es] et eorum tibi [commodis places, ut eripiaris] manibus [meis
5 nec tuis meritis nec illorum] me[moriae convenit. denique ministris] m[anibus meis te Pallas occidit, ipse] p[ersequitur sanguinem tuum, ipse de te] poenas exposcit. recte inmotus est; praestabat quippe interfectori Pallantis negare vitae beneficium quam inultam relinquere familiaris mortem.
10 ecce servata est in persona Aeneae pietas, qua volebat ignoscere, servata religio Pallanti, quia interfector eius non evasit. conpletum est quod supra (10, 503) est positum „Turno tempus erit magno cum optaverit emptum intactum Pallanta et cum spolia ista diemque oderit". *hoc dicens* 950
15 *ferrum adverso sub pectore condit:* animum irati viri fortis expressit, dum, inquit, loquitur, hoc est antequam quod dicebat inpleret, in pectus hostis ita uti adversum fuit totum gladium pressit. *ast illi solvuntur frigore membra:* recedente enim calore sanguinis quo regitur vita mors fri-
20 gore repente succedit. *vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras:* et cum ad umbras concideret moriens, dolebat tamen se perdidisse lucem et Aeneae Laviniam reliquisse. magna carminis ordinatio, magna laudantis industria; qui enim ab ipso principio [operis sui Aen]eae laudem omni-
25 bus libris [executus est, ha]nc usque ad Turni mortem [consulto perduxit] egregia inventione [currente, ut cessa]ntibus universis solus Ae[neas cum solo pugnar]et. si enim in con[fuso omnium bello Aeneae] licet virtute [cecidisset, posset videri necem] illam plu[rimorum adminiculo pro-

---

1 *tunc* ut 11, 857 pro *tune* V. 3 *es et* HO *es* om. ed. 4 *ut eripiaris* H edI *ut eripias* O *tu eripiaris* edF. 6 *occidet* HO ed. | *persequitur* O *qui sequitur* H ed. 8 *inmotus* V *inventus* ed. 11 *religio* V edI *religione* edF. 15 *fervidus* in lemmate non habent V ed. nec explicari videtur. 16 *loquitur* V edI om. edF. 21 *concideret* VO ed. *conscenderet* H fortasse *concederet* cf. 886. 29 *videri necem* H ed. *videre necem* O. | *pervenisse* HO *provenisse* ed. de acc. c. inf. post videri cf. 6, 530 et 9, 195.

venisse. s]epa[ravit igitur hos laudator egregius, ut s]peci[alis gloria in solius Aeneae meritis perm]aneret et ipse esset ultor iniuriae suae cui Lavinia et matrimonium debebatur.

Tiberius Claudius Donatus Tiberio Claudio Donatiano filio suo salutem. 5

Incertum metuens vitae, quod magis senibus incumbit et proximum est, cursim scripsi quae potui relinquens plurima, ut ea saltem paterent quae tibi ad cetera intellegendi aditus et vias aperirent et, si quid mihi ad- 10 versi accideret, haberes interpretationum mearum quod imitareris exemplum. verum quia ex communi voto contigit diutius vivere, hos libros interim sume sciens me dehinc non deserturum studium patris, ut tibi, in quantum potuero, pari praeparem cura quae propter supra dictam 15 causam videor omisisse. sic enim fiet ut origines singularum personarum quas Vergilius Aeneidos libris conprehendit et quae in quo studio floruerint aut nullius fuerint meriti vel contraria deligendo depressae sint discas,

---

1 *epa* V *separavit* HO *speravit* edI *spectavit* edF. | *hos* O edI *hos libros* H *hoc* edF. | *laudatur* HO *laudator* ed. | *ut specialis* H ed. *et sp.* O. 4 post *debebatur* in eodem versu continuo sequitur *Tiberius* etc. usque ad *salutem* rubro colore scriptum V. 5 *claudio donatiano* V *Maximo* interpos. ed. | *filio suo salutem* V *filio s. p. d.* ed. 7 *sensibus* V edI: saepe quidem hac voce utitur Donatus cf. 11, 279 sq., sed ad *magis* non videtur convenire, ergo *senibus* scripsi cum edF cf. 7, 261 ubi similis occurrit sententia. 9 *et ea saltem patere quae* V *ut ea s. paterent quae* nos temere mut. ed. | *intellegendi* V *intelligenda* ed. 10 *additus* V. | *et si* V *ut si* ed. | *adversae accederet* V corr. ed. 12 *exemplo* V ed. *exemplum* v. d. Hoeven. | *contigit* V *contingit* ed. 13 *interim sum sciens me dehinc* V *sume* nos cf. 7, 261. 10, 881 locum temere mut. ed. 14 *deserturum studium* V *esse d. in te st.* ed. | *in quantum* V *in* om. ed. 15 *po . . ero* V: *t* omnino *u* propemodum evanuit. | *praepararem* V corr. ed. | *dictum casum* V *dictam causam* ed. 16 *origine* V corr. ed. 18 *etque in quo* V *et quae in aliquo* ed. | *floruerunt* V ed. *floruerint* v. d. Hoeven. 19 *discas* V om. ed.

simul etiam noris oppidorum insularumque rationem et regionum, montium, camporum, fontium vel fluminum, templorum ac fanorum, herbarum quin etiam et lignorum vocabula et cetera his similia. sed haec sic accipias velim,
5 ut ex commentariis veterum scias me esse collecturum; antiqua enim et fabulosa ac longinquitatis causa incognita nisi priscorum docente memoria non poterunt explicari. proinde, si haec longioris aevi suffragio conplere valuero, erit tibi gratissimum labore potius patrio ista didicisse
10 quam tuo; si minus, legendi sunt tibi veteres, ut necessaria vestigata condiscas. interea non deerit etiam in hac . . . . .

---

1 *noris* V *cognosces* ed. | *et* om. ed. 2 *pontium* V *fontium* nos cf. 3, 706. 7, 646 om. ed. 5 *veterum scias* V *scias veterum* ed. 7 *poterunt* V *potuerunt* ed. 8 *longioris eius* V *longiori eius* ed. *longioris aevi* v. d. Hoeven recte; potest enim librarius in archetypo *eui* invenisse et *s* per dittographiam addidisse. 10 *ut necessario vestigato* V *ut* om. ed. add. ed. post. *-ria -ta* nos *necessario collecta* ed. 12 de fine mutilo v. praef. p. III et XXIII.

I. INDEX LATINITATIS DONATIANAE.*)

*) Nonnulla ad hunc indicem Burckasius p. 6—7 prolusit idemque multa Donato cum iurisconsultorum et scriptorum ecclesiasticorum aliorumque quos nominat sermone communia esse dixit. potuit alios cum veteres ut Terentium et Ovidium tum recentiores ut Florum, Iustinum, Apuleium adicere. ego quae mihi a meliorum scriptorum consuetudine ad deteriorem latinitatem deflectere vel aliqua ex causa memorabilia videbantur et lexicographorum in usum collegi et eorum qui Donatum legent. habeant unde, si quae forte mira vel dubia videbuntur, similibus confirmentur. ceterum frequentiora me non omnium locorum congerie, sed exemplorum dilectu illustrasse praemoneo.

II. INDEX NOMINUM AC RERUM.*)

*) In hoc indice, quantum potui, locos omnes adnotavi. recepi quaecunque generatim atque in universum mentione digna videntur, at ea quae proprie ad interpretationem solam pertinent, qualia multa Fabricius in suum indicem admisit, exclusi.

ADDENDA ET CORRIGENDA (cf. vol. I fin.).

VOLUMEN I.

Pag. XVII, 8 locis adnotatis adde 1, 21—22. 266. 436. 438. 612. 2, 274—276. 695—698. 3, 185. 5, 74. 331—333. 611. 6, 644. 686. 786—787. — XIX, 27 lege Petrum Crinitum. — XXIII, 27 lege III pro I. — XXIX, 20 pone , post senium. — XXXIV, 3 lege eaedem. — XXXV, 12 post erant adde cf. 12, 620. — ibid.

censor primi voluminis Aemilius Thomas (Revue critique 1906 p. 27 n. 2) agnito hemistichio Iuvenalis 8, 254 „plebeiae Deciorum animae" satiricus pro „Satyrus" legi vult. hac egregia emendatione quantopere id quod p. XXXII de adnotationibus codicis X suspicatus sum firmetur non est quod pluribus exponam; nam scriptor codicis O haec, ut dixi, non de suo adiecit. cf. quae de codicibus hoc modo adnotatis idem vir doctissimus (Essai sur Servius p. 28 sq.) docet. — XXXIX, 20 post puto adde cf. 12, 392. — XLII, 18 pone , post recepi. — ibid. 37 dele 11, 345. — 2 n. 11 post legitur adde an *ingenio* ante *genere* excidit cf. v. 51 et 198? — 8 n. 18 post *Laviniaque* adde (et infra). — 13 in notis lege 28 pro 29. — 28, 26 pone , post et. — 29, 14 pone „ " ad nascetur — Caesar. — 35, 15 dele , post removeret. — 38, 27 pone , ante sed. — 42 n. 10 lege *aequet.* — 61 in notis adde 4 *evolvens* LR ed. (item 10, 8 VR ed.) *et volvens* Verg. libri plerique. — 65, 2 lege opus. — 71 n. 10 adde inde *terminus* ed. post. — ibid. in notis lege 31 pro 32. — 76 in notis pone 24 pro | . — 81 n. 12 adde corr. ed. post. — 86 n. 14 lege ed. post. pro nos. — 106, 23 dele , ante aut. — 124 n. 25 post r′ adde om. ed. — 150, 13 pone , post est. — 155 in notis lege 28 pro 27. — 171, 26 pone : pro ; ante si. — 177, 20 lege sollemnitate. — 184, 23 dele , post erat. — 195, 31 lege ruebamus. — 212, 20 pone , post posset. — 216, 16 lege et pro ad. — 244, 28 lege fortitudinis. — 247, 3 lege adlegationibus. — 275, 28 pone , ante Thymbraee et post Th. — 276, 20 pone , ante pater et post p. — 278, 3 lege *quae* pro *quas.* — ibid. n. 11 dele ; post nos. — 282 n. 9 adde | *possit* LR ed. *posset* ut infra? — 312, 6 pone : pro . post colligamus. — 322, 9 lege verisimile. — 338, 12 lege cum. — 348 n. 6 adde cf. 9, 747 post cogitat. — 351, 7 lege dicta est. — 361, 27 pone „ " ad solane — iuventa. — 391 in notis adde 3 *tum vero* LR ed. *at vero* Verg. libri. — 407, 3 pone , pro : ante cum. — 431, 8 dele , ante ex quo. — 452, 24 dele , ante congruum. — ibid. in notis adde 24 *convenerat* LR ed. *con* ut per dittogr. ex *loco* ortum deleri malim. — 460, 6 pone et, pro, et. — 470, 7 lege inmanitatem. — 471 in notis lege 15 pro 17. — 473, 26 lege si quis pro siquis. — 479, 28 pone : pro . post viri. — 504, 25 lege reddidit. — 533, 19 Wölfflin (Archiv für lat. Lexicogr. 1906 p. 62) fatidica legi vult. sed „robora fatidica" quid ad hunc locum? nusquam Don. ea quorum in verbis poetae occasio nulla est suae ostentandae doctrinae causa advocavit. errat autem W., cum „facere = iubere" a Donati sermone alienum esse dicit. non enim iubendi sensu meum „facit caedi" intellectum volui, sed sic: ornos quoque ut robora Verg. caedi facit (i. e. dicit, inducit, vult), cum ait „advolvunt"; et hic usus apud Don. extat v. ind. lat. sub facere. quare meam retineo emendationem, qua sequentium quoque

verborum difficultas tollitur, de qua W. tacet. — 545, 16 pone , ante tum. — 551 n. 20 pone nos pro *nos*. — 558 n. 9 lege iucundissimum. — 564 n. 5 post nos adde an *fugerant*? — 579 in notis lege 20 pro 10 ante inter. — 594, 28 dele , ante inquit. — 596 in notis adde 3 *quomodo descripsit* V ed. fortasse *q. descensum scripsit*? — 598 n. 4 post scripsi adde an *in nullo* ut 2, 149? — 599 in notis lege 22 pro 21.

VOLUMEN II.

Pag. 11, 9 lege ecce pro Ecce. — 13, 13 pone , post sententia. — 24, 22 lege Aeneas. — 28, 26 lege atque. — 48, 28 lege excussi pro Exc. — 72 n. 2 adde quamquam perficere sic adhibitum extat 2, 11. — 115, 22 dele , ante cum. — 123, 30 dele , post sui. — 159, 18 pone . pro : post *erat*. — ibid. 21 pone : pro . post lex. — 160, 9 post *ademptis* rectius fuit explere lemma adiectis vv. 321—323 *is genus* — *in oris*. primum enim Don. verba *Latiumque* — *in oris* interpretatur, deinde particulatim arrepta *is genus* — *dedit*. est ergo locus talis qualis est 1, 25. decepit me V, in quo membra verborum poetae *is genus* — *dedit* (p. 160, 14—18) rubro colore scripta extant, quod me secutum esse doleo. — 177 n. 2 adde cf. 9, 69 post nos. — 178, 16 dele . post pertinere. — 197, 8 dele , post factum. — 222, 12 lege praecipua. — 225, 21 pone , ante sed. — ibid. n. 24 insere V ante temere. — 234, 24 pone , ante antequam. — 238, 13 dele , post *castris*. — 246, 22 dele , post dici. — 266, 16 pone , post curritur. — 268, 5 pone , post et. — ibid. 10 lege solo et adde in notis 10 *sola* V ed. *solo* nos. — 282, 4 lege excipiebant pro Exc. — 284 n. 13 lege 10, 611. — 327, 15 dele , post fuit. — 343, 20 pone . post poterant. — 347, 22 lege *sinit*. — 363 n. 7 dele . post r. — 376, 18 dele , post *funem*. — 386 in notis adde 8 *inter* V *intra* ed. — 439 n. 31 adde sed ad 12, 593 quoque Don. *magna maesti* scripsit, quare haud scio an lemma corrigendum fuerit. — 453, 18 dele , post potuit. — 472, 8 lege data. — 502, 14 pone : pro . post vellit. — 517, 21 lege *labenti* et adde in notis *labenti* V *labanti* ed. cf. p. 580, 2. — 565, 17 lege urgente. — 575, 13 dele , post peto. — 579, 27 lege *iuvenali* et adde in notis 27 *iuvenili* ed. — 593 n. 5 lege *necem*. — 614 in notis adde 32 *dextra* ed. — 623 n. 8 adde *et iam* om. ed. . — 625, 6 dele , ante cum. — 640 n. 1 adde an *prosperante*?

DRESDAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

eis

nes Vergilianae; ed. by
2:- Aeneidos lib.VII-XII.

NAME OF BORROWER.

MacDonald
(9r)